Digitaliseret af | Digitised by

DET KGL. BIBLIOTEK
Royal Danish Library

Forfatter(e) | Author(s):	collectæ et in II. tomos divisæ a Friderico Rostgaard.
Titel | Title:	Deliciæ quorundam poëtarum Danorum
Bindbetegnelse | Volume Statement:	Vol. 1
Udgivet år og sted | Publication time and place:	Lugduni Batatavorum : apud Jordanum Luchtmans, 1693
Fysiske størrelse | Physical extent:	2 bd.

DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.

PUBLIC DOMAIN

DET KONGELIGE BIBLIOTEK

130023076129

DELICIÆ POËTARUM DANORUM.

Collectore

FRIDERICO ROSTGAARD.

BIBLIOTHECA REG. HAFNIENSIS

DELICIÆ QUORUNDAM POËTARUM DANORUM

COLLECTÆ

ET IN

II. TOMOS

DIVISÆ

A

FRIDERICO ROSTGAARD.

LUGDUNI BATAVORUM.

Apud JORDANUM LUCHTMANS.

MDCXCIII.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Illustri atque Excellentissimo

VIRO

WILHELMO WORMIO,

SACRÆ REGIÆ MAJ. DANIÆ ET NORWEGIÆ &c.

CONSILIARIO

STATUS, JUSTITIÆ ET CANCELLARIÆ;

IN

SUPREMO JUSTITIÆ TRIBUNALI

JUSTITIARIO;

HISTORIOGRAPHO ET BIBLIOTHECARIO REGIO.

Vir Illustris.

AFfectus Tui, & meritorum in me magnitudo non patitur me diutius silere,

ſed jubet quaſi, quocunque demum modo, publica quadam compellatione grati erga Te animi debitæque obſervantiæ ſigna exhibere. Siquidem vero meum qualecunque ingenium proprios adhuc fructus ferre non adſvevit; in aliorum ſcriptis colligendis, ut Pietatis in Patriam ſpecime aliquod darem, curæ nonnihil collocandum eſſe, eundemque laborem illuſtri Tuo Nomini conſecrandum exiſtimavi. Quemadmodum enim Delphicus Apollo craterem illum aureum à Senatu Romano miſſum non aſpernabatur,

utut

utut non ex opibus ærarii, ſed ex auro à pluribus privatis collecto eſſet conflatus; ita hoc munuſculum, quod colligendo non ſcribendo meum eſt, quin faventi animo ſis excepturus, non permittit me dubitare illa omnibus notiſſima Tua humanitas. Et accedet hoc titulis tuis, ſi *Poëtarum* hiſce *deliciis*, Parentibus & defenſore orbis, Tu, Danorum ingens Apollo, patrocinium Tuum non denegaveris. Sed nec ullum ego, niſi talem tantumque Patronum ad defendendas inermes Muſas elegiſſe debui, neque præter Te alium,

qui verus es orborum Parens, Literarum fautor, ſtator, Patriæque delicium. Vale, Vir illuſtris, & hinc eruditione Tua, illinc conſiliis ſaluberrimis amorem Regis Auguſtiſſimi, Patriæque & omnium bonorum laudes in longos annos promereri perge, & me favore Tuo complecti nunquam dedignare.

Illuſtris Tui Nominis

Cultor devotiſſimus

Scrib. Lugduni Batavorum Ipſis Id. Maji, ſtylo Gregoriano. 1693.

FRIDERICUS ROSTGAARD.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
FRIDERICUS ROSTGAARD
S. P. D.

Cùm uniuſcujuſque propemodum gentis in Europa cultiori, *Germanorum*, *Belgarum*, *Gallorum*, *Italorum*, *Hungarorum* & *Scotorum* principes Poëtas in unum collectos, & longâ ſerie (XVIII volumina minoris formæ ſunt) diſpoſitos cernerem, magnopere miratus ſum, in Dania nullum adhuc exſtitiſſe, qui, in utilitatem eruditi Orbis pariter ac in honorem Patriæ, eundem ſibi ſumſiſſet laborem; & dolui elegantiſſimorum carminum, magnorumque horum Parentum vices, ad quorum famam oblivione obruendam multum feciſſe videbatur, quòd ipſi à publicandis fœtibus ſuis dum viverent modeſtè abſtinuerint: neque jam diutiùs, quæ Patriæ utilia eſſent, optanda, ſed ipſi mihi, quantum privato liceret, pro virili promovenda putavi.

Placuit ergo à prima retro origine, unde ex ſcriptis alicujus apud nos geſtæ rei memoria altius repeti poſſet, quid Dani mei in arte Poëtica præſtitiſſent, penitius inſpicere: Ubi tum prima ſe mihi obtulit Poëſis illa Danorum vernaculo ſermone nata, quam ante Chriſti Nativitatem ſummo flore viguiſſe, omnes hiſtoriæ Danicæ periti ſatis ſuperque norunt. Et dignum eſt memoratu, HIARNONEM quendam in hac arte excellentiſſimum, factâ inſcriptione in Tumulum Regis FROTHONIS III. qui circa tempora AUGUSTI vixit, regium Diadema promeruiſſe: atque ita, ut verba eloquentiſſimi SAXONIS

GRAMMATICI huc transferam, *Epitaphium Regno repensum, imperiique pondus paucarum literarum contextui donatum.* Sensum inscriptionis idem SAXO in hæc verba transcripsit:

FROTHONEM, *Dani quem longum vivere vel-*
Per sua defunctum rura tulere diu. *(lent,*
Principis hoc summi tumulatum cespite corpus
Æthere sub liquido nuda recondit humus.

Erat autem non vulgaris, sed maximi artificii & abstrusissimæ eruditionis illa Poësis; de cujus laude multa lectu digna habet doctissimus Dominus MAGNUS OLAVIUS in Islandia olim Pastor, quem adfert in notis suis ad Saxonem STEPHANIUS pag. 12. Alium deinde habitum, sed post longum temporis tractum, antiqua illa lingua Danica [quæ in libris quidem vivit, & apud Islandiæ incolas, quamvis non ita pura, adhuc hodie in usu est] & cum lingua Poësis, induit, sibique adeo dissimilis evasit, ut eandem hodierna Dania vix peritè pronunciare nedum intelligere possit. Medio ævo vernaculam nostram Poësin sepultam somno fuisse credo. Sed superiori & hoc nostro maximè seculo tam feliciter evigilavit, ut manifestè satis appareat, hodiernos Poëtas, & inprimis, qui adhuc vivunt, in Parnasso non tam somniâsse, uti dicunt, quàm ab Apolline & toto Musarum choro post multas vigilias & insomnes noctes ita edoctos esse, ut majestatem Danicæ Poëseos contra vernaculam quamlibet aliam masculè valeant defendere.

Jamque recurrendum ad Latinæ Poëseos in Dania initium, & illius temporis evolvendos scriptores credebam, quô, latinô sermone cum sacris Christianis in Daniam introductô, illius

studio

ſtudio ingenia ſe applicuerunt, & ſublimiora moliendo in Romani Phœbi caſtris felici ſatis ſucceſſu militare cœperunt. Ibi inter primos occurrebat ſupra laudatus SAXO GRAMMATICUS, qui ante quingentos annos ita ſcripſit, ut ab omni poſteritate propter ſummum ingenii acumen & dictionis tam vorſæ quam proſæ majeſtatem maximis laudibus ſemper fuerit ornatus; Unum hoc de illo judicium GERHARDI JOHANNIS VOSSII ex Lib. II. de Hiſtor. Latinis apponere lubet: *Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus eſt elegantia, ut ætatis illius captum planè excedat; imò cum antiquiorum & noſtri ſeculi plurimis certet.* Qui plura cupit, legat STEPHANIUM in Prolegomenis ad Saxonem. Nec ab re futurum puto, ut de vena hujus Poëtæ Danici benevolus Lector judicare poſſit, adducere locum ex libro 7. Hiſtoriæ Danicæ in vita SIGARI, ubi Regia Virgo SYGNE à duobus procis, altero virtute animi, altero oris ſpecie claro, ſimul ambita fortem formoſo præfert, atque ita canit:

Hic candoris inops primâ probitate relucet,
Vultum vigore metiens.
Nam damnum rigidæ redimit mens ardua formamque vincit corporis.
Corde micat ſpecies, facies feritate juvatur,
Ipſo rigore præcluis.
Hæc candore beat mentum, ſed mente colorem
Morum ſeverus arbiter.
Huic precium non forma facit, ſed fortior auſus,
Armiſque parta claritas.
Aſt illum capitis decor approbat, & nitor oris,
Vertexque crine fulgidus.

Sordet inane decus formæ, confunditur in se
Fallax decoris dignitas.
Disparibus studiis, species virtusq; reguntur,
Hæc perstat, illa deperit.
Importat vitium vacuus color, hunc levis anni
Fluxus gradatim dissipat.
Ast probitas meliore loco sua pectora firmat,
Nec lapsa prorsus excidit.
Exteriore bono vulgaris fallitur aura,
Rectique normam negligit.
At mihi censurâ virtus potiore probatur,
Spretâ decoris gratiâ.

Circa idem tempus vixit ANDREAS SUNONIS Archiepiscopus Lundensis & Poëta clarus, cui historiam suam SAXO dedicavit. Secuti sunt longa serie, qui studium hoc elegantissimum intercidere non sunt passi, quin potius magis magisque illud nativo splendori restituere allaborârunt.

Sed longè fertilissimum fuit, quô vivimus, & proximè præcedens seculum, quippe quæ, ut in omni literarum genere, ita vel maximè in Poësi magnorum ingeniorum copiosissimam in Dania viderunt messem, quæ non modò æquævis reliquarum gentium scriptoribus æquiparari suo jure possunt, sed etiam antiquis illis Romanorum Poëtarum principibus palmam subinde dubiam facere videntur.

Neque jam ulterius quærenda mihi fuit materia, sed potius, quos præcipuè Poëtas colligendos sumerem, deliberandum videbatur. Et, ut rem fatear, nolui ad antiquiora secula dilabi, siquidem, quæ illis scripta temporibus erant, ea vel ab aliis collecta, & ab interitu jam tum vindicata,

cata, vel, si minutiora fuerunt, in totum dispersa & deperdita; Atque adeò circa recentiorum temporum Poëmata corroganda versari antiquius duxi; ut quibus rerum nostrâ Patrumve memoriâ gestarum historiæ sparsim intextæ ante oculos legentium ponuntur: quinimo credidi posteritatis quodammodo interesse, ut quæ de maximis AUGUSTORUM Daniæ rebus gloriosissimè gestis, Honori Heroum, & aliis occasionibus multis adeò eleganter scripta essent, antequam nimis dissiparentur, in unum corpus congregata conservarentur, & ad ventura secula transmitterentur.

Sed obstabat adhuc ipsa bonorum copia, & non horreo messis, sed messi horreum defuit; nimirum non minorem Poëtarum numerum, qui Latinam, quàm qui Danicam Poësin excoluerant, definiveram, & quicquid usquam ab illis scriptum reperire mihi licuit, congesseram.

Et quoniam persuasus essem animum pluribus intentum in singulis plenè obeundis non semper partibus suis satisfacere, & satius esse parvum pensum absolvisse, quàm in medio vasti operis substitisse; sepositis ad tempus, &, qui vernaculâ linguâ inclaruerunt, Poëtis, & nonnullis illorum, qui Latinos versus scripserant, paucissimos tantùm, sed qui jam demortui essent, [BORRICHIUM post mortem primùm adjeci] & quorum plurima carmina me habere crederem, in unum corpus colligendos selegi, & sub titulo, quem præfert hoc opusculum, reliquorum Europæ nobilioris Poëtarum numero, sed non absque doctorum in Dania Virorum consilio & assensu adjiciendos putavi; de quibus non dubito, quin

æquo Lectori se non minus sint probaturi, quàm erudito Orbi jam dudum percogniti fuerunt.

Verumenimvero si reliquorum etiam nostratium Poëmata Latina his adjungere voluissem, in immensum crevisset opus, adeoque hoc specimine initium fecisse, & aliis augendi potestatem reliquisse, satius duxi; minimè autem eô sensu, quasi illorum, quæ hîc non inseruntur, Poëmatum dignitas & elegantia minor esset, quàm ut cum his comparari possent: quamvis enim inter optimos Poëtas numerandos sperem, quos heic in lucem profero, tamen illis similes & ante in Dania vixisse, & adhuc florere, suorumque ingeniorum radios, adinstar magni illius Mundi luminis, latissimè diffundere, imò olim nascituros esse, non minori cum laude Patriæ, quàm rei veritate prædicare & prædicere sustineo.

Neque aliô magis fine beati BORRICHII *Dissertationem de Poëtis Danis*, inter Dissertationes ejus de Poëtis Græcis & Latinis ultimam, ad calcem hujus præfationis subjunxi, quàm ut unô intuitu celebriores Poëtas Danos, & simul, quos hæ DELICIÆ exhibent, ipso BORRICHIO excepto, cernere, & de scriptis illorum Poëticis Magni Poëtæ judicium [quod semper eruditissimus Anglus *Thomas Blount* in opere suo elegantissimo, quod de Scriptoribus censuras eruditorum continet, in partes vocavit] legere posses; Et ad illam etiam, ubi in vita singulorum de stylo & scribendi genio censura in medium proferenda foret, Lectorem remittemus.

Sunt autem, quos heic publicamus Poëtas, hi Sex, qui omnes hoc seculo vixerunt:

To-

PRÆFATIO.

Tomo primo continentur

HENRICUS ALBERTIUS, Hafniensis, *vixit*. 1610.

JOHANNES HOPNERUS, Hafniensis. *obiit*. 1675.

CHRISTIANUS AAGAARD, Viburgensis. *obiit*. 1664.

Tomo secundo.

VITUS BERINGIUS, Viburgensis. *obiit*. 1675.

HENRICUS HARDERUS. Flensburgensis. *obiit*. 1683.

OLAUS BORRICHIUS, Cimber. *obiit*. 1690.

Et horum carmina, quotquot usquam vel typis excusa, vel æri incisa, vel in cippis sepulcralibus exarata, vel inter schedulas manuscriptas latentia ἀνεύρετα invenire mihi contigit, omnia, quâ potui diligentiâ, congessi; Neque enim majora Poëmata, quàm quæ commodè inseri possent, condiderunt.

Ordinem in illis disponendis quod attinet, talem observare constitueram, ut, qui prior ex vita decesserat, priorem semper obtineret locum, sed propositum mutare ea præcipuè de causa coactus sum, quod interdum Poëtæ, qui præmitti deberet, carmina quædam ex Patria transmittenda præstolarer, quam moram Typographo minus lucrosam solari aliter non potui, quàm ut illius loco alium Poëtam, non habitâ ordinis ratione, extraderem.

Quæ de cujusque vitâ haberi potuerunt, carminibus præmisi.

Quo-

Quoniam verò sunt, quæ de singulis adhuc dicenda essent, paucis sic habe:

Et quidem primùm de HENRICO ALBERTIO; quòd ex Poëmatis ejus nonnulla, nimirum quæ Borrichius *de Poëtis* recenset, inter Delicias Poëtarum Germanorum Parte prima, pag. 176. seq. reperiantur. Quô fine, ego certè non video, nam in Elencho auctorum, quorum scripta illo Tomo comprehenduntur, nomen ipsius satis rectè apponitur, quòd scilicet fuerit Danus. Ego ejus Poëmata ut Dani, Danis heic postliminio vindicatum eo, dum ipsius *Musæam adolescentiæ Venerem*, ex quâ pauca illa, de quibus diximus, deprompta fuerant, tecum, benigne Lector, communico. Illum autem libellum, Gissæ sub initio hujus seculi impressum & in Dania vix reperiendum, & fortè nec *Borrichio* visum, Dni. BALTHAZARIS MENTZERI, in Academia Gissensi Mathematum Professoris celeberrimi, & mei nuper hospitis exoptatissimi summæ humanitati debes: Is enim, quod Avo ipsius ipse Auctor obtulerat, exemplar dum mihi dono dedit, suæ Bibliothecæ quàm publicæ utilitati invidere maluit.

Sed &, ut in transcursu hoc moneam, idem quod ALBERTIO, observavi C. ERASMIO MICHAELIO LÆTO, itidem Poëtæ Dano, contigisse; nam idem Collector inter Germanos illius carminum specimen proposuit Parte III. pag. 823. seq. errore an amore, non dixerim. Si scripta LÆTI novisse desideras, *Borrichium* adi.

II. De JOHANNE HOPNERO; quòd prolixior ille Panegyricus, qui *Christianus Augustus* inscribitur, nunquam ante hac typis fuerit exscriptus.

III. De

III. De CHRISTIANO AAGAARDO; quòd ejus Vita à Filio ipsius Viro admodum Reverendo, doctissimo Dno *Severino Christiani Aagaard* sit concinnata. Eam autem non minus, quàm Carminum AAGAARDI magnam partem, ne dicam omnia, quæ vel ab Hæredibus impetravit, vel inter suas chartas servata protraxit, Vir maximè Reverendus & Celeberrimus Dominus PETRUS TERPAGRIUS, SS. Theologiæ apud Ripenses Lector, Amicus magnopere colendus, mecum humanissimè communicavit.

IV. De VITO BERINGIO; quòd illa duo carmina, quæ, dum in vita ipsius quæ scripsit recenseo, nondum à me reperta esse dixi, tandem se commodò obtulerint, ita ut inter cætera, quamvis posteriore loco, compareant; & quòd in vita ejus, dum verba ipsius BERINGII & quæ sequuntur ex Programmate Academico describo, non observaverim nomen Patris & annum emortualem, quod utrumque Lector fortè scire optaret, nusquam reperiri: Atqui potuissem, ut alibi à me factum, diverso literarum charactere ea in parenthesi interserere; quoniam verò neglectum est, & Lectori tamen aliquo modo satisfacere vellem, quomodo rem juvare potes, inter errata reperies.

V. De HENRICO HARDERO; quòd de vita ipsius, cùm carmina ejus typographo traderem, nihil adeò compertum habuerim. Pauca postea per literas edoctus sum, quæ, simplici stylo adumbrata, heic, si placet, legas:

HENRICUS HARDERUS in hanc vitam ingressus est Anno 1642. Beato *Borrichio* persuasum fuit, ipsum Hafniæ esse natum, quem fortè secutus

cutus *Henningius Witte* in Diario suo biographico, ubi pag. 129. Part. II. de hoc nostro loquitur; Sed si illis fidem adhibemus, quibus necessitudo cum ipso fuit, *Flensburgi*, quod Cimbriæ meridionalis oppidum est nobilissimum, primùm vitales auras hausit; & hanc sententiam ipse Auctor, omni teste major, confirmare satis perspicuè mihi videtur, ubi inter Epigrammata lib. II. num. 31. *Flensburgum* sæpius *urbem suam*, & cives *Municipes suos* appellat. Interim videre mihi videor, quid *Borrichium* huc deduxerit: nimirum ab infantia propè apud Hafnienses degit, quippe decennis admodum puer, Anno 1652. *Hafniam* venit, ibique in literis & liberalibus artibus porro erudiendus, Magistrorum curæ continuò commissus est. Ut autem in viam redeamus, honestissimis Parentibus HARDERUS noster est editus; Pater ejus fuit CLAUDIUS HARDERUS, cui in aula Augustiss. Regis FRIDERICI III. gloriosissimæ memoriæ, munus obtigerat Regias vestes cæterosque ornatus Margaritis ex arte disponendis reddere splendidiores. Superatis ab HENRICO nostro, quæ primitiis studiorum assignantur, subselliis, supremæ tandem classi in illustri Hafniensium Schola alumnum dedit, ibique sub auspiciis magni Viri, & promovendis juniorum commodis nati, Mag. *Georgii Hilarii*, non indignus tanto Præceptore discipulus aliquamdiu militavit, quemadmodum ex Epigrammate ipsius 67. lib. II. benignus Lector edoceri potest; donec ab eodem dignus æstimaretur, qui inter cives Academicos nomen suum tutò profiteretur. Circa Annum hujus seculi 63. in Prædio Insulæ Fyoniæ *Finstrup* formandis

dis Nobilium Juvenum studiis præfectus fuit. Quòd autem *Finstrupii* substiterit, & familiæ *Schultzianæ* cliens etiam fuerit, concludere licet ex Epigram. 25. 26. 27. libri II. Postea ipsum in Angliam profectum esse, & Danico apud Angliæ Regem Oratori *Christophoro Lindenovio* à secretis fuisse constat. Anno autem 1670. impetratâ ab illustri *Lindenovio* discedendi veniâ, Angliam reliquit, ut ipse testatur in carmine ad eundem Generosissimum *Lindenovium*, quod videas ad Num. 80. lib. III. Denique finitâ peregrinatione illustrissimo Comiti *Nicolao Frisio* studiorum moderator adjungitur.

Et hæc quidem sunt, quæ de Vita HARDERI mihi innotuerunt. Scripta ejus plura non vidi, quàm quæ heic eduntur. *Libri Epigrammatum* semel antehac fuerunt impressi; *Poëmation de Hafnia liberata*, ad exemplum, quod possidebat *Borrichius*, & fortè avtographum erat, descriptum, jam primum prodit. Quid de HENRICO HARDERO judicaverit *Borrichius* vide sis in Dissertat. ejus de Poëtis. Obiit *Harderus* Hafniæ Anno 1683. d. 8. mensis Januarii. Ossa ejus, in templo Divi Petri, in Tumulum paternum illata sunt. Vivat tanti ingenii Fama.

VI. De OLAO BORRICHIO; quòd præter illa scripta, quorum in Vita sua ipse mentionem fecit, meritò nominandæ essent præfixæ tot nostratium libris, ex decreto Regio, censuræ; quippe quarum singulæ ut incredibili artificio singulorum librorum scopum exhauriunt, & summâ sermonis puritate, eâdemque mirificè variâ Lectori se commendant, ita maximopere optandum esset, ut omnes aliquando in unum fascicu-

ſciculum collectæ typorum miniſteriô æternæ fierent.

Hæc nimirum, benigne & cordate Lector, de hiſce POËTARUM DELICIIS in anteceſſum monenda duxi; in quibus colligendis ſummâ non famæ tantùm, ſed & meritorum gloriâ illuſtres Viri, ipſe beatus BORRICHIUS, qui præter alia ſuorum carminum tam ineditorum, inter quæ *Amagria Vindicata*, quàm editorum, maximam partem mihi tradidit, nec non CASPARUS BARTHOLINUS Magni illius THOMÆ filius, & OLIGERUS JACOBÆUS, aliique Hafnienſis Academiæ Profeſſores Nobiliſſimi Excellentiſſimi, itemque Amicorum nonnulli magnam mihi opem præſtiterunt: quemadmodum etiam celeberrimus ille Chilonienſis Academiæ Polyhiſtor MORHOFIUS non pauca tranſeunti ſuppeditavit, & clariſſimus atque doctiſſimus TERPAGRIUS, quem ſupra nominavi, dum hîc apud exteros vivo, multa prorſus tranſmiſit.

Quòd ſi igitur ad Te, benevole Lector, ex hâc mea opellâ aliquid vel voluptatis redundare vel emolumenti poterit, æquum eſſe cenſeo, ut mecum unà his tam benignis adjutoribus debitas grates perſolvas.

Vale Lector, & collectarum DELICIARUM æquum, laboris noſtri benignum te præbe Cenſorem. Scribebam Lugduni Batavorum ipſis Id. Maji, ſtylo novo. M D C XCIII.

DE POETIS DANIS

Ex Dissertationibus

OLAI BORRICHII

De Poëtis Græcis & Latinis.

§. In Danis nec Heroicorum temporum *Scaldros*, *Runasque* & literata rhythmis saxa intuebimur, quo labore defuncti alii; nec HIARNUM ex Poëtâ Regem, quod ipsi cum Phrynicho Attico commune; nec SAXONEM GRAMMATICUM quinto abhinc seculo non minùs carminis, quàm historiarum, & sanguinis gloriâ illustrem; nec ANDREAM SUNONIS, Lundensem olim Archiepiscopum, clarum Hexaëmeri Epici scriptorem, nec denique KAMINTUM, Episcopum Aarhusiensem vetustum, cujus exstat Regimen contra pestilentiam, metro expressum; sed continebimus stylum intra nostram, patrumque, & subinde avorum memoriam, attacturi non nisi celebriores, qui publicis inclaruere monumentis. Hos inter, ratione instituti ordinis primus exsplendescit CHRISTIANUS AAGAARDUS: Reg. quondam Communit. Hafniensis Præpositus, & postea Rector gymnasii Ripensis, ditissimæ, & purissimæ venæ Poëta; quem si alterum dixeris Vidam, (scriptorem ipsi familiarissimum) à vero non aberraveris: ita ubique dictione castus fuit, & disertus, inventionis opportunæ argutiis subtilis, schematis bene natis creber, judicio in antiquorum scriptis firmato circumspectissimus. Nihil cultius, castigatiusque *Threnis* ejus *Hyperboreis*,

in

in obitum Augusti Regis, Christiani IV. quorum principium:

Excedit sors lava modum: geminantia Regum
Funera conspicimus miseri, viduumq; tiarâ
Corpus, & exsangui pallens Rectore tribunal.

Sed & *epos Homagio Frider. III.* dicatum omnium laudes provocat. In *elegiis* eidem promptus calor, nec minus gratiæ. Testis *acclamatio* Saxoni *Stephanii* annexa; testes *elegi* ad cunabula Salvatoris enarrati:

Dum procul excelsi pignus venerabile cœli
Nascitur, & proprium mater adorat onus;
Pastoresque stupent clamata bovilia tanto
Nixu, atque infantis conscia tecta Dei...

§. HENRICUS ALBERTIUS Hafniensis (quem nescio cur Poëtis suis annumerârint Germani) de *Sapientia* & *Veritate*, *Symbolo Regis Christiani IV. Ducibus Holsatiæ, Armamentario Hafniensi*, aliis, *elegos* scripsit non humillimi spiritûs: nec sine sapore *Anagrammata* ejus in Accilium *Brahe*, Enwaldum *Cruse*, Conr. *Aslacum*, Leon. *Metznerum*, Gell. *Sasceridem*, Jan. *Gruterum*. Unum hîc epigramma ejus apponemus, honori *Gruteriano* inscriptum:

Dimidiata dies fulget, Pyroisque suprema
Fert Hyperionidem per tabulata poli: (tus?
Quis novus hic claror? quos sentio pectore mo-
Mercurius venit, magne Grutere, tuus.
O quot sermonis de te dat edulia! quanti
Promus honoris adest, promus amoris adest!
Quàm cupidè gusto! quàm dulcis mattya succi!
Talia vix Juno miscet honora Jovi.
Vos Heliconiades, jam vestri claudite rivos
Nectaris: hoc nectar dulcius amne venit.

Nec

Nec plebeja est vena IOHANNIS AMERINI, Ripensis, cujus *lyrica* iterum legi digna sunt, *ecloga epica* de bello Dano-Suecico subinde satis incalescit.

§. BERTILUS CANUTIUS AQUILONIUS, Præpos. Ingelsted. præter alia opera, de *Altitudine Danicâ*, de *Perfectione Danicâ*, de *Danicæ linguæ cum Græcâ mistione*, de *mistione cum Latinâ*, *præter epistolas* ad genium Lipsii exaratas, *similitudines Atticas*, *lusus juveniles*, *declamationem polemicam*, *introductionem ad Poëticam Danicam*, *Manes Horatii*, scripsit *odarum libros duos*, *poëmatum plures* varii argumenti, in quibus plurima *epigrammata Græca*, multa *Latina*. Exstat quoque *epicon* ejus in memoriam Reginæ Annæ Catharinæ; exstat aliud epicon trecentorum versuum uno die effusum. Sed quis sperabit in omnibus parem ἀκρίβειαν? Sunt hîc rosæ plures, sunt spinæ nonnullæ: ad summam; in magnis gloriosi habentur conatus, licet non semper respondeat eventus. Opportunè ipse ad Momum:

Ingenium culpas jam nullum ad prisca venire,
Venasque, ut mundo deficiente, mori.
Sit novus Augustus Mæcenatesque resurgant,
Accrescant Acci, mox redeatque Maro.

§. CASPARUS, & THOMAS, BARTHOLINI, nomina in decus & immortalitatem literarum nata ad hanc etiam descenderunt Aganippen, ut adstruerent exemplo suo, non esse usquam eam ingenii magnitudinem, quæ non possit reliquas lauros suas hac laureolâ reddere illustriores. Præcipuè tamen intra elegos sese continuere, & epigrammata; genus argutum, incitatumque, quod

&

& otia distinguit honestissimè, & nullam reliquis studiis remoram objicit. Legitur, laudaturque Caspari *fasciculus Carminum*, & nata Musis obstetricibus, *epigrammata extemporalia*; leguntur Thomæ *Carmina* varii argumenti, eâ cupiditate, ut semper augeant relegendi desiderium, ita in omnibus certat cum ingenuitate nitor, & cum gratiâ acumen, non illud mordax, sed lætum, lectum, liberale. Utque ex unâ alterave fimbriâ judicemus de texto, ecce quàm masculum est quàm efficax illud in Augustæ Reginæ, Sophiæ Amaliæ effigiem epigramma!

Æmula cœlestis sunt hæc pia Numinis ora;
Quæ Juno credit, vel velit esse sua.
Hæc superos, regit illa suos Amalia Cimbros,
Imperio certent, utraque forma Deæ est.

Quàm plena eruditi salis allusio in epigrammate, quô D. Matthiæ *Fossio* applaudit, cùm Archiepiscopo *Svaningio* parentaret:

Immortalis Olor *variis demersus in undis*
Sydera jam, facili Numine, celsa petit.
Pervolitet quanquam Patriamque orbemque perennis,
Astra tamen pennâ candidiore placent.
Sat cecinit terris. Illi pæana canentes
Dicamus laudes, te præeunte, pias.
Anseribus fulmen, placidus venit inter Olores
Fossius, *ut* Cygni *prædicet ora sui.*

§. Vitus Bering, Historicus Regius, epigrammatum nitorem ad illud extulit fastigium, ut assurgere ulteriùs vix adeo sit mortalis industriæ. Videbis & elegos ejus teretes, animosos, fulgidos; & quoties libet, cothurnis incedentes, ita cujusvis argumenti onus hoc plectro fortiter susti-

ſuſtinuit. Epica attigit, ſed parciùs, &, more ſuo, magnificè, niſi quòd in longiuſculo opere ſpiritus ſubinde tantillum laſſaretur. Elegi autem ad ultimum vitæ terminum floridi, ſententiiſque denſi, nuſquam fatigato impetu. Quin & lyrica dulcedine, & nervis mixtiſſima. Nec hoc tam debebat lectioni multæ, quàm illuſtri genio in ſententias & acumina ſponte effloreſcenti, quibus & epiſtolæ ejus, & inſcriptiones, immò verò lætior illa converſatio quotidiana largiter inundabant. Meditata quin etiam ſcriptio ſoluta non poterat non ubique fateri Poëtam, immò cum *Drepanii Pacati* Panegyrico de conceptionum ſublimitate contendere. Acceſſit decor corporis ἀξιοθεράμβευτος, & corpori par animus, digniſſimum hoſpitium, ex quo Apollo frequentiùs concionaretur. Præter opera alia, ſcripta Poëtica reliquit varia, præcipuè nata honori domûs Auguſtæ, & placandis amicorum deſideriis, quæ utinam ſollicitiùs corrogarent Hæredes, ederentque, nè propagandæ meritò ad ſeram poſteritatem tanti Viri gloriæ non ſatis invigilâſſe viderentur. Quot Principum? Heroumque imagines hodieque epigrammatis ejus coruſcant. quot metra ejuſdem peregrinantur in exteris Regionibus? quot inter familiares ſparſa oculos adhuc, animoſque morantur? quibus omnibus tandem imminebit oblivio, niſi eorum æternitati typis proſpectum fuerit. Multum verò debet illuſtris Umbra curæ Ampliſſ. Viri *Th. Bartholini*, quâ effectum, ut legantur plures elegiæ ipſius inter carmina Bartholiniana, ſperentque legitimè immortalitatem. Sed quid illæ niſi ſitim excitant cæterarum? Hîc unum duntaxat ſigna-

 bimus

bimus epigramma, quod effigiem illustriss. Dn. Vice-Cancellarii Ovidii Julii comitatur:

Nomina, Roma, tua, & magnorum fata Quiritum,
Et quicquid virtus contulit una tibi,
Partimur tecum Dani, nostroque sub axe
Nomen, & immensum Julius omen habet:
Qui nexus, & pacta foris, & mutua Regum
Fœdera, nativâ conciliata fide,
Atque domi cunctos in se collegit honores,
Ingenio tanto, consiliisque pares: (nactus,
Quæque ingens laus una Viri est, moderamina
Integraque invictâ Regna tuenda manu,
Non domuit totum, sed juvit moribus Orbem,
Cæsareoque aliquid nomine majus habet.
Hîc nil, Brute, tibi est: Vitiis intactus & ira,
Et cœlo, & mundo judice, semper erit.

§. Huc referrem CLAUDIUM BORRICHIUM, fratrem, *heröico, elegis*, sed inprimis *lyrico* expeditum, & cotem quondam ingenii Beringiani, nisi eum à curâ Parnassi ad Sionis delitias munus sacrum deflexisset. PETRUS BORRICHIUS Herculem Xenophontis heröico Græco expressit non sine Venere. Est & TYCHONI BRAHEO, illustrissimo Mathematico, suus inter Poëtas locus, id quod non tantùm insigni elegiâ in Uraniam, sed & alterâ in secessum suum è Patria declaravit, cujus primordium:

Dania, quid merui? quo te, mea Patria, læsi
Crimine, quòd rebus sis inimica meis?

JOHANNEM FRANCISCI Rip. Medic. P. P. præter singularem Musices scientiam vatibus inserit liber Carminum Friderico II. Regi Daniæ olim inscriptus; nec minùs carmen de admirandâ oculorum fabricâ. HENRICUS HARDERUS,

RUS, Hafnienſis, heröici carminis gloriâ paucis hodie cedit, ut quem nec in inveniendo copia deficit, nec facultas in eloquendo. Argumento eſt non modò ejuſdem *Hafnia arctiori obſidione liberata*, ſed & recentiores ejus *Panegyrici Epici & elegiaci*, ita nervis & ſpiritu colligati, ut clarè manum Apelleam fateantur. Nec minùs artis, ingeniique eſt in *tribus* ejus *Epigrammatum libris*; ex quibus hîc tantùm producitur Goliathi epitaphium:

Ille Palæſtinis Dux formidabilis armis,
Non veritus cœlo bella movere gigas
Hîc jaceo, pars trunca mei, non igne triſulca
Non mihi fulmineo contigit enſe mori:
Frons fuit exitio, lævi perfracta lapillo,
At, niſi cùm perii, frons mihi nulla fuit.

§. PETRUS HEGELUNDIUS, Epiſc. Ripenſis non modò in enarrandis Phil. Melanchthonis epigrammatis verſatus eſt piè & eruditè, ſed in ſcenico etiam genere felix, *Suſannam* repræſentando decorum artis mirè cuſtodiit. JOH. HOPNERUS, Hafnienſis, Licent. Juris, otium ſuum inter Muſas ſeveriores, inprimis poëticas, nullo emolumenti, ſed uno honeſtatis intuitu glorioſè conſumpſit; in *elegis* ejus, quos illuſtri aliquâ occaſione provocante, ſæpe, & facile exprompſit, omnia plena jucunditatis, & Veneris. In *Heröicis* vis adhuc major, plus curæ, & ponderis; ex quibus hîc ex *Propemptico* ipſius in I. *Picartum*, inſignem Aſtronomum Pariſienſem, qui apud nos hyemem impenderat obſervationibus cœli, & cometæ tum noviſſimi, pauca adjiciemus:

Diique, Deaque omnes, quibus est pelagique, solique
Temperiem curare labos, atque aëris alti,
Jam cohibete minas . . . & circa finem:
Si sapis, ô Miles, tantum violare caveto, (ram,
Per se equidem placidum, sed si commoveris i-
Fulmine munitum Jovis, & vibrante Deorum
Armatum terrore Virum; nè fortè cruenti,
Cujus habet secum fumantem sulphure crinem,
In caput ipse tuum cieas portenta Cometæ.

§. Iohanni Iani, Viburgio, Præpos. Mönensi, quoties libuit, nascebantur elegi in ipsis propemodum labris, nec illi aut exsucci, aut otiosis farcti sine calce harenis, sed venusti, candidi, & liberè fluentes. Consulatur elegia, quæ ita infit:

Majus adest iterum, pars fortunatior anni,
Et redit è latebris Flora venusta suis.

Nec aliud persuadet ejusdem *Pax Redux.*

Andreas Kragius, Profess. Publ. Hafn. ita ex disciplinâ Rameâ accuratè resolvit Horatium de Arte Poëticâ, ut somniâsse ipsum in bicipiti vertice non dubitemus, quanquam opuscula, quæ in hoc genere concinnavit ipse, ostendere hodie non liceat. Johannes Laurenbergius, Profess. Soranus, quo erat ingenio ubique experrecto, & versatili, jam *epigrammata* scripsit, jam *carmina Græca*, quæ Homericis æquiparanda, jam *Latina*, quæ Juvenali germanissima. Procudit & *Satyras* idiomate Megapolitano, sed illas acerbissimè suaves, & suavissimè acerbas. Quin *Epithalamium* circumfertur *Satyricum* linguâ Danica exaratum, quod ipsi attribuit vulgaris opinio, in quo crebræ, & ingenio-

sæ

ſæ punctiunculæ. Sed ex latinâ ejus Satyrâ, quæ mores ſeculi ſatis mordaci perfricat aceto, illa ſola hîc recognoſcemus, quæ temere jurantibus exprobrat:

Septem Tiſiphonas, & bis ſex ora Megæræ,
Milleque Cerberei fauces, & colla moloſſi,
Et quicquid pallens nunquam conſpexit Aver-(nus;
Hæc jurat, caligas qui nondum puſio ſumpſit;
Et cui mollis adhuc animus dignôſſe negavit
Angues Eumenidum, aut recidivi pondera ſaxi:
At quos judicii gravitate peritior ætas (runt,
Imbuit, hi numerum ad digitos ſubducere nô-
Quot piceas habeant Acherontis flumina guttas.

JOH. LAURENTIUS, Canonicus Ripenſis, Ripenſium Epiſcoporum ſeriem, vitamque tetraſtichis comprehenſam edidit, opuſculum induſtriæ non pœnitendæ.

§. C. ERASMUS MICHAËLIUS LÆTUS, Prof. Hafn. avorum memoriâ inter cultiſſimos habebatur Poëtas, & hodieque non inter incultos; futurus haud dubiè cultior, ſi diutius lambere fœtus ſuos maluiſſet, quàm frequentiùs parturire. Fuit enimvero ab ingenio paratiſſimus, & adyta diſciplinæ hujus perveſtigavit omnia, promptus etiam faciliſque propemodum ad uſque extemporalitatem. Hinc tot operibus adhuc famam ſuam, decuſque tuetur. Superſunt *De Rebus Danicis* libri XI, *De Re Nauticâ* libri IV, *De Republicâ* Noribergenſium libri IV. *Colloquiorum Moralium* libri IV. *Margareticorum* libri X. ut *Bucolica* ejus, & *alia varia* prætereamus. Sanè *Philippus Melanchthon*, vir gravis, & Poëta ipſe, adeoque cenſor minimè inficiandus, non dubi-

tavit in epistolâ ad Frider. II. Daniæ Regem, in Erasmo Læto *venam uberem, splendidumque* laudare *carmen*, adeoque Augusto, *de tanto universæ Daniæ ornamento* gratulari. Vel sola ejus *Margaretica*, quorum initium:

Alberti Sueonum fremitusque, ac prælia Regis,
Magnanimosq; Duces, excitaq; gentibus arma,
Fortunæq; dolos canimus, populumq; ferocem,
Consertamque manu pugnam; quo Dania bello
Imposuit rigidis haud mollia vincula Gothis,

fatentur impetum planè poëticum: ita sagaciter invenit, distribuit, eloquitur, variat, ut assurgere ultra, illâ præsertim tempestate, paucissimis concessum fuerit.

§. THOMAS LUNDIUS, Ecclesiastes Helsingor. memoriæ juniorum consulturus universas latinæ Grammaticæ præceptiones metris illigavit, non inficetis illis, sed ut necesse est in spinoso adeo arvo, nonnunquam tortis, coactisque. ZACHARIÆ LUNDIO, Notarum in Aulâ Regiâ Friderici III. Magistro dexterrimo nihil tam erat in proclivi, quàm versus, isque non plebejæ monetæ, sed dulcis, candidus, sonorus. Juvenilis diligentiæ specimen jam diu versant, laudantque eruditi, associatum Carminibus Syndici Gedanensis Vincent. *Fabricii*. Sed quæ maturior ætas procudit, ut longè plura sunt, ita longè limatiora, dignissima, quæ in Sosiorum manus quàm primùm deveniant. Neque enim temere in his sacris perspicaciorem invenias *Lundio*, ita erat non modo ingenii ad omnia prompti, judiciique acerrimi, sed & infinitæ propemodum lectionis, indulgente quantamlibet librorum copiam illustri bibliothecâ *Seefeldianâ*. In quâ

natæ

natæ ipsi sunt luculentæ in Hesiodum notæ, ut cætera hîc non attingamus.

§. ANDREAM LYMVICUM, Prof. Hafn. Poëtam declaravit illa vastissimi corporis, & roboris Navis Suecica, Magelos, quæ cùm superiori seculo in pelago nusquam inveniret parem, Danis stimulos admoventibus, in cœlum ascendit; cujus festinato itineri *Lymvicus* carmine prælusit. LAURENTIUS MATTHIADES Jonæ prophetiam epico reddidit, non indocto. JACOBUS MATTHIADES pleraque libri primi Saxonis Grammatici metro reddidit. PETRI MEHRNERI, Acad. Hafn. Sub-biblioth. versus, quos & multos fudit, & non sine arte, dum florebat ætas, habitiores erant, ingravescente senio, de aridiori alveo testabantur. BERNHARDO MEJERO, sacerd. Hafn. feliciter cessit *Comœdia sacra*, cui nomen *Lampades*: filio autem ejusdem, JOANNI MEJERO, Rectori Rip. & meo olim Præceptori, vivacissimus erat in his sacris calor, multa lectio, firmum judicium. Rapiebatur magis ad elegos, in queis nihil usquam proletarium, aut stridens; quoties tamen argumenti gravitas ad epos invitavit, ostendit se oneri sufficientem. Inerrat adhuc sensibus meis nobilissima ejus *Concio heroica*, qua evocatis in sacellum Ripense doctissimis quibusque urbanorum, vicinorumque, ita depexit *Herodem* illum, infantibus Bethlehemiticis infestum, ut pudendam Tyranno infamiam crearet, sibi gloriam perpetuam. Sed & ejusdem *Manes Uldarici* Principis latè Poëtam declarant, & *elegi in Saxonem* Grammaticum.

§. JOHANNES MEURSIUS, Prof. Soran. præter Lycophronem, Phædrum, Theocritum,

Plautum, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, quos emendatiùs loqui docuit, poëmata scripsit varia, in quibus ars cum ingenio de præstantiâ contendit. CHRISTOPHORI LUDOVICI MUNTHENII, Prof. Poës. Hafn. memoria adhuc salva est, & honorata, non ob lucem modò Arati Phænomenis allatam, sed & ob Παρεκβολὰς Poëticas. JOHANNIS OLAVII, Ecclesiastæ Randrus. *Epigrammata* resplendent candore, gratiâ, acumine. *Epica* ejus insurgunt magnificè, *elegi* audent feliciter, succo ubique & sanguine pleni. Et nisi cœlestium cura clarissimum hoc ingenium ad alia studia maturè abstraxisset, haberet Arctos nostra, quod Euro, Notoque fortiter opponeret. In fidem dictorum sistimus poëma ejus gratulatorium iterato Frid. III. homagio nuncupatum, sistimus tot acclamationes Academicas, epigrammata, ex quibus unicum hîc allegabimus, honori Jacobi *Matthiæ* Episc. Aarhusiensis dedicatum:

Vir Divine, Diis quo nil vicinius Arctos
Hæc videt, ô famæ se superantis honor!
Da veniam, lavrus in te consumpsimus omnes,
Et tua jam virtus nomine pæne caret.
Si loqueris, delubra stupent, si carmina scribis,
Rustica jam Clio displicet ipsa sibi;
Nil superest suadæ; tua gloria possidet omnem,
Nil superest Musis; utraque palma tua est.
Sis tibi tu pretium: nostri hac infamia secli est,
In famam laurus non habuisse tuam.

Condidit & vernacula metra pari dexteritate.

§. JACOBUS-HENRICUS PAULLI, etiam Apollini gratus est, ita frequenter, feliciterque sudavit

ſudavit inhac palæſtrâ. Docent id *Epigrammata* ejus *promiſcua*, docet *carmen in Bibliothecam Wolferbytenſem*, docet *Homagio Friderici III. dedicatum poëma*, ut *alia* ex occaſione nata hîc tranſeamus. JOHANNI ISAACIO PONTANO, Helſingorenſi, Hiſtor. Regio Muſæ omnes faverunt, etiam Poëticæ. Exſtat *heröicum* ejus *honori Gruteriano* inſcriptum, exſtat aliud, quod mitram Doctoris Petro Bornio gratulatur, utrumque ſani coloris. Sub finem Bornium ita alloquitur:

Ergo quod ſuper eſt, Aſtræa nobile culmen
Scande libens, atque hinc tumidi ludibria vulgi
Deſpicito, & varios hominum componito motus,
Inflammato bonos, & refrænato furentes;
Ædifica nomen Themidos. Sic auguror aut mox
Falciferi exſurgent rurſus felicia ſecla,
Aut ſenſim ad terram è ſuperis Aſtræa redibit.

Ut mirari ſubeat, cur olim in frequenti doctorum Batavorum convivio, cui *Heinſius*, *Rutgerſius*, *Grotius*, aliique magni nominis Viri intererant, diu circumlatus ſit ille verſiculus:

Dic quid id eſt, quod majus erit, quò pluria demas?

tandemque reliquis tacentibus, cum omnium applauſu reſponſum:

Pontano demas carmina, major erit.

Niſi forſan, vergente in ſenium ætate, ut fit, aridior viſus ſit, aut in epigrammate, quò inclinabat *J. Frid. Gronovii* ſententia, frigidulus.

§. ERICUS ERICIUS PONTOPPIDANUS, Epiſcopus Nidroſ. Poëſin juveni dilectam nè in ultimo quidem ſenio colere, ejuſque dilatare pomœria deſiit, ſpectatus in hoc foro alacris,

quotiescunque argumentum sacrum, profanum, varium invitaret. Admonent tot ejus *Bucolica*, & *Epigrammata sacra*, admonet *Polyhymnia Danica*, *Systema Poëmatum*, *decantata versibus Aquila*, *Paraphrasis metrica in Cebetis tabulam*, *Ἐπινίκιον Græcum de Victoriâ Davidis & Christi*, *Apollinaris Coronatio*, *Panegyris in Coron. Friderici III. Centuria miscellanea epigrammatum*, *Aucupium Selandicum*, alia, & novissimè *Res terrâ, marique feliciter gestæ à Christiano V.* Augusto nostro. HENRICI RANTZOVII, Proregis Cimbriæ *Aula*, *Heroës*, *Epigrammata* suâ se commendant facilitate, & prudentiæ civilis flosculis exuberant. Quàm circumspectè Phaëthonteos socios alloquitur?

Adspicis ut Phaëthon rapido Jovis occidat igne,
Nil mirum: punit corda superba Deus.
Hîc veros habuit Clymenem, Meropemq; parentes,
Jactavit Phœbo se tamen esse satum.
Quin etiam conscendit equos, Solisq; quadrigas,
Atque suis impar viribus ursit opus &c.
Qui fueris, hic esse velis, sublimia vites:
Ultra qui sortem non sapit, ille sapit.

§. Quid loquar rotundos illos JOH. RHODII elegos, in gratiam amicorum fusos, sed iniquo fato post fata dispersos? quid JANI SADOLINI de Regibus, & Urbibus Daniæ epigrammata, atque Poëma de Coronatione Christiani IV? quid GEORG. THEOPH. SADOLINI elegidia in memoriam Christiani IV? quid JOH. SASCERIDIS Prof. Haf. carmina sacra librorum novem? quid Threnodiam NIC. SASSII in obitum Uldarici Principis? quid poëma FRID. SEVERINI de miraculis, quæ in tempus Nativ. Christi inciderunt?

runt? quid Cleopatram metricam I. THOMÆI STEGE, quid metricam ejus descriptionem Rerum Heroicarum Christiani Quarti; quid *epigrammata* NIC. THEOPHILI? quid *Transitum* CHRISTIANI TIDSTADII? in quibus omnibus nec artem, nec adeo genium desiderabis. Latiùs se se diffudit NICOLAUS PORTA TRYGONIUS, tum in *Elegiacâ illâ Proverbiorum Salomonis paraphrasi*, tum in Odis suis, anagrammatis, epigrammatis, plus tamen ubique conatuum attulit, quàm beatæ & vividæ amœnitatis. Nihil interea verius, quàm illud ejusdem:

Transit homo, transit favor, atque pecunia transit.
Transit & humanæ conditionis honos.

§. ERASMUS VINDINGIUS, Prof. Hafn. & Regius in Astrææ tribunali Consiliarius, maluit communiendæ auctoritati justitiæ insenescere, & nodos in jure Patrio dissolvere, quàm diu nodis, numerisque adstringere sermonem, futurus cæteroquin inter Artis Antesignanos, quod non modò Commentariis Euripideis, sed & Græco, quoties visum, & Romano poëmate, eoque splendido testatum reddidit. Docet id liquidò Ὠδὴ ejus ἐπιτάφιος in funere Augusti Regis Christiani Quarti. Quàm appositè claudit elegos suos in Saxonem *Stephanii?*

Sparge rosas, florem violarum, nectte coronas.
Saxoni & Stephano, Patria, sparge rosas.
Inscribatur opus saxis, & plena perennent
Laudibus æternis hæc monumenta tuis.
Sculpe opus in saxis, scriptoribus adde Coronas;
Conveniant rebus nomina clara suis.

Clarus quoque in hoc theatro filius, PAUL. VINDINGIUS, & ipse Prof. Hafniensis; nec minùs, affinis ejusdem OLIGERUS JACOBÆUS, & is Publ. Professor. Clari olim gemini ANDR. WELLEJI, hic *Græco versu*, ille *idylliis*. Nec inferior SEVER. WELLEJUS, præsertim elegiaco. HIERON. WEITZIUS, Prof. Soran. natalem Christiani Principis veneratus est carmine eleganti. ADAM FRID. WERNER, Not. Publ. epigrammate valuit & latino, & Teutonico. WILLICHII WESTHOVII, Com. Palat. Canon. Lund. opera metrica plura exstant, *poëmata, epigrammata, emblemata, homiliæ poëticæ, melydria*, alia, in quibus tamen non rarò frequentior scandendi montis ardui impetus scandentis assiduitate refrixit, subinde tamen sic satis recaluit, ut in emblemate canis fœnili incubantis:

Incubat arctato fœni canis hirta maniplo,
Ac depasturos nequiter arcet equos.
Hinc patet invidiæ nimiùm crudelis imago,
Privat sorte alios, quâ nequit ipsa frui.

§. PETRUS WINSTRUPIUS, Prof. olim Hafn. sed postea Lundensis Episcopus magni nominis, & meriti Theologus, lusit juvenis vario vincti sermonis genere, inprimis tamen epigrammatis, quibus paullatim senior tantum adjecit, ut in volumen denique spissum desineret industria. In quo illam propemodum solus laudem meretur, quòd nihil invium esse paronomasiæ ostenderit, quem hactenus fontem acuminum parciùs aperuere cæteri, sive quòd minùs masculum crederent, & sæpe propiorem coacto, sive nè inter fastidita æstimaretur, eandem crebriùs tun-

tundere incudem. Non libet hîc plures trutinari, ne ultra institutum excrescat commentariolum: alioquin laudandus mihi adhuc esset TRUGILLUS ASLOVIUS cui *Prosodiam Græcam* & *salve Noricum* debemus; AURELIUS BENTZONIUS, cui suaves elegos; JANUS BERGENDALINUS, cui *Pia Otia*; CLAUD. CHRIST. BRAMENSIS, cui Scandiæ præconium; ANDREAS BREMERUS cui librum Poëmatum; JOHANNES FRID. CERVINUS cui *metricam orationem* in Natalitia Salvatoris; JONAS COLDINGENSIS, cui carminum libellum; OL. FIELCHIUS, cui Συγχαίρειν *Epicum*, & *metricas*, idiomate latino, & Danico *conciones*; ARNOLDUS DE FINE, cui *elegos de Incendio Bergensi*, & aliis; P. FLEMLOSIUS, cui eclogam de eclipsi solari; CLAUDIUS FRISIUS, cui integram *versuum retrogradorum* sylvam; HENR. GARDER, cui poëma de *Strenis*; HALVARDUS GUNARIUS, cui paraphrasin metricam Euangeliorum Dominicalium, & varia alia; MAGNUS GUNTZOVIUS, cui *Bucolicon Bethlehemiticum*; JACOBUS HASEBARDUS, cui epithalamia, GEORGIUS HUBERUS, cui *epigrammata*, & *Acta publica* in carmen induta; PAULUS KYSIUS cui Ὠδὴν ἐπιγραμμαϊκήν; JACOBUS JACOBI, cui expressum carmine *Chronicon judaicum*; JANUS DION. JERSINUS, cui Heroicon de *officiis discipulorum*; P. KONGSBACH, cui synopsin Religionis Christianæ metricam? MICH. LEIGH, cui Epigrammata; JOHANNES PRATENSIS, cui elegos; REGELIUS REGELII, cui varia poëmata; ELIAS

RESENIUS, cui *metricam* de Nativit. Christi *orationem*; PAULUS RUTINGIUS, cui *anagrammata*; HENRICUS VALENSBECH, cui *metricum* Obsidionis Hafniensis *Diarium*; JACOBUS WOLFIUS, cui *Tragœdias*; sed infiniti operis est percensere universos.

§. Quin & rhythmorum Danicorum nitor eò se usque hodie evexit, ut cum quavis Europæâ linguâ de suavitate & gratiâ audeat contendere. Balbutiebant olim vernaculi numeri in PETRI LOLLII, sive Legistæ proverbiis, in Cantilenis Heroum ANDR. WELLEII, in Artificiis Vulpinis SCHOPPERI, in Satyris JOHANNIS SCANI, & SEVERINI TVILLINGII, in Eclogis Virgilianis Danico rhytmo expressis à PETRO JANI RIPENSI, immò subinde in sacris Ecclesiæ Cantionibus: verùm ex quo ANDREAS CHRISTIANI ARREBOE non modò psalmos Davidis metris Danicis feliciter illigavit, sed & Hexaëmeron *Bartasii* majestate dictionis nostratis propemodum vicit, cœpere erectiora quædam ingenia excutere intentiùs Silenos hos Alcibiadis, & admirari novissimè latentes in hac linguâ divitias. Utque certis præceptis in posterum munirentur Poëtæ nostri, effecere JOHANNES MICH. CORVINUS Heptachordo suo, & Rhythmologiâ Danicâ, SEVERINUS PAULLI GOTHLANDUS Prosodiâ vernaculâ, ERICUS PONTOPPIDANUS, & PETRUS SEPTIMIUS aliis atque aliis additamentis. Splendor advocatus est numeris non modò ex Rhetorum schematis, & acuminum gratâ varietate, sed obsoletæ quoque voces elimatæ iterum, more Italorum (quibus ii demum magnifici rhythmi, qui

pluri-

plurimum ex *Dante* accersunt, contra Galli nihil adeo hodie debere volunt suo *Ronsardo*) quin & Belgarum hyphen à Scaldris nostris invitatum decentissimè se accommodavit. Primus ab *Arreboënsi* in publico cum applausu surrexit SEVERINUS TORCHILLIUS, cujus dictio in Astræâ Danicâ non cothurnata quidem, sed nativa, suavis, candida. Hunc non tam facilitate, quàm coloribus, & robore supergressus est ANDREAS BORDING, firmavitque etiam in Aulâ patrii carminis majestatem. Supervenit JOHANNES WILHELMIUS, & is in Hexaemero suo graviter disertus. Excitavere alios horum encomia, qui his partim alis, partim suo remigio gloriosè adhuc auras circinant: in quibus hodie eminent THOMAS KINGO, Episc. Fion. JANUS SEHESTED, MATTHIAS WORMIUS, ANDREAS CLAUDIANUS, CLAUDIUS LUNDIUS, HENRICUS GERNERUS, alii, quorum opera immortalitatem sibi justè pollicentur. Inter Poëtrias Danicas jam olim celebris erat illustris Tychonis BRAHÆI SOROR, & hodie DOROTHEA ENGELBRECHTIA Bergensis, à sacri carminis facilitate & nitore commendatissima. Et de Poëtis illustrioribus hactenus.

COLLECTORI GRATULANTUR PATRONI ET AMICI.

Florentissimo civi, Amico dilectissimo,
D N. FRIDERICO ROSTGAARD
Cùm *delitias Poëtarum Danorum* publicaret.

Ergone quæ sparsis volitârunt carmina mem-
Nescia fortunæ (sors ita dura) suæ, (bris,
ROSTGAARDE, Hafniaci decus, & nova gloria
Colligis, & fato nobiliore beas? (Pindi,
Macte insperato, quo nil generosius, ausu!
Quo Patriæ in laudes sanctiùs ire nequis.
Hæc pietas, hæc prisca fides, hæc Dia voluptas,
Detrahere instanti semicremata rogo:
Vidisti Hippolitos variis in curribus actos
In mortem celeres præcipitare rotas;
Vidisti nullum, quæ nostri incuria secli est,
Sistere cornipedes, & revocare gradus;
Unum te opponis: ne tantum injuria possit
Temporum, & hæc Patriæ lumina obire vetas,
Hoc meritum, ROSTGAARDE, tuum est, ut Patria reddat
Et sine nube dies, & sine morte decus.

OLAUS BORRICHIUS.

30. Julii. 1690.

EIDEM.

I.

Per Te Danorum revirescit gloria Vatum,
Quæ jacuit tacito semisepulta rogo,

Sed

Sed Te posteritas ipsis his Vatibus addet,
Cumque tuo illorum nomine nomen erit.
Dumque vident illi, docto Te vindice, lucem
Ipsa Tibi præfert Calliopéja faces.
Quò patriæ pietas, quò Te rapit ardua virtus
Ibit & ipse comes non periturus honos.
Ætatem ingenio vicisti, vota tuorum
Felici reditu mox quoque vince, vale.

2.

Poscuntur vario multum diversa palato,
Deliciasque sibi quilibet ipse struit.
Te pascit, tineas quod jam pascebat inertes,
His gaudes epulis deliciisque frui.
Esca tamen docto non est spernenda palato,
Quam cerebro *Phœbus præferat ipse* Jovis,
Ex his deliciis *notus, semperque futurus*
Delicium Musis, deliciumque mihi.

HECTOR GOTTFRIED MASIUS.

AD EUNDEM.

Quam non Augusti Mæcenatesque dedissent
Tu patriis vitam Vatibus ergo dabis?
Macte novis cœptis ROSTGARDI! Si data quer-
Servato quondam cive corolla fuit; (na
Laurea servatis veniet Tibi Vatibus, & Te
Musa mori, Divos cum facis, ipsa vetat.
BORRICHII Aoniis ducetur fama triumphis,
Æternum Patriæ Pieridumque decus.
Quod non BERINGUS, quod non AAGARDUS, & omnes
Quos cumulas, nomen? quas meruere faces?
Miran-

Mirantur Vatum ſeptem nova regna triones.
Indice Te tantas Dania novit opes,
Doctior has orbis, venientia ſecula diſcent;
Ille tuas curas laudat, & iſta tuas.
Arctoo latè dominentur frigora cœlo:
Pectora Phœbéo ſed tamen igne tument.
Non tantum Heſperidum poma aurea carpimus hortis:
Aurum etiam nobis ex Aquilone venit.

Scr.
D. G. MORHOFIUS.

EIDEM.

Plorabant abſconſa diu, neglectaque paſſim
Per loculos miſerè, velut orba parente, jacebant,
Cœleſti quondam quæ ſtatu fuſa ſubinde
Carmina vulgarant Arctoi lumina Phœbi.
Aſt rigidæ fatum ſortis miſeratus iniquum,
Cui genus & genius, mens gens, decus artis & ortus
Pectus avens ſtudiis inflammavere ſacratum,
ROSTGAARDUS, *noſtri jam gloria magna Lycæi,*
Proferet in lucem, mundo viſenda daturus,
Venturæ fauſto præludens omine famæ.
Quid ceſſas? liceat quod ſentio dicere, vellet,
Priſca foret ſi Roma, ſuis adſciſcere Danos
Civibus (ô magni jus factum!) ſponte Poëtas.

JOH. NICOLAUS HERTIUS J. U. D.
& Prof. Publ.

Giſſæ Nonis Martii
MDCXCII.

Nobi-

Nobilissimo

Dno. ROSTGAARDO

Româ Giessam misit.

CRedidit ignarus Boreæ tacuisse Poëtas,
Et dulce Arctoos dececinisse melos.
Sed caput extollit *Danorum* sanguine cretus,
Et decus & Patrii stirps generosa soli.
Vis, *inquit*, Danos, vis Cimbros nosse Poëtas?
Vis ubi sceptra metri scire Minerva vibrat?
Talis in Hafniaco sedes fixere Lycéo
Flectere quam docuit, turba, Thalia modos.
Omnes judicium laudent, mirare laborem
Esdreæ similem, gens recutita, novum.
Utpote inexhausti feliciùs arte metalli
Texere *Masoram* se didicisse probat.
Sacra Poëtarum variis divisa sub umbris
Qui nectit mœsto metra dicata rogo.
Nobile opus, simul & *sacrum*, nam jure vocari
Sepes, quæ Themidi *sacra*, *profana* nequit!
Sors non una Viris ideò est, non una libellis,
Arcum carminibus tendere Apollo solet. (tas
Quæ, meminisse pudet, Scaldris, quæ tristior æ-
Contigit, & tantis secla inimica Viris!
Hosne mori voluit tristemq; redire sub orcum
Sors, quia ROSTGAARDUS tunc sine luce fuit?
Sic *Dano Dani* laurum connectite, & omnes
ROSTGAARDO viridi cingite fronde caput,
Nam, sorde abjectâ, servare *Poëtica* mella
Nemo, *Poëta* nisi, judiciose, potest.

J. STEINBOCK. *Danus.*

EIDEM

EIDEM.

Viderat Arctous Vatum jam scripta suorum
Phœbus, inhumanis fata abolere rogis,
Nempe, Poëtarum quæ fœcundissima, quæque
Nunc Helicon Musis omnibus alter erit
Dania, post mortem divinis Vatibus orba est,
Nullaque defunctos posthuma fama legit.
Hippolyti Medicus quis erit mihi carminis, inquit,
Colliget in solido quis mea membra libro?
Cerno vetustatem lacerâsse volumina Vatum,
Hincque illinc letho victima sæva jacent.
Impia & in Vatum gemina est injuria manes,
Si meus absque omni vindice cœtus erit.
Estne, cruentatas partes qui corpus in unum
Contrahet, estne Auctor qui mihi tantus erit?
ROSTGARDUS *Danæ lectissima portio gentis*
Lugdunum Phœbi numine plenus adit:
Illum animat, Vatumq; illi commendat amorem,
Quos mundo illustres Dania celsa dedit.
Hicque amor exercet curis ingentibus illum,
Et studium in Musas jam vocat omne suum.
Edita sub Batavo sic Laurus Danica cœlo
Tam nitidis nasci gaudet amatque typis.
Sicque domi genitos peregrina puerpera versus,
Ut mundo adsuescant bis placeantque, polit.
Gratia ROSTGARDI *est, Danæ nova gloria gentis:*
Illeque Pierias nil amat ante Deas.
Vita Poëtarum cupit esse perennis, & inde
Porro Poëtarum fama perennis erit!
Delicias Vatum qui famæ exordia fecit,
Delicium Patriæ grande erit ipse suæ.

Quem-

Quemq; immortalem Patriæ facit esse Poëtam,
Illum immortalem quisque Poëta facit.

LUDOVICUS HENRICIUS PONTOPPIDANUS

Eccles. Cathedr. Aarhusiensis Pastor Primarius, Canonicus & Præpositus.

EIDEM.

DAnia tolle caput, tibi fama cacuminat aures,
Et de te solito plus cupit ore loqui.
Tinnula de patriis quid vulgat vatibus, ut sis
Mundi delicium, Cimbrica Cyrrha, novum.
Mars & Apollo suis ineunt pia fœdera lauris,
Et gemini studium, Dania, grande Dei es,
Cœlestes patriâ certant de laude Patroni,
Et causam faciles ambo clientis agunt.
Dania, desvetum longo tibi tempore Martem
Aspicis, atque hospes pax tibi læta fuit.
Lustra aliquot ferro, taboque, virisque, carebant,
Quos stimulat demens ad nova bella furor.
Aula Caledonium Martis migrabat in orbem,
Cladibus hic fruitur sanguinolenta suis.
Urbibus atque aris comites venere ruinæ,
Pro regnis bellant hinc gener, inde socer.
Dum totam tristis discordia turbat Iërnem,
Auxiliisque auget, Gallia, damna suis,
Terrarum exuvias perituris classibus æquor
Cernit, & incensas strage cruentat aquas.
Bellorum tantâ dum tempestate Gradivus
Affligit muros, Arx Lemericha, tuos.
Dania, jam tanti auxilium fatale tumultûs
Te vocat ad partes Marsque, salusque pias.

Inde

Inde ſalutiferas ad caſtra Britannica turmas
Mittis, & hæc laudis maxima palma tuæ eſt.
Invadunt Cimbri gladiis victoribus arcem,
Et Vurtenburgus Dux tibi, Cimber, erat.
Per mundum Dani nunc gloria militis omnem
Ambulat, hocque decus, Marte favente, geris.
Quæque ſolet Martis præcedere fama triumphos,
Hæc te Phœbæa jam quoque laude præit.
Nam te Phœbus amat, multoque Helicone coronat,
Ipſaque Parnaſſi culmina Cimber adit.
Multus Apollo tuos jam circum tempora vates
Carminis irradiat nobilitate ſui.
Laurea divinos inter diviſa Poëtas
Floruit, & laudis præfica penè ſuæ eſt.
Flaccida facta ſuos prope funeſtabat honores,
Præſidiumque optat, fama miniſtra, tuum.
Irrita ſæpe, premunt mors & convitia vates,
Immoritur tacitis Muſa ſepulta libris.
Donec adorandus defunctis vatibus author
Advenit, ingeniis altera vita ſacris.
Demere qui noſtris natales verſibus umbras
Vellet, & in lucem Sol pius eſſe novam.
Collo opus illuſtri, magnoque authore Poëſis
Noſtra ſuæ famæ reſtituenda fuit.
Nempe ferat cœlum ſi non cervicibus Atlas,
Stelliferi rueret machina tota poli.
Ille humeris geſtat fluitantis in æthere molis
Corpus, & aſtriferi eſt vita ſaluſque globi.
Inclyta qui patriæ vates ſunt ſidera noſtræ,
Jam lapſura ſuo ſunt ſibi viſa choro.
Jam formidabant venturæ fata ſenectæ
Et caſum Laurûs exequiaſque ſuæ.
Ecce Deo plenus patriæ ſe vatibus Atlas
Obtulit, æterno dignus honore coli,

Rost-

ROSTGAARDUS patrii exemplum venerabile re-
Portitor hic regni, noſter Apollo, tui, (gni
Conſecrat edendis immenſum verſibus aurum
Poſtque Poëtarum carmina ponit opes.
Plaudite jam vobis hederæ poſt funera Danæ,
Nunc vates famæ jus Aquilonis habent.
Jam paſſi ſuperant tenebrarum ſceptra Poëtæ,
Admittuntque ſuam nomina ſancta diem.
Cimbrica jam mundi ingreditur facundia circum,
Et Danos numeros cuncta theatra ſtupent.
Fama Poëtarum jam terras ſalva per omnes
Sed, ROSTGARDE, tuo munere ſalva volat.
Vivas! & meriti pleniſſima gaudia tanti,
A multum gratâ poſteritate feras.
Pro modulo ingenii reddam tibi præmia noſtri,
In laudem famæ vox ero parva tuæ.
Non poſſum plenis tibi nomina ſolvere velis,
Oceanum tantum non mea navis adit;
Hic calamus tibi linter erit, per littora curret
Atque oras famæ naviget ante tuæ.
Vormius Arctoi qui gloria maxima Phœbi eſt,
Ad Belgas cujus tantus ab æde venis,
Ille tuis laudem referet virtutibus omnem,
Cum reducem mox te Dania noſtra videt; (nos,
Mars & Apollo ſuos, duo Numina amantia Da-
Hæc duo ROSTGARDI Numina nomen ament.
Privatam patriæ laurum jam quilibet adfert.
Ambo ROSTGARDO publica Laurus erunt.

Randruſii Cimbrorum
16. Januarii 1693.

JOHANNES OLAVIUS.

EIDEM

EIDEM.

FOrtè renaſcentem Zephyrus tepefecerat orbem,
Floraque purpureas ſolverat alma comas,
Et reſonant virides Philomelæ queſtibus umbræ,
Vocalique ſtrepit garrula rana lacu:
Cynthius ut ſolus mediâ eſt propè luce repertus
Candida gramineo membra levare toro;
Et volucrum ambroſiis vacuus dare cantibus au-
Et, quæ Caſtalio fonte ruebat, aquæ. (res,
Innuit; aufertur; molli oppreſſuſque ſopore,
Morpheos, occluſô lumine, regna videt.
Illico ſucceſſit trias intemerata Sororum,
Candidulô geſtans ſcripta polita ſinu:
Conſiſtunt tacitæ, fandi molliſſima captant
Tempora, poſt ſomnos evigilante Deo;
Ilicet evigilat; placidæ duo lumina frontis,
Fulgor ut Eoo miſſus ab axe, nitent.
Et prior: ô Charites, Charites, ſalvete; ſed ecquod
Marmoreô teritis pollice, dixit, opus?
Subriſere Deæ, ſimul oblatiſque libellis,
Has Tibi delicias Dania, Phœbe, dedit.
Dania? reſpondit, nobis hæc Dania mittit?
(Et ſimul argutum tradere juſſit ebur.)
Nec mora; dulciſonam docuit reſonare poëma,
Quod dederat quondam Cimbrica vena, chelyn.
Vanus ero memorans, quis tunc volucreſq; feraſ-
Qualis & invaſit frigida ſaxa calor, (que,
Ipſe velit Phœbus, totus vertatur in aurem,
Sic venus exhibiti carminis illa placet.
Verſus & ad Divas; at tandem dicite, cujus
Munere tam vegeti eſt copia facta metri.
Audiit: hanc totam laudem ſibi vendicat unus
ROSTGAARDUS, Dani floſque decuſq; ſoli;

Is

Is Vatum ſparſos artus collegit, & almâ
Carmina funeribus proxima luce beat:
Forſitan & quondam non inferiora daturus,
Has Tibi primitias ſi placuiſſe videt.
Non ſe, non tenuit Phœbus; ſurrexit, & ultro
Occupat amplexu Numina terna ſuo:
Atque diu niveis cupidè cervicibus hærens,
Baſia mille dedit, baſia mille tulit.
Veſter, ait, tanto Phœbus pro munere, Veſter,
Dum celſus ſteterit Pindus & Hæmus, erit.
Finiit. abſcedunt. Dius mox ordo, Camœnæ
Ter ternæ, Domini voce jubentis adeſt.
Quæritur, an quicquam Divini carminis aures
Attigerat, nuper Phœbo animante lyram?
Nempe nihil, dicunt, niſi ſi levis aura vel Echo
Fortè quid ad noſtros miſerit uſque lares.
Ergo iterum doctis fidibus nova jungere metra
Cynthius; & liquidos ſaxa referre ſonos;
Dulcis & attonitas propè dementare puellas
Muſica, cœleſti Muſica digna choro. (ſtro,
Subſtitit. Et fas eſt, ROSTGAARDO præmia no-
Qui dedit hæc nobis otia, demus, ait:
Ite piæ mentes, roſeis date Nomina ſertis,
Nomina narciſſi candidiora nive.
Et ſemel hæc audiſſe ſat eſt; exquiritur omnis
Litera tam clari Nominis, omnis apex.
Excipiuntque notas cerâ; (ceram ſibi nuper
Floribus hyblæis dia pararat apis)
Sex ſibi Calliope, ſex Clio ſumpſit, at ordo
Non niſi tres reliquus, nomina tota Viri.
Itur ad areolas & odoræ Chloridis herbas;
Pollice virgineo lilia rupta cadunt;
Balſama cum violis, hyacinthis, iride, caltha,
Laurus, & Idaliæ, germina verna, roſæ;

Et crocus & nardus, myrtis quoq; juncta myrica,
Præbebant charis florida ſerta notis.
Inde revertuntur (ſed queis niſi terna corolla
Non nectenda fuit, præripuere gradum)
Inde, inquam, redeunt; prout acceſſereq;, cunctæ
Ante ſuum Phœbum nomina pulchra locant.
Ille coronatas ter denas treſque videndo
Literulas, avido lumine verba legit:
IS SANE FIDI FULCRIS GRADIATUR HONORIS; ‡
Rostgaardi hæc noſtri nomina, quærit, (erunt?
Sunt, inquit Clio; nam quas modò cuique dediſti,
Has Tibi, non alias, reddimus ecce notas.
Ergo, ait, omen habent Friderici nomina? pulchrè.
Mactemus votis omina læta novis.
Is ſanè fidi fulcris gradiatur honoris.
Fulcrum labe caret, fine carebit honos.

‡ FRIDERICUS ROSTGAARD JOHANNIS FILIUS
Κατ' ἀναγραμματισμὸν hunc verſum genuit
IS SANE FIDI FULCRIS GRADIATUR HONORIS.

Amico ſuaviſſimo
Hoc quicquid eſt intemerati candoris monumentum
p.
Laurentius Thura.

Lugd: Batavorum pridie Id.
Maji MDCXCIII.

EIDEM

EIDEM
Sylvam Poëtarum Danicorum edenti.

QUid mirum gelidô tristes Helicona sub arcto
Musæ cum doleant obriguisse gelu,
Laurusubi crescit, gestanda corona Poëtis
Quâ fieret, Danis sylvula nulla fuit.
Danorum quondam Vati diadema dabatur;
Vatibus at cur jam nulla corona datur.
Ingrati nimiùm, quis, marmora vestra politô
Carmine qui tandem condecorabit, erit?
Dum finitis Vatum documenta rubigine perdi,
Et lacerata nimis scripta polita jacent.
Hoc doluisse vident ex Danis omnibus unum
Musæ, quod fieri non sine laude sinunt;
Ipse politus homo quemvis ferrugine Vatem
Danorum ROSTGAARD *quippe perire vetat,*
Dum mirè natos, queis fiunt serta Poëtis,
Flores sollicitâ colligit ipse manu,
Dumq; aliis sua serta parat, cingantur & ipsi
Tempora, queis Vatum lilia Flora lege,
SYLVA POETARUM *jam sparsos collige flores*
Et sertum ROSTGAARD *quô redimatur erit.*

GREGORIUS ZIMMER.

EIDEM.

CElta, Italus, Scotus cum Pannone Teuto, Bavtavus
Jactet *Delicias* ordine quisque suas.
Enumerent alii Divino stemmate Vates,
Cunctaque Apollinei nomina celsa chori:
Et sua, quæ numeret, fert Dania Lumina Vatum,
Et sua, quæ jactet, Numina Danus habet.
Ut patet ungue leo: scriptis sic fama Virorum
Proditur, & pretiô statque caditque suô.

Perlege *Delicias*, genuit quas Patria, Lector,
Daniaci dices ſanguinis eſſe Deos.
Quot numeres chartas, divæ tot flumina mentis;
Quot verſus, Veneres tot numerare licet.
Nil tineis dignum, blattæ nil dentibus aptum:
Delicia Pindi nomen & omen habent.
Haud ſecus ac frondes ventis ſparguntur in auras,
Et lacerantur ovis viſcera dente lupi,
Arctoa hæc Pallas jacuit, miſerabile viſu,
Per loca mille truci dilacerata modo,
Et pedibus calcata gemens, damnata tenebris
Cimmeriis, turpi ſquallida tota ſitu,
Donec ab interitu Muſam malè reſpirantem
Miſſa polo Medici vindicat arte manus:
Reddita Muſa ſibi Victrix de morte triumphat
ROSTGAARDI doctâ ſubvenientis ope:
Cernere nulla licet veteris veſtigia formæ,
Et dolor, & ſordes, & ſitus omnis abeſt.
Jamque novo incedit Danorum Pallas amictu,
Omnibus & tinctâ murice veſte placet.
Digna libro facies, ROSTGAARDI digna labore,
Dote hac, non aliâ grata futura Procis.
Delicias Patriæ pandenti Patria ſurge,
*Delicio*que tuo præmia digna refer.
Donec erunt, Boreæ memorant qui facta, Poëtæ,
Nobile ROSTGAARDI nomen ad aſtra ferent.

CHRISTOPHORUS de HEMMER.

Lugd: Batav: d. 1. Maii 1693.

EIDEM.

Phœbêæ luces, Arctoi ſidera cœli,
Et clari Martis fulmina ſumma Dei,
Quòd radios ſpargant, & cunctas lumina in o-(ras
Diffundant, vaſtum quà patet orbis iter,

Hoc

Hoc Tibi debetur, ROSTGAARD *Celeberrime;*
alumnos
Obstrictos meritò Martis & Artis habs
Addiderant Ducibus decus immortale Poëtæ,
Sed sine Te vanum nomen, inersque decus,
Ille æternus honos aliquot post lustra periret,
Et tegerentur humo fama cinisque simul:
Nostri quæ fuerant nempe admiratio secli,
Venturi possent hæc abolere dies, (*que,*
Sparsaq; quæ volitant in præsens carmina ubi-
Hæc in conspectu nusquam aliquando forent.
Sed prohibes, mergiq; vetas tot nomina Vatum,
Et tot Hyperboreûm nomina celsa Ducum.
Per Te posteritas olim serique nepotes,
Ætas quæ vidit nostra, stupore legent,
Pendentes dubii, magnis Ducibusne Poëtæ
Præstiterint, magnis Vatibus anne Duces?
Annorum Danais bellum tot inane fuisset,
Ni prudens Ithacus suppeditasset opem,
Annorum Danis studium tot inane fuisset,
Ni succurrisses Sedulitate Tua:
Tu minor ætate es vernans juvenilibus annis
Illo, sed major laudis honore manes,
Ille urbem Danaos tantùm perrumpere fecit,
Ast orbem Danos Tu peragrare facis.

J. SCHUMACHER.

AD EUNDEM.

ΔΩΔΕΚΑΣΤΙΧΟΝ.

DANIA, terrarum non ulli laude secunda,
Inscribi Vatum gloria prima meret,

Vivat BORRICHIUS ! quantùm vel sidera lunæ,
Concedant Musæ carmina cuncta tuæ.
Divina æternùm BERINGI vena perennet,
Nec Lethes unquam flumina nigra bibat.
HOPNERI, dum cedrus erit, dignissima cedrô
Carmina inauratis stent relevata notis.
Quid loquar AAGAARDI numeros? quid structa
Metra, Maronæis assimilanda modis? (cothurnô
Quid lepidas, HARDERE, tuas memorabo Ca-
Argutô effugiunt fata rogumq; pede. (mœnas?
Nota satis nostro, nec erunt ignota futuro
Orbi tantorum nomina magna Virûm.
Hoc opis est, ROSTGAARDE, tuæ; Tu nomina
Asseris, & fatô posse perire vetas. (tanta
VINDICE te Vatum nostrorum gloria vivit;
VINDICE te Vatum patria vivit, ovat.
DANIA vivit, ovat; gratesque habitura decentes,
Quintuplicem laurum te meruisse putat.
Nempe, quòd hæc sine te patriæ monumenta pe-
rissent,
Omnis in unum te jure redundat honos.
Quot rediviva facis summorum carmina Vatum,
Tot laurô viridi carmina digna facis.

IN NOMEN EJUSDEM.

FREDERICUS ROESTGAARDUS DANUS.

Anagramma

FER RADIOS, DECUS SURGET AD URNAS.

Cimmeriis dudum in tenebris mutâq; sub um-
Pulsabat blandam Calliopeia lyram. (brâ
Usque nec, erranti dissciſſâ veste, Thaliæ
In lucem nitidô fas erat ire pede.
Æternâ toties oblivia nocte parabant
Condere Pierii lumina magna poli.

Non

Non ederæ, non laurus erat; quod cingere Va-
Tempora deberet ſtemma, papaver erat. (tum
Nunc iterum illuſtrat Parnaſſi culmina Phœbus,
Clarior & Muſis incipit ire dies;
Pindo diffugiunt tenebræ; citò quippe refulſit,
Irradians Vatum nomina, grande jubar.
Tu jubar es, Tu dexter ades, ROESTGAARDE, novâque
Semianimes Muſas vivere luce facis.
Tu ſolem *radioſque refers*, Vatumque ſub æthram
Tollis obumbratum, ſplendidus ipſe, caput.
Macte! animi egregii *radios* circum*fer* in orbem
Non mortale tibi *ſurget* abinde *decus*.
Magnô incrementô ſemper tibi *ſurget ad urnas*
Uſque *decus*; nec enim finiet urna decus.
Scilicet ex urnis *decus* inclyta *ſurget* ad aſtra,
Donec inoffenſô ſtes ſuper aſtra pede.

G. BUHR.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΙΗΝΣΙΟΣ

Σπεδαιοτάτῳ καὶ Φιλομαθεστάτῳ

Ἀνδρὶ

ΦΡΙΔΕΡΙΚΩ ΡΩΣΤΓΑΡΔΙΩ

Τῶν ἐν τῇ Δανίᾳ περιβοωθέντων

Ποιητῶν Ποιήματα

Συλλέξαντι καὶ Ἐκδόντι.

Πολλὰ τυραννίζων Πεισίστρατος ἔρδεν Ἀθήναις
Πένθιμα, Μούσαισι πολλὰ δ' εὐγόμβρα·
Ὀξὺ τυρλόν τε καὶ Θαπτόμενον Σμυρναῖον Ἀοιδὸν
Εὖ μάλ' ἀναστήσας λαμπρὸν ἔθηκε φάος.
Πατρίδι καὶ Μούσαις, ΡΩΣΤΓΑΡΔΙΕ, πλείονα ῥέζεις·
Καὶ πάσαις Χάρισι πλέον' εὐγόμβρα.

* * * 4 Ουδὲ

Οὐδὲ γὰρ ἐκ σκολέων ἀνορύσσεις μῦθον Ὅμηρον,
Κεκλῆσον δ' ὅμιλον, τὸν φιλέῃ Ἑλικών.
Σὺ κοσμησαμένων Δανίης πόλε πατρίδα γαῖαν,
Βλωθέντων μοίρας ἀλλὰ βέλει συγερῷ,
Ὡς ἀγαθὸς Δαίμων Μούσας, ἠδ' αὐτὸς ἄμυστον,
Μὴ φθίνεσθαι ἐᾷς, Συμπολίτας τὲ σέβεις.
Ἐξ ἀίδαο πυλῶν ἀνάγεις μελετήματα κρυπτὰ,
Ἀθάνατόν τε δίδως ὀλλυμένοισι βίον.
Τὰς τοιάσδε χοὰς Σὺ τέοις πατρίοισιν Ἀοιδοῖς
Σὺν χάριτι πολλῇ νεοτερέοισι φέρεις.
Ἔστ' ἂν ὕδωρ τὲ ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
Ἠελίου τ' αὐγὴ Ἀρτέμιδός τε φάοι·
Ἔσθ' ἂν πνεῦμα Σεοδρὸν δεινᾶ Βορέαο πνεύσῃ,
Τόνομ' ἀεννάως πνεύσεται Σὺ Βορέας.
Καὶ Σφισιν εὐεργήσαντι Δανίη χαρίεσσα
Οὔποτε παυσομένην Σπείσεται μνημοσύνην.

Α Λ Λ Ω Σ.

Χαῖρε Ξεῖνε παρ' ἄμμι φιλήσεαι, πάντας Ἀοιδὸς
Ὀσσεν ἐρανίζεις ἄμμιν Ὑπεροβορέας.
Σοί τινα δώσεσι Βαταβίοι ξείνια δῶρα,
Αγλαά σφιν πρέπτερον δῶρα χαριζομένῳ;
Γῆ Βαταβιά σε καὶ σὰ χαρίσμαΣ' ἐν ὠλενέασιν
Αζομένη γὲ θυμῷ ἀμφοτέρωισι κυνεῖ.

Eadem Latinè ad verbum reddita.

Invisus Dominus Pisistratus ursit Athenas,
Idem sed Musis gratus & ille fuit:
Smyrnæum vatem dum cæcum dumq; sepultum
Eruit, eximium fecit & esse jubar.
Quod Patria & Musæ, Charites optentque quod
ROSTGARDI, mirâ sedulitate facis. (unum,
Scilicet haud solum tenebris educis Homerum,
Ast Heliconéi lumina multa jugi.
Tu, quondam viguit queîs Dania, patria tellus,
Queisque suum dempsit Parca severa diem,
Horum ne pereant Musæ, quas deperis ipse,
Ipse bonus Genius prospicis: atque tuos
Deve-

Devenerans cives, & ab Orco ſcripta reducens,
His vitam æternam, quæ periêre, facis.
Has nempe inferias patriis Tu vatibus infers:
Gratia ſtat de Te manibus illa pio.
Dum fluat unda igitur proceraq; palma vireſcat,
Et Phœbi & Phœbes lumina clara micent:
Aëra dum vehemens Borealis ſpiritus inflet,
Efflabit Boreas nomen & uſque Tuum.
Grata ſuo benefactori quoque Dania, nunquam
Ceſſatura Tui muneris eſſe memor. (eſt

Aliter.

Salve, Hoſpes, noſtrum nunc experiaris amorem,
Qui nobis vates promis Hyperboreos.
At Tibi quæ Batavi tali hoſpite munera digna
His pro muneribus reddere poſſe putes?
Orbis Te Batavus Tua donaque ſuaviat ulnis
Amplexa ambabus, *Deliciasque* fovet.

EIDEM.

D*Ania quos peperit ſiſtuntur adorea ſecli!*
Sed peperit, non eſt ſat peperiſſe, parit!
Parturit! ingeniis excellit Dania: fallor?
An dedit his cœlum? an fertiliora ſolum?
Parturit! En partus, Muſis & Apolline dignus!
Quem fovet in gremio Calliopœa ſuo:
Ingenium cujus laudes adolevit ad omnes,
Quemque ſui Virtus dejerat eſſe Virum.
TU *Charitum ſplendor!* ROSTGARDI *tantus haberis,*
Qui monſtras inter nos habitare DEOS:
Qui monſtras orbi nondum periiſſe Marones,
Hic etiam Pindi clara fluenta bibi.

Spes & amor Patriæ! decus immortale procaris.
Macte! Tui similes Patria sæpe cupit.

C. D. FRIEDENREICH.

EIDEM.

Non secus ac Colchis membratim jacta per agros
Absyrti fratis corpora sparsit humi,
Sparsa per Aonios laceratagque carmina campos
Quis tandem fida carmina legit ope?
Hæc Pietas, ROSTGARDE, tua est, pulcherrime rerum,
Nomen inexstinctum qua Pietate paras.
Quanta tibi reddent illi monumenta libelli
Et famæ, & clari nominis, ipse vides,
Dumque manent Scripta hæc pariter tua fama (manebit,
Et loca laudabunt quà patet orbis iter.
Perpetui fructum cæpisti nominis, idque
Quo nequeat reddi munere majus, habes.
Rara quidem Pietas, quam non fortuna guber- (nat,
Conspicuum Virtus hîc tua sistit opus,
Dum laceras Musas, sparsosque recolligis artus;
Dumque jubes fato nobiliore frui
Si cui sit pretium Pietas tam rara petitum,
Non ex difficili fama petenda tibi est.

JOH. WADSON.

HEN-

HENRICI ALBERTII *HAFNIENSIS* CARMINA:

Quibus in Prima Editione Titulus eſt:

MUSÆA ADOLESCENTIÆ VENUS.

VITA ALBERTII.

DE HENRICO ALBERTIO *pauca adeò commemorare possum. Hafniæ sub finem seculi decimi sexti nobili loco natus est. Pater ipsi fuit* CHRISTIANUS ALBERTIUS *Urbis Hafniensis Consul. Majores ejus magni Nominis in Patria fuisse, vel ex his Auctoris ipsius verbis in Dedicatione Poëmatibus ipsius præfixa ad Serenissimum Daniæ Regem electum Christianum Quintum, Quarti filium, abundè constat:* Cur ideo, *inquit*, non spem bonam defæcato conciperem animo, similem Celsitudinis Tuæ gratiam, quam gloriosissima hæreditate in Te derivas, me illustraturam? non enim sacco seu modio, sed horreo imo trihorreo Divissimi tui majores eam in avum proavumque, meum, qui ad Reipublicæ Regiæ clavum sedere, clementissime contulerunt: imo ejus Nectar & Ambrosiam cottidie adhuc parens ejusdem onere & honore perfungens toto animi alveo corporisque sinu excipit.

Neque multum dubitaverim, quin fuerit hic ALBERTIUS *ex familia illius* PETRI ALBERTII, *qui Anno* 1482. *Bibliothecam suam instructissimam Academiæ Hafniensi dono dedit; de quo legato*

legato videri potest PETRUS RESENIUS *in* Inscriptionibus Hafniensibus, *ubi de Bibliotheca publica agit. Fratrem habuit* ALBERTUM ALBERTIUM, *ut ex carmine* 149. *videbis. Juventutem ejus in studiis & liberalibus ingenuoque homine dignis artibus seriò excultam fuisse, vel inde patet, quòd juvenis admodum doctus fuerit, & decimo septimo ætatis anno coram publico Professorum Hafniensium consessu de* JOHANNE BAPTISTA *metricè declamaverit; quod ipse in carmine ad eosdem Professores, sub Num.* 86, *testatur, & in alio carmine ad Senatores Regni Danici sub Num.* 56. *his verbis confirmat:*

Quem Clarii primo recubans in limine montis,
Cum decimus nondum pulsarat septimus annus,
Cœpit acu tenera tenuissima pingere Musa - - -

Ex Præceptoribus, quos fortè plures habuit, unum ipse nominat PETRUM PETRÆUM, *cujus honori carmen* 133. *inter anagrammata sacrum est. Anno* 1609. *in Academia Cattorum, quæ Gissæ ad Lanum est, vixit, & Disputationem quandam Physiologicam* de Principiis seu Caussis Rerum Naturalium externis *sub præsidio* JOHANNIS ARNOLDI DE FINE, Hafniensis Dani, *habuit; quam Patri suo dedicavit. Honori ejus super hac erudita velitatione scripsit elegans carmen* CLAUDIUS PLUMIUS, Danus, *Juris in Academia Hafniensi deinceps Professor, quod Disputationi subnexum, & carminibus* ALBERTII *ultimo loco adjectum. Magno honore, dum Gissæ degeret, omnes eum prosequebantur, quippe quem cum Professores & Doctores publicis encomiis, quorum quædam in fronte illius Poëmatum leguntur, ornarent, tum alii eligerent, cui scripta sua dedicarent;*

dicarent; inter quos est JUSTUS *quidam* WARICHIUS, *qui Dissertationem* de Loco & Vacuo *præter alios etiam* HENRICO NICOLAI ARCTANDRO *&* HENRICO ALBERTIO Hafniensibus Danis *consecravit; &* RHANUTIUS *ille* GHERUS, (JANUM GRUTERUM *hunc esse affirmat* GEORGIUS KÖNIGIUS *in sua Biblotheca ad utrumque nomen*) *qui tum aliorum tum Poëtarum Belgicorum* Delicias *collegit, earumque Tertiæ Parti nomen hujus Nostri præfixit: Audit illi* Poëta elegantissimus, ac universæ Germaniæ (*ubi tum substitit*) delicium; *Et præclarum est, dignumque heic apponi, quod de illo ibidem tulit judicium:* Mores certe, ac studia, *inquit*, ita oppidò facta sunt ab humanitate ad humanitatem, à Musis ad Gratias; ut Te omnes animæ non vulgares à minima ad maximam diligant, magnificent, amplectantur.

Scripta ALBERTII *plura non vidimus, quàm quæ Poëmata iteratâ editione heic tecum, benigne Lector, communicamus: quamvis enim in præfatione iisdem præfixa* Panegyrin de Johanne Baptista, *&* Iter suum Heidelbergense, *itemque plura* alia *ligato stylo se scripsisse dicat, nihil tamen illorum adhuc videre contigit. Interim constat, ipsum dictam illam Panegyrin valde juvenem scripsisse: ita enim Professores Hafnienses inter Anagrammata Num.* 86. *alloquitur:*

Quum recolens Musa puerili fata JOHANNIS
Auderem patriæ pluteos vexare cathedræ
Obsequio vestris addictus jussibus omni.

Prodierunt autem Carmina ALBERTII *prima vice Gissæ in forma, quam vocant, octava, sub Auctoris ipsius auspiciis, ante* LXXXIII *annos, nimi-*

nimirum M D C X. *Cur illis titulus* Musæa Adolescentiæ Venus *præponatur ex Præfatione* ALBERTII *liquet. Nos ea prout accepimus, & eodem ordine Lectori offerimus; Menda quidem, quæ tollenda erant sustulimus; Singulis carminibus suas notas numerales ad latus affiximus, & in Indice, qui ad calcem primi Tomi invenietur, secus, quàm ab Auctore factum, libuit Cognominum, utpote notiorum, rationem habere, ut Tibi, humanissime Lector, commodius inserviremus. Quod si scire cupias, quô singula tempore scripta sint, ex Auctoris Præfatione ad Lectorem edoceberis. Unicum* ALBERTII *carmen, consulto an fortuito ab ipso omissum, & ad finem Disputationis* JOHANNIS ARNOLDI DE FINE de Physicæ subjecto *à me repertum, si placet, heic legas:*

Ad Doctissimum Dnum Respondentem
JOANNEM GUILIELMUM
LANDSIDELIUM
HOENBURG. WESTRIACUM.

Sic soboles Phœbi, charitum nutrite papillis
Macte novis armis, sub DOCTI umbone MAGI-
Barbariæ Martem Sophiæ depellito castris. (STRI
Victor eris; referens Doctrinæ sacra brabéa,
Quæ soror Enceladi suspendet in arce Minervæ
Pieridum Sectis totum miranda per ævum.

deproperabat
HENRICUS ALBERTIUS
HAFNIA-DANUS.
Anno 1609. mense Junio.

Judicium Doctissimi Dni BORRICHII *de Poëmatibus* ALBERTII *vide sis in Dissertatione ejus de Poëtis Danis ad nomen* ALBERTII, *quam post Præfationem nostram reperies. Vale & fruere.*

HEIN-

HEINRICI ALBERTI
HAFNIA-DANI.
MUSÆA
ADOLESCENTIÆ
VENUS.

Juvenilis error dedecus gignit minus.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI,

CHRISTIANO QUINTO,

ELECTO DANIÆ, NORVEGIÆ, WANDALORUM, GOTHORUMQUE REGI,

Duci Slesvigæ, Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ,

Comiti in Oldenburg & Delmenhorst,

Domino meo Clementissimo,

Hoc subjectissimi obsequii, æternæ observantiæ Monumen

LIBENS MERITO

Dico, Censecro,

Humillimus cliens

HENRICUS ALBERTIUS
Hafnia-Danus.

PRÆSCRIPTIO
DEDICATORIA.

CUJUS *enim* GLORIOSISSIMI NOMINIS *corollas, lauro & auro contrà cariores, lubentiùs ad Musæa hujus ædiculæ suspenderem postes?* Non equidem *quasi triumfatum* Pompejo *cupiam iturus, quum jam primum in Famæ castris aleam ancipitis Martis subeam; nec Bacchi orgia indicturus, quum ille Heliconii Regis & gregis consortio excludatur: sed lætitiæ in præsentiarum documenta daturus clarissima.*

Hinc tantâ solemnitatis pompâ fores lætæ virescunt; *Hinc* fronde nitent postes: & longos erexit janua ramos.

Gratulor scilicet mihi gaudio delibutus maximo, illuxisse diem divino destinatam vadimonio, quâ meis studiis ea voti felicitas competit, ut quale quale debitæ & promissæ observantiæ monumentum erigere possint, in templo S. T. C. *Honori unanimibus patriæ suffragiis consecrato. Tu enim ipsus es, qui sub flore vernantis adhuc ætatulæ, tàm amœnam amœnissimarum virtutum ostendis segetem, tàm lucidos lucidissimæ prudentiæ mittis radios, tàm dulcem dulcissimæ clementiæ spiras auram, ut meliorem & digniorem, cui submissis fascibus Danici regni deferant imperium, se invenire non posse subditi meritò putent; si vel ipsi Septentrioni, imò Soli quærendum dabunt.*

Et quis tantâ temeritatis nebulâ circamseptus, qui aliarum cogitationum salo fluctuare, aut hîc in dubitationis vado hærere velit? O felicissime Pater Patriæ, CHRISTIANE IV. *tuâ curâ sit, ut nemini hic ullus à regiâ optimæ spei viâ deflectendi relinquatur locus. Tu Filium tuum, successorem tuum (utinam post Nestoris annos)*

non

non Cambysis impietate ad scelus præis; non ei, Caligulæ injustitiâ ad majestatis contemptum fenestram patefacis; non Sardanapali ebrietate ad luxum facem præfers; non Xerxis ignavia ad authoritatis neglectum habenas laxas: sed pietatis zelo alter Josua, justitiæ gloriâ alter Aristides, temperantiæ cultu alter Julius Cæsar, fortitudinis excellentiâ alter Alexander hæc æternæ dulcedinis præcepta instillas:

Tu regere imperio populos, *ô Gnate*, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacíque imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

O felicem subolem tanto parente! O felicem parentem tantâ subole! Felicissimum, felicissimum regnum, ad cujus gubernacula perpetuâ serie tales reges evehuntur. Sed quid limen tantæ majestatis inarticulatâ voce libo, quum non sat dapsilis eloquutulis facundiæ copia in hac prætextâ ad ipsa adyta aditum promovere possit?

Tu potiùs CELSISSIME PRINCEPS.
PATRIS GAUDIUM,
MATRIS DELICIUM,
PATRIÆ CORCULUM,

Tu potiùs hilari vultu hujus libelli januam tui nominis amicimine splendentem, tui tituli gestamine lætantem, tuæque potentiæ coramine florentem ingredere: & totius domus alveo receptus Faventiæ fulcra labascentibus parietinis suppone, Clementiæ lucem angulis tenebricosis infer, & omnia divino Majestatis fulgore comple.

Sic, si qua Famæ fides, Jovis incluta proles Hercules non aspernatus est humiles Molorchi subire attegias: Sic Herculis æmulus Theseus pau-

percula Hecales hospitio excipi non renuit: Sic & ipse Jupiter sceptri gravitate relictâ mapalia Æthiopum inhumanorum visitavit.

Cur ideò non spem bonam defæcato conciperem animo, similem C. T. gratiam, quam gloriosissimâ hæreditate in te derivas me illustraturam? Non enim sacco seu modio, sed horreo, imò trihorreo Divissimi tui majores eam in avum proavumque meum, qui ad Reip. Regiæ clavum sedêre, clementissimè contulerunt: imò ejus Nectar & Ambrosiam cottidie adhuc parens ejusdem onere & honore perfungens toto animi alveo corporisque sinu excipit.

Pro quibus ingentis beneficentiæ meritis quid aliud promittere possum, quàm quod Ulysses Alcinoo, munera mentis S. T. C. imperiis intentissimæ? Quid aliud referre possum, quàm totius vitæ curricula ad terminos ultimi spiritus vadata? Accipe ergo, ut vela orationi removeam, planâque, quid velim, palmâ ostendam; Accipe, Clem. Princeps, *tantæ subjectionis & observantiæ Symbolam, hanc Musæam Adolescentiæ meæ Venerem, Pericula Poëtica, quorum jucunditate graviora studia quasi embammate quodam condio & sustento. Totus enim (hoc melior mens averruncet) in Poëseos non sum stadio, sed salebrosi itineris asperitatem talium diverticulorum amœnitate levare, nescio quis jure incilet.*

Licet autem Serenissi. Princeps, *hæc mea Venus magis extemporaneæ festinationis calore, quam industriæ colore sit depicta, tamen de S. C. T. gratiâ ne hilum se ambigere posse certissimè putat. Cur itaque longioris orationis syrma induat? Cur diutiùs eam molestias creare permitto? Retraho.*

Finem

Finem facio, nec plura superaddo, nisi ut S. T. C. cum Florentissimo Daniæ, Norvegiæ, &c. Imperio, Serenissimisque S. C. T. Parentibus & totâ Regiâ domo Deo ter Opt. ter Max. religiosissimè ex imis animi penetralibus commendem.

Scripsi in celeberrima Academia Giessæ ad Lanum. Anno 1610. die 14 Martii.

LECTORI BENIVOLO ET PHILOMUSO.

Ita te bona Scæva in hoc ducat proſcenium, mi Lector; ita Candida mens oculos aperiat ad luſtrandam hanc Adoleſcentiæ meæ Venerem, ut mihi nulla cupido magis in votis gliſcat, quàm favorem & gratiam tuam expalpare. Quo autem materiæ & verborum poppyſmo id effectum dabo? An ex Poëſeos præconio famam aliquam his puerilibus conducam? An domeſticum teſtem agam, horúmque ex verſiculorum laude Poëtæ titulum quendam petere ſtudebo? Certò delenificis hujuſmodi factis magis tuam inclementiam & odium, quàm Faventiam præſtolarer? Quid agam? novas fabellas ſermone Mileſio ad te conferre, aurésque benivolas lepido permulcere ſuſurro, etſi per voluntatem libet, tamen per tempus minimè licet. Perfectionem opuſculi Typographus urget, meámque negligentiam ſuarum operarum diligentiæ impedimenta adferre clamitat. Quid in tanta feſtinatione ſciti in publicum proferre queam? Eſto facilis, hæcque paucula de duplici præſcriptione & verſiculis ipſis, propter temporis importunitatem in meliorem partem interpretare.

Præſcripſi titulum: MUSÆAM ADOLESCENTIÆ VENEREM.

ADOLESCENTIÆ: quia quæ hic offero Hebéo imò pleraque ſcholico adhuc carcere incluſus, in ipſo vernantis ævi limine feci.

MUSÆAM VENEREM, non quod iſtorum tanta ſit elegantia & pulchritas, ut cum viliſſimâ iſtius Divæ poſſint comparari pediſſequâ:

Imò

Imò jure de iis dici valet, quod apud Plautum, Adelphasium de servo & adolescente ait:

Ita sunt turpia, credo ecastor, Venerem ut ipsam è fano fugent.

Nihilominus tamen ita appellare volui, quia tanta cum voluptate & animi gaudio ea sum meditatus, ut licet in ipsissimæ Veneris Gynæceo vixissem, defæcatiorem vix habuissem animum. Et cur aliter? Si non pauci juvenculorum, quamprimùm per ætatem possunt, fœdissimæ Libidini, Ebrietati, Aleæ, Murciæ, litent, & in tantorum vitiorum colluvie virtutem & voluptatem se invenire putent; cur ego non ex Musæo cœtu meam eligam Venerem, cui dicere possim: *tu mihi sola places*, quoties gravioris studii dominatio concedit.

Sed forsan inquies? Quum nulla sit istorum pulchritudo, cur ea conspectum tanti Principis subire mandasti? cur tanti Monarchæ filium tantilli opusculi nomen esse voluisti? Habe causam. Quemadmodum Herculis fanum, quod Romæ olim habebatur, nec muscæ involabant, nec canes penetrabant: ita animum induco, splendorem tam illustris Nominis oculos Momorum, qui nimis curiosâ curâ aliena curant, carpendi alis quôvis involant, cerbereo calumniæ rictu quodvis adlatrant, facilè præstincturum, ne huc propiùs accedere sustineant.

De favore autem, quam apud Ser. ejus Celſ. inveniant, nihil hæreo. Præcoces quidam sunt fructus, qui tamen magnatum mensis inferri, & gratiam festinationis mereri solent: Ita & hæc sub manu sata & nata nequaquam à S. E. C. repudium latura, virtus à Potentissimo Parente

propagata (quo neque ipsa Humanitas Humanior, neque Clementia Clementior) frequenti nictu & nutu indicat & demonstrat.

Sic utriusque præscriptionis, tituli & dedicationis ratione redditâ, paucis ipsorum quoque versuum mentionem faciam.

REGIA CLIO ferè Hafniæ nata est, quum pòst biennium Misenâ in patriam reversus, tot egregia facinora lætus viderem.

ANAGRAMMATA maximâ ex parte in itinere Heidelbergensi, quod Elegiaco metro exscripsi, confecta sunt. Quì enim otium istud non otium pulchriùs eluderem, quàm curâ hac non curâ?

CÆTERA ante & postillà. Multa consumsit Vulcanus, multa versantur adhuc intra penetralia Vestæ: *Panegyris de Joh. Bap.* Hafniæ meditata, & ipso die Johannis in Regiâ Academiâ melitata, & alia. Quid autem de iis dicam, quæ in præsentiarum propono, an ad gustum tuum erunt? Vereor ne potiùs ad nauseam. Nullo venustatis sale sunt adspersa: nullo eruditionis aceto tincta, nullâ murrhinæ Poëticæ muriâ condita. Quid me fiet? In Musicis his castris Campidoctoris Famæ, non Marte favente, pugnavi; verborum fossam non æquo pede tramisi; à Decentiæ capellâ jaculum torquere non rectè orsus sum. Et quid me fiet, inquam? An victus cogar scripta mea propriâ delere linguâ? Benivolentiorem sententiam adfer, quisquis eris, ô judex. En uno verbo: VENIAM peto. Solam precor respice adolescentiam. *Agnosce, ignosce.* Volo in liberali hac palæstra ventilare prius, postideà velitari: donec ad veram seriámque pugnam armis decretoriis pro ætate transeam? Sicne veniam a

te

te consequor docte judex? consequor non secus ac fœminæ olim famosæ, quæ ad evitandas legum pœnas lenocinium, & culpam apertè profiteri apud Ædiles solebant? Nosti, pro candore tuo, gallinas ova quædam subventanea edere, parituras mox vera: ita interdum fas esse, præsertim juvenculis, ingenii aliquem inanem excludere fœtum. Nam quid ab hac ætate perfectum unquàm profectum? non tantùm possumus errare, sed debemus, quia homines sumus, & homines adolescentes. Igitur audere non dedecet, & si quæ dicta sunt juveniliter pro indole accipiuntur. Volens nolens cogor filum abrumpere, & silentii castra ingredi, ita urget Typographi HOC AGE. Finio igitur, & hoc viatico ad te meum libellum, mi Lector, mitto:

Parvule sinceros visure libelle Poëtas:
Sit comes ad dextram spongia densa manum,
Pumex ad lævam: purgabit spongia, pumex
Expoliet, tandem non ita turpis eris.

SALVE ET VALE BENIVOLE ET Philomuse Lector.

ELENCHUS CONTENTORUM IN HOC OPUSCULO.

REGIA CLIO.

SORTILEGIA LYCOPHRONTICA.

ELEGIARUM FASCICULUS.

AMICA MNEME.

ODARUM ET PARODIARUM PUGILLUS.

AD

AD OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTEM

HEINRICUM ALBERTIUM.

ALBERTI, amice Apollini atque Gratiis,
Ecquid tuis dignum rependam versibus
Verè aureis? versus dabo contrà meos?
Sic ipse vis quidem, tuo sed vis malo.
Versus mei nam ferrei imò plumbei
Haud comparentur ritè versibus tuis.
Nî Glaucus alter ultrò haberi quærites.
Quin vera fari si licet sicut licet,
Nil inveniri versibus dignum est tuis,
ALBERTI, amice Apollini atque Gratiis.

JANUS GRUTERUS.

AD EUNDEM.

Perge HENRICE *valens laudes cantare bonorum;*
Perge; nec Aonii pars eris ima chori.

Gregorius Horstius Med. D. Illustr. Princip. Lud. Landgr. Hassiæ Archiater, & Prof. in Inclutâ Giessa.

AD EUNDEM.

Μουσάων θεράπων ἀγαθὸς καρπὸς ὁμαρτεῖ,
Πάρτε σοφοῖς γλυκερὴ χάεις, ὀκλείητε παρ' ἄλλοις,
Οὐδέν γαρ' ἀγέρασον ἀφῆκαν πώποτε μοῦσαι,
Τοῦτο γέρας καί σοι, Αλβέρτε, δή ρ' ὀπίκειται

Πάγκαλον, ἢ χάεις ἢδὲ κλέος· Τί δὲ κάλλιον εἴη
Ἀνδρὶ κεν, ἢ κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρέσθαι;
Ἀμφότερον μετέπεισι δέ σοι μέγαν ὄλβον ἐπάξει.
Καί τε γὰρ ὃς Μουσέων ἕπεται ἱεροῖς ὑποφήτας.

CHRISTOPHORUS HELVICUS Hebrææ linguæ in illustri Giessena Professor exarabat amoris ergò.

AD EUNDEM.

USU CELEBRIS INTRA.

Multi Pierios petunt honores,
Fingunt carmina versibus trecentis,
Et *cudunt* Anagrammatum maniplos,
In Classes quoque dividunt pudendas,
Pudendas nimis & minùs legendas,
Queis inertior haud inertia ipsa,
Nec ineptior ipsa ineptitudo est;
Quæ nec unius æstimentur assis,
Quas non uncia quásque non selibra
Dignetur precio unius talitri;
Quando sensus abest abéstque forma
A tanto metagrammatum furore:
Sed Te, Melpomenes diserta proles
Multos vincere judico Poëtas,

Quando

Quando ſenſus ineſt inéſtque forma
In tuis Anagrammatum tabellis,
Uſu ſcilicet hic & arte doctum
Exemplum Genio bono dediſti.
Usu nitere & arte, qui CELEBRIS
Vis INTRARE Heliconios receſſus:
Uſu nitere & arte, qui perennes
E Lauru virides petis corollas.

CONRADUS BACHMANNUS,
Poët. & Hiſt. Prof.

AD EUNDEM.

HENRICUS ALBERTIUS. HERCULES IN ARTIBUS.

Sic macte Diligentiæ
HEINRICE fac feliciter:
Sic macte clavâ Strenuæ
Ismonſtra perditum fera:
Et HERCULES IN ARTIBUS
Felicior vocaberis.
Non Omphalæ ſervo jugo
Cupidinis catenulâ
Adſtrictus ex virilium
Te ſubtrahis conſortio.
Puellulæ Hippocrenides,
Themis, Minerva, Suadáque,
Præfulciant negotiis
Apollinis majoribus
Consique clarioribus
Genii tui valentiam.
Anne indicant hoc paginæ

Eau-

Fausto exeuntes alite,
Quas flore Gratiæ novo,
Novo juventa nectare,
In hortulis Adoreæ,
Perennitatis amnibus,
Cingit, rigat, tam bellulè?

CLAUDIUS PLUMIUS
Hafniâ-Danus.

HEN-

HENRICI ALBERTI HAFNIA-DANI REGIA CLIO.

AD (1)

SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM PRINCIPEM,

DN. CHRISTIANUM IV. DANIÆ, NORWEGIÆ, WANDALORUM, GOTHORUMQUE REGEM AUGUSTISSIMUM &c.

IUSTITIÆ columen, veræ pietatis asylum;
O *Rex*, qui duplicis fers diadema throni.
Hæc *adolescentis* cape prima pericula *Musæ*,
Quæ celebrat laudes officiosa tuas.
Non ita Parrhasiam magnes se vertit ad Arcton,
Nec Clytie Phœbi sedula spectat equos:
Ut mea Te spectans veneranti Pieris ore
Mox se regali sentit ab igne trahi.
O illi niteas Helice splendente favoris,
Et lucem Charitum ferre Phlegonte velis.
Quam leviter metuens tenebras, faucemque Charybdis
Det Psyllos Scyllis, Anguigenásque Notis.

(2) AD ILLUSTRISS. PRINCIPEM

ANNAM CATHARINAM

Daniæ & Norvegiæ Reginam.

En mea Musa suum tibi fœtum, *dia Virago*;
Consecrat, illius fida Leuana mane.
Sit Statilinus ei proles tua, pectore regem
Quæ spirat, patris spes, patriique soli.
Cur dubitem? vestri Virtus celeberrima sceptri;
Quæ Lucina fuit, suadet habere fidem.

---

(3) FLORENTISSIMO PRINCIPI

CHRISTIANO V.

Electo Daniæ & Norvegiæ Regi, Invictissimi Christiani IV. Filio.

Ante novem brumas genitrix infantis abortæ
Hæc ad Agenoream nostra Camena tulit:
Cui mutilam potius subolem mœstissima sistam?
Cujus tutrices conciliabo manus?
Tu *ChrIstIanIade ChrIstIane* favore clientem
Suscipe, clementes cardine verte fores.
Nuda venit, myrtis tege, Pasitheæque sub alis
Conde, quibus vili sede levetur humi.
Lapsa venit scopulis, opobalsama profer amoris;
Pharmaca lætitiæ da, macilenta venit.
Sic ait; & quid, ait Phœbus, non vellet? amavit
Magnus Avus Musas, cum Patre Gnatus amat.

(4) RE-

REGIARUM VIRTUTUM MONILE. (4)

*	C LEMENTIA.	*
*	H UMANITAS.	*
*	R ELIGIO.	*
*	I USTITIA.	*
*	S APIENTIA.	*
*	T EMPERANTIA.	*
*	I NTEGRITAS.	*
*	A MOR.	*
*	N OTITIA ARTIUM.	*
*	V ERITAS.	*
*	S EVERITAS.	*

CLEMENTIA. (5)

Ut, quibus affulget radiis, fert dona caloris
Sol Hyperionides de locuplete penu:
Sic animi tribuat clementis regia dona
Rex, quibus aspectus lucet honore sui.
Symbolon hinc pulchrum, *Regis clementia custos*,
Cæsaris Aureli Suada diserta tulit,
Et Leo Magnus ait, *Regis clementia virtus*,
Quæ similes reddit sola beata Diis.
Ergo Diis similis, *Rex clementissime*, cunctos
Clementi auxilio, præsidioque juvas.
Tardus es ad pœnas, velox ad præmia, judex
Ipse doles, quoties cogeris esse ferox.
Non tamen à facie tristem permittis abire,
Sed miseris alter Vespasianus ades.

Solis

Solis vis calor est, tua vis CLEMENTIA, *custos*
Hæc regni, *virtus*, Rex, tua semper erit.

(6) HUMANITAS.

Justinianus ait: Non virtus principis extat
Humanitate dignior.
Quam si subjectis nolit præstare, videtur
Indignus esse gratia.
Hæc etenim virtutis apex & gloria partem
Divinitatis possidet.
Nec quis homo perfectus homo, cui candida
Humanitas non perpolit. (mentem
Ille homo rex hominum verus, quem dirigit æ-
Favoris hæc sub fascibus. (quis
Te regit eja, suum *Rex humanissime* regem,
Illamque sedulò regis.
Sic homo Rex hominum Deitatis parte beatus,
Quid non regas tutissimus?

(7) RELIGIO.

Luce, vigore, salute, gubernum, corpus, Olym-
Sol, cor, Relligio, sustinet, armat, alit. (pum,
O populum sanctum, cui cælitus igne Prome-
Vivificat verum relligionis opus! (theus
Relligionis opus conservas, *optime Regum*,
Nosque animas firmâ relligionis ope.
Sæviat igne Ætnæ Turci Furialis Enyo,
Illa sub his vivat, ceu Salamandra, pyris;
Pugnet atrox Elephas Loioli robore Martis,
Illa ferum cornu Rhinocerotis agat.
Tybride quid tentas Tigris? quid acinace Turca?
Veráne Relligio pupula dextra DEI?

(8) Ju-

JUSTITIA. (8)

Aureus est oculus, facies est aurea puræ
JUSTITIÆ, justos aurea fama manet.
Hæc reliquas nutrit virtutes Nectare cœli,
Quæ fulcire thronum Regis in orbe solent.
Hæc ut Aristidem te, *Rex justissime*, laudat,
Quâ sine rex superûm Jupiter esse nequit.
Sic majestatis supremâ tolleris alâ,
Nomine deque tuo Gloria tanta refert:
Per quem descendens Astræa reliquit Olympum,
Per quem diva Themis, Evnomieque vigent,
Nomine *Christianus*, re *Christianissimus* heros
Aurea ad ora Dices, quod regit, omne regit.

SAPIENTIA. (9)

Non ita monstrat iter Tegeæi dextra vialis,
Per varios sectum tramitis orbe locos:
Non ita naucleros Helice regit æquore vasto,
Cum furit hinc Aquilo, cum furit inde Notus:
Ut populi regem SAPIENTIA rebus in arctis,
Cum dubias turbas subdita turba movet.
Hunc rapidis plumat præceps audacia pennis;
Huic volat ad Stygium dira Libido latus;
Huic alacris vibrat torvam Petulantia frontem;
Huic comes it nebulis Fraus adoperta caput:
Omnibus excantat mentem Phlegethontia Circe
Vipereis philtris, omnibus arma placent.
Quis Labyrinthæis Rex his exire lacunis
Monstret, quem Sophie non docet ipsa viam?
Nullus: & hoc censes, *Rex*, qui sapienter ad omnes
Res populi, sceptrum dirigis arte tuum.
Hinc est exul Eris regnis & Martia Mola,
Templa tenet Jani clausa tenace sera.

Pax

Pax at ubique manet patriæ ſub partibus una,
Una manet pietas, & manet una Fides.

(10) TEMPERANTIA.

Clamitet Ætnæo madidus Polyphemus ab an-
Sacrifico Ventri, maximus ille Deus. (tro:
Pomponius dicat, *vivendi cauſa palatum.*
Donec erit rumen nil mihi rumor erit.
Obſcœnas agitet cœnas pinguiſſimus ille
Sus Epicuréæ Sardanapalus haræ.
Sed tu miraris merito ſtultiſſima corda,
Rex pie, qui vitam ſobrietate foves.
Nam quæ laus tanti luxus poſt fata ſuperſtes?
Quæ laus in tumulo Sardanapale tuo?
„ Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata Libido
„ Hauſit, ſed factu digna relicta jacent.
O dignum regem, quem flamma voraret Averni?
O tumulo tanti carmina digna bovis!

(11) INTEGRITAS.

Ut rutilat fulvi radiis Carbunculus auri:
Sic vitæ INTEGRITAS ſplendet amicta fide.
Hunc Deus Aronis decorare monile ſecundo
Ordine præcepit, ceu ſacra Fama docet.
Scilicet INTEGRITAS debet decus eſſe regentis
Semper amans primas à Pietate vices.
INTEGRITATE nites *Rex* & Pietate coruſcas,
Haud ſcio num Phœbus clarior eſſe queat?

(12) AMOR.

Fortia ſunt magnæ regni munimina gazæ,
Fortia ſunt junctis fortibus arma viris.

For-

Fortior aſt AMOR eſt, AMOR inſuperabilis ille,
Civium AMOR, regis murus & una ſalus.
Ecce Saloninus teſtis, teſtisque Micipſa,
Cimbriaci orbis Amor, *Rex bone*, teſtis ades.
Cujus enim in gremio dubites requieſcere tutus,
Tutus ab infeſta vi, ſcelerisque manu?
Sicut apes regem: ſic te venerantur amantque,
Quos regis imperii ſub ditione tui. (gnæ
Namque imitaris eum penitus, qui mente beni-
Eſt vacuus charas cuſpidis inter aves.
Macte tui populi ſic vivere cinctus amore;
Vincit amor gazas, armaque vincit amor.

NOTITIA ARTIUM. (13)

Artibus inſtructus princeps celebratur ab omni,
Qui minus arte valet, floret honore minus.
Nonne Neoclides equitando in arundine longa,
Neglectis aliis, fabula nota fuit?
Nonne leves muſcas figendo Dommitianus
Stultitiæ cunctis lucida ſigna dedit?
Quid Xerxes luſu maris? Heliogabalus hoſtis
Durus araneolis? venit utrique probrum.
Gloria magna tibi, *Rex*, *artis adorea cuncta*,
Quam mens, quam mentis Perſica dextra regit.
Danica regna probant regem te munere mentis,
Artificem manibus Danica regna probent.

VERITAS. (14)

Lydius ut verum limâ lapis indicat aurum,
Quem ſub gemmifero procreat amne Tagus:
Sic hominis veras virtutes arguit alma
Filia, ALETHOSYNE, Temporis atque Jovis.

Illa

Illa latere nequit civis ſtellantis Olympi,
Tecta patris clypeis illa perire nequit.
Hunc tibi Sapphirum Sophie & Conſtantia colle
Suſpendunt, *ô Rex, Regis imago boni.*
Verus es, & vero quod aberrat tramite veri
Non ſinis in vero corde tenere locum.
Scis, cum mens voci, ſcis, cum cor conſonet ori,
Dulcius haud Orphêi poſſe ſonare lyram.

(15) SEVERITAS.

Quomodo ſit princeps, *Princeps* CHRISTIANE,
Innuis exempli dexteritate tui. (ſeverus,
Non adigis cultrum ſontis furibundus in ora,
Claudius ut fecit deteriore nota,
Sed velut Auguſtus ſuſpiria pectore ducis,
Cum fuerit triſtis litera danda reo.
Non ſecus ac oleo per nodos roboris arctos
Herculis invicti clava peruncta fuit:
Juſtitiæ flictus oleo clementia tingit,
Cum reſecas regni putrida membra tui.
Non igitur mirum quod gloria majeſtatis
Tanta tuæ, laudis vecta triumfet equis.
Non igitur mirum, quod non ſiet angulus, in quo
Non tui amor præſens, & metus abſque metu.

---

(16) IN SYMBOLUM PIISSIMUM
Piiſſimi Regis
CHRISTIANI IV.
REGNA FIRMAT PIETAS.

Fulcit Atlas humeris regnum radiantis Olympi,
Fulcit Atlas firmo Danica regna pede.

At

At quis Atlas? Atlas cœlesti major Atlante
Perpetuis *Pietas* accumulata bonis.
Hac astante nequit non incluta Dania stare.
Dum stabit cœli mole gravatus Atlas.

IN IDEM. (17)

Regna pius firmat rex, ô felicia regna!
Fulcit ubi *Pietas*, firma columna, thronum.

IN EFFIGIEM REGIAM (18)

CHRISTIANI IV.

Phœbe tuos oculos bifidâ sine frontis ab arce
Pingi: Suada tui fac decus oris erit.
Adde Numæ justas Themis insuperabilis aures:
Fer Jovis a facie cætera, Atlante sate.
Sed quis Apellei valet hæc animare coloris
Peniculo? tantum quis dabit autor opus?
Quisque suum monstrat: nec abest insignis Apel-
Quam facili currit ducta calore manus! (les:
Miscentur partes: fulgens fit imago Pyropis,
Dic cujus Clio si potes? atque potes.
Qui splendore Themin Phœbéo vestit & ornat,
Qui Clarias Suadæ Nectare replet aquas,
Virtutis magna qui majestate coruscat,
Maximus Arctoi rexque paterque soli,
CHRISTIANUS QVARTUS nulli Pietate secun-
Christianâ, vultus sic gerit ora sui, (dus
Quæ Themis aure, oculis Phœbus, quæ Suada la-
Corpora præcellens omnia solus habet. (bellis

(19) IN EANDEM.

Aspicis hanc faciem? Danorum cernis Achillem:
Aspice res gestas: te Nestora cernere dicas.
Sic viridi spirat Rex tantus pectore Achillem,
Cum tamen anticipet sapiendo Nestoris ævum.

---

(20) IN EICONA ILLUSTRISSIMÆ DANORUM REGINÆ

ANNÆ CATHARINÆ.

CUIUS adest animæ spirabile flore labellum?
Forsitan ex Charitum Mnemosidúmve (choro?
Non aliunde: illis omni sociata sub ævo
Sic os, sic oculos *Anna Cathrina* gerit,
Anna Cathrina, Charis, Princeps, Regina, Camena,
Munera cui Pallas, Juno, Venusque ferunt,
Exteriora Paris sequitur cum Zeuxide frontis.
Quam regit heroo plena pudore Venus:
Interiora *Bonæ* miratur gloria *mentis*,
In qua cum Sophie, Juno, Minerva sedent.
Exteriora notant sic interiora, perennant
Hæc virtute sacra, Zeuxidis illa manu.

---

(21) AD CELSISSIMUM ET FORTISSIMUM REGEM

CHRISTIANUM IV.

DUM tuus in teneras se saltibus erigit auras
Inque sinum glomerat crura decenter equus,
Quam

Quam celeri flectas illum moderator habenâ,
Miratur quisquis novit id artis opus,
Non aliter credo gestavit Bellerophonta
Gorgonei fontis Pegasus autor equus.
Tu ter vincis eum, ter vincit Pegason ejus
Iste tuus, patrii summe Monarcha soli.
Tu melius freno placidæ scis Pallados uti.
Nec cupis à cœli tundere sede Jovem.
Sed potiùs superûm super astra receptus amore;
Proxima Perséis signa tenere tholis.

AD REGEM ET REGINAM UNA EQUITANTES. (22)

QUIS neget esse DEOS, quibus est commissa potestas
Regnorum forti frena tenere manu?
Sol velut æthereo fulget portatus Olympo,
Inter & auricomas aurea luna faces,
Haud aliter Thracio, *Rex maxime*, vecte Caballo
Reginâ splendes concomitante tuâ.
Tu glomeras orbes, illa orbes orbibus addit,
Sic quoque Sol gyros, sic quoque Luna facit.
Utque duos æthræ, stellarum sidera, reges,
Pompæ circumeunt ordine quæque pari.
Sic vos nobilium comitatur turba virorum:
Hic præit, hic sequitur conveniente loco.
Scilicet in cœlis Phœbus deus est, dea Luna,
Scilicet in terris tu deus, illa dea.

(23) DE REGIA METROPOLI DANORUM,

HAFNIA,

PATRIA SVAVISSIMA NOVIS VALLIS CIRCUMDATA.

Nunc seges est ubi Troja fuit, nunc altera surgit
Troja sub Arctoo conspicienda polo.
Mœnia Neptunus fecit, Didymæus Apollo
Valla; quis hic Trojam non videt esse novam?
Nec solum fecêre, sed & defendere gaudent,
Cum Musis intus doctus Apollo regit,
Cum Tethy & Nymphis extra Neptunus oberrat
Hostiles arcens nocte dieque manus.
Exulet hinc vesana cupido, libido, voluptas:
Hic habitet Pallas Eurynomesque Trias:
Non hic intret equus nocituro sulphure Martis,
Exeat at Sophies dotibus aucta cohors.
Sic honor & Pietas maneant, ubi Troja resurgit,
Troja sub Arctoo conspicienda polo.

---

(24) IN NOVUM COLLEGIUM ACADEMIÆ HAFNIENSIS

à CHRISTIANO IV. ÆDIFICATUM.

Palladio tecto manserunt Pergama tecta,
Semper & à Graiis insuperata viris.
Per rimas penetrat Diomedes junctus Vlysli,
Et rapit has tantæ prosperitatis opes.

Pal-

Palladium *Primus* primum *Christjanus* in urbe
Hafniaca posuit, Pergameamque domum,
Quâ tectum satrapis conservaretur Aoni
Sub Phœbi signo; sub Themidosque tuba.
Christjanus Quartus, Parnassi fida columna
Vidit ut hanc ævi dente rapace teri,
Ne per parietinas vulpes de gente Suitæ
Conficerent aditus vique, doloque sibi,
Pergama Palladio struxit nova sumtibus amplis
Qualia non unquam Dania tota tulit.
Quis queat hoc patriæ vivo Hectore damna pa-
Prævidet exitii providus ipse locum. (rare?
Vivat Jo vivat Nestor, fortissimus Hector,
Christjanus patriæ gloria, Vivat Jo.

AD (25)

CHRISTIANUM IV.

MUSARUM EVERGETAM.

Amphitryoniades non tantùm sedulus armis
Defendit Clarias ex Helicone Deas;
Sed quoque nodosæ quamplurima robore clavæ
Fortis ab infecta monstra fugavit humo.
Hinc sibi Musagetæ meruit cum nomine laudes,
Quas alis dudum splendida Fama gerit.
En, Rex summe, tuas etiam superaddidit illis,
Qui procul à Musis Suitica monstra fugas.
Musagetæ titulis Alcide major haberis
Quam latè Cadmi regnat honora soror.
Hinc tua stet celebris Cadmæja, Musagetamque
Te beet æterna prosperitate Deus.

(26) IN BIBLIOTHECAM INSTRUCTISSIMAM ACADEMIÆ HAFNIENSI DONATAM

A

CHRISTIANO IV. MUSARUM PRÆSIDIO FIRMISSIMO.

O Salvete pio sacrata volumina zelo,
Quæ vario fovit Theologia sinu.
O salvete faces, quas diæ legis ab igne
Succensas animis subdidit ampla Themis.
O salvete libri, quos ex Hippocratis arte
Transtulit in medicam, strenua cura scholam,
O salvete reperta Sophûm, quæ flore beavit
Uranie, superûm rore venusta Sais.
Salveat æternum qui vos huc contulit heros,
Cujus in æternum cuncta referte decus.

(27) DE EADEM.

Omnia doctrinæ monumenta perennia junctim
Continet hæc pluteis Bibliotheca novis.
Quis dedit? Augusto rex indole major avita,
CHRISTIANUS QUARTUS, Dania culta, tuus.
Augustus Romam, *Pisistratus* auxit Athenas,
Bibliothecarum munere quisque gravi.
CHRISTIANUS Danis opus hoc regale Camenis
Donavit: dono cedat uterque suo.

(28) URA-

URANIE DE (28)

HOROLOGIO HAFNIENSI Academiæ oblato.

Hoc qui fecit opus, *Ziebenius* autor, Olympi
Remigio mentis per loca fecit iter:
Mercurium, Venerem, Martem, cunctasque pla-
Hospitii vidit ire, redire viis. (netas
Ut vidi, Famæ sacravi protinus illum,
Fama suis cecinit munera tanta tubis.
Hoc opus *Hafniacis* qui jam concessit *Athenis*
Claret honore soli, claret amore poli,
Claret amore poli CHRISTIANI GRATIA QUARTI,
Hinc clarum claro reddit honore solum.
Quisquis es, ô magni spectator *Amoris*, *honoris*
Hunc oculo, istum animo perspice, clarus eris.

AD CHRISTIANUM IV. (29) REGEM DANIÆ.

Christianos inter, rex *Christianissime*, reges,
Invictos inter, Rex *invictissime*, Danos,
Fridrici suboles, pacis prædivitis hæres,
Dania te gaudet, gaudet *Nortvegia* patre,
Anglia te affinis, te affinis *Scotia* amore,
Saxoniaque domus rutata affinis honore,
Cum *Brunonigenis*, *Holsatorumque Dynastis*,
Prosequitur, fratrem *Moschovia* magna vocasset,
Si concessisset fratri trux Atropos annos.
O te felicem, cujus sub sanguine vivunt

Tot gentes Virtutis honore, ſalutis amore,
Chriſtianos inter, Rex *Chriſtianiſſime*, reges,
Invictos inter, rex *invictiſſime*, Danos,
Fridrici ſuboles, pacis prædivitis hæres.

(30) DE TORMENTO ÆNEO à SERENISS. REGE FACTO.

Machina ſulphureas dum mittit ahenea glandes;
Dædala quam Regis fecit ab arte manus.
Diſſultant fremitu, ſtrepitu, crepituque remotæ
Valles, terrificos tacta dat aura ſonos,
Non ſecus ac Euri Zephyrique ruente tumultu,
Murmure miſcentur climata celſa poli.
Perculſi Steropes Brontesque tremore; Pyra-
Hac novitate rei territus ecquid! ait. (cmon
Ecquis in orbe poli Jove major Jupiter ortus?
Ecquis in orbe deus fulmina tanta parat?
Talia de cœli non mittit Jupiter axe.
Talia Vulcanus non fabricare poteſt.
Aſtitit, & ridens dixit Caducifer Hermes
Panicus unde timor? ſolvite corda metu:
Fixus Apollineis Ephialtes occidit armis,
Othum Dianæ tela dedére neci.
Hæc *Rex Danorum* celeberrimus ordinat hoſti
Non ſuperis, ſuperûm numine cuncta regit.
Arma regat Pietas, Pietatem fortiter arma
Defendant, *Felix rex pius atque potens.*

(31) IN ARMAMENTARIUM NOVUM, QUOD EST HAFNIÆ.

Hic adamantæis intus conſtricta catenis
Bellona, arma ſui fratris omiſſa premit.

Hic

Hic jacet infrendens trux dentibus ira, cruentas
Hic Eridos Ate ſauciat ungue genas.
Non datur egreſſus, non ulla potentia fertur,
Pax oleâ ſervat cincta virente foras.
Incluſit virtus, Virtus *Chriſtjania*, cujus
Empyreis radiis Danica regna micant.
Faxit Jova potens cœlique, ſolique, ſalique,
Exitus ut cauſas haud reperire queant.
Sic non fax, ſed pax, non crux, ſed lux pia regnet,
Danorumque hoſtes terror & error agant.

DE NOVO PORTU (32)

Regiarum Navium Hafniæ.

Continet Hipponæ ſtabulum præluſtre caballis,
Aurea Miſniacæ Dreſda Smaragdus humi:
Aurea Cimbriaci lampas ſic Hafnia regni,
Durateis ſtabulum Tethyos ornat equis.
Id Ducis, hoc Regis monumentum, Saxone jun-
Danus in æternos ſcit celebrare dies. (ctus

AD POTENTISSIMUM REGEM (33)

De Portu ſuarum Navium.

Dorida cum viſit, Rex invictiſſime, navis,
Exiit è portus quæ ſtatione nova.
Mox circumſiliunt Nymphæ Nereides illam,
Cum Tritone ſuo mater aquoſa præit.
Scilicet ad littus Portuni tendere gaudent,
Qui patrias ſervat, celſe Monarcha, rates,
Scilicet inter eas cupiunt colludere, Martis
Hinc, illinc Cereris tegmina dante domo.

(34) DE REGIA ARGO.

Vidit ut Oceani Neptunus ſcindere campos
Argoam curſu deproperante ratem,
Convocat extemplò fœcundum Tethyos agmen,
Ocyrhoën, Panopen, Cæruleamque Thetin
Quid Dodonææ video, inquit, terga carinæ?
An nova Phryxéæ vellera quæret ovis?
An novus eſt Jaſon, quem ſic beat ardua Pallas?
Quid præſaga novi mens tua Tethys alit?
Illa refert, Argo Danorum regia forſan
Eſt tibi viſa, etiam viſa, marite, mihi?
Sic eſt! Vos Nymphæ mirandam cernite molem
Forſitan hæc olim commemineſſe juvet.
Dixit, & aſſenſu mox Oceanitides omnes
Plauſerunt, plauſus Carbaſa plena tulit.

---

(35) IN HORTUM FLORENTISSIMUM REGIÆ MAJESTATIS.

Deſine mirari; quæ cernis, ô hoſpes, amixit
Chloris flore, Venus rore, decore Charis.

(36) IN EUNDEM.

Vidit ut hunc, Floraâ comitante, Favonius hortum,
Conjuga quid cenſes? hic habitemus? ait.
Grata marite jubes, retulit, quia diſcere poſſum
Hinc hortos ſimili fronde novare meos.

(37) Ad

AD (37)

HORTI DOMINUM

CHRISTIANUM IV.

Ingredere, Ingredere ô tua, Rex, viridaria lætus
Horarum vertit cardine ſecta fores.
Xyſta polit Zephyrus, denſat topiaria Chloris,
Ut ſint adventu cuncta venuſta tuo.
Quà greſſus ponas alabaſtri pandit honores
Flos Veneris, Daphne tollit in alta caput.
Turba Napæarum pinnis applaudit ab undis,
Grex volucrum pennis, dulciſonisque modis.
Ingredere, ingredere ô tua, rex, viridaria lætus,
Ut flos, ſic tuus hîc flore vireſcit honos.

AD (38)

SERENISS. PRINCIPEM

CHRISTIANUM V.

Inſpice Danarum rerum tutela, ſalusque,
Quod ſpeculum donat Muſula noſtra tibi.
Nonne vides celebris celeberrima facta parentis,
Quæ poſuit regnis non peritura ſuis.
Pauca vides non cuncta vides, ſed multa videbis
Cum venit ſtudiis aura petita meis.
Nam quis cuncta poteſt hac præſentare papyro?
Nemo, licet Smyrnæ Daphnide cinctus eat.
Hæc igitur blanda precor adſpice & accipe fronte
Fronde favent alii, tu mihi fronte fave.

(39) AD

Illustriss. Principem ac Dn.

JOHAN. GEORGIUM, DUCEM SLESVICI ET HOLSATIÆ, ACADEMIÆ GIESSENSIS RECTOREM MAGNIFICENTISS. 1609.

Legibus obsequium cum nos præstare moneres
Ausonio Princeps suaviter ore potens.
Cum grege Mnemosidum Chariteïa triga fave-
Ipse meum video, dixit Apollo, Linum, (bat
Respiciensque tuæ fratrem qui proximus auri
Stabat, & hinc, inquit, tu quoque pondus habes.
Macte sacrum germen regalis stirpis, & omnes
Omni mactabis laudis honore tuos.

(40) *Ad Illustrissimum Principem*

Dn. JOACHIMUM ERNESTUM DUCEM SLESVICI ET HOLSATIÆ &c. Acad. Giessenæ Rectorem Magnificentiss. 1610.

Mulsa Camenarum, dulcis melligo Minervæ,
Cujus amas artes, Ægida cujus amas,
Tu cum fratre tuo Giessensis donec Athenæ
Florebunt, patriæ flos peramœnus eris.
Fertile semen ibi tanti jecistis honoris,
Quod semen? Virtus. Indéne magna seges?
Magna seges, quam non solùm metet Hassia, ve-
Cimbria: sed si non utraque ferre queat? (rum

Quid

Quid fiet? ſua tunc Cæi ſoror horrea pandet,
Horrea ſub quinis ædificata plagis.
Cimber & Haſſus ovet, reſonet clariſſima Fama
Inter: habet ſegetes, Haſſia ſemen habet.

AD UTRUMQUE. (41)

Quis novus hic Caſtor? quis Pollux? & quibus aſtra
Tam nova virtutis ſigna ſub axe nitent?
Vos ô Cimbrorum ſanguis, vos eſtis, & ecce
Sidera veſtra nitent, gloria veſtra micat.
Oebalis ex ovis illos, vos omine fauſto
Protulit ex altis regius ortus Avis.

FINIS.

HENRICI ALBERTI
HAFNIA-DANI
SORTILEGIA
LYCOPHRONTICA,
SIVE
ANAGRAMMATA.

SERENISS. ET POTENTISS. (42)
PRINCIPI

CHRISTIANO IV.

DANIÆ, NORVEGIÆ, WANDALORUM, GOTHORUMQUE REGI &c.

Domino meo clementissimo.

VADE Camena rogo, patriæ florentis ad oras,
Qua Nerêi muris Dania cincta jacet.
Vade patri patriæ, regi de regibus orto,
Trade Lycophroniis carmina facta modis.
Quid video? quare lacero procedis amictu?
Cur non in nivea cornua fronte geris?
Cur non vestis adest Getulo murice tincta?
Cur non Mileti vellere texta chlamys?
En neque te lavit miseram Permesside lympha,
Nec subolis pluma tersit amica Venus.
Denique cum facilis via sit minus, impare gressu
Præfixum tangas vix nisi clauda locum:
Quid refert: habitu claudus Vulcanus agresti
Sæpe Panomphæum crus trahit ante Jovem.
Vade, vale, superi præsentes indice fausto
Monstrabunt ubi Rex inveniendus erit:
Si regat illustrem dicendo jura Senatum,
Annuet ex templi culmine diva Themis:
Si Clario dignos cœtu meditetur honores,
Lætisono plausu nuntia Pallas erit.
Si fortasse premens animosi terga Caballi
Crescentis lustret sedulus urbis opes:

Cer-

Cernas, ipse Phlegon, Pyroêis, Eous & Æthon
Ut varios gyros, Sole regente, trahant.
Scilicet ostendent, quanto rapiantur amore,
Subdere regali fervida colla jugo.
Si quoque Durateis peragrans Neptunia mannis
Æquora sejunctam visere tentet humum.
Innumero numero ludentes adspice Nymphas
Inter equos, salsas tramitis inter aquas.
Vade, Vale, faciem cum veneris ante petitam,
Ne majestatis fulgure cincta time.
Sis sine Cordolio, Chariteja dextra favoris,
Dum mitis capiet, lucida signa ferat.
Copia si fandi dabitur, brevitatis habenis
Dirigere eloquium præmeditata velis.
Sic ne erres supplex, animi reverentis honore
Præmisso, placidis ora resolve sonis.
Maxime Danarum rerum Rex autor & auctor
Paceque pacis Eros, Marteque Martis Eris.
Ecce Lycophroniæ tentata pericula curæ,
Curâ adolescentis inferiore, fero.
O cape, nominibus tot tanto nomine nomen
Si dones, laus est nominis una tui.
O cape, luminibus tot, tanto lumine, lumen
Si cumules, lux est luminis una tui.
O cape, nil aliud voti sonat ordo datoris,
O cape; si capias illicò compos erit,
Illicò, si renuas, donis Aganippidos impos,
Impos erit Phœbi, Pallados impos erit.
O cape, *Venator virtutis, captor Honoris,*
Eja capis, patriis cassibus eja capis.
Sic satis est, nostri sic maxima janua voti
Clavibus Euphrosynes jam reserata patet:
Sed tibi pro tanto quænam sit gratia facto?
Major, Apollineæ quam queat esse Lyræ:

Hæc

Hæc tamen addit ovans ſubmiſſæ pignora men-
Qui me regalem juſſit adire thronum: (tis,
Quantus is eſt,& quantus erit,tuus eſt,tuus omni,
Si licet, articulo temporis eſſe velit.
Nil niſi laus, tua laus ejus fluitabit ab ore,
Donec Lethæo pocula fonte bibat.
Interea tecum Phœnicis compleat annos,
Atque Sibyllinas *Anna Cathrina* dies.
Soſpite te ſuboles vigeat quoque ſoſpes, & olim
Cum ſeniore ſenex Danica ſceptra gerat.
Juncta tuis aſtet ſemper victoria caſtris
Inque coronatis alta triumfet equis.
Hunc age Muſa modum ſequere & veneranter
Sic erit optatæ cauſa peracta viæ. (abito,

---

(43)

CHRISTIANUS QUARTUS,

DEI GRATIA, REX DANIÆ, NORWEGIÆ, WANDALORUM, GOTTORUMQUE, DUX SLESEVIGÆ, HOLSATIÆ, STORMARRIÆ ET DITMARSIÆ, COMES IN OLDENBURG ET DELMENHORST.

REX DATUS A CHRISTO, VIRTUTIS AMATOR ET AUTHOR,
AONIDUM THEMIDOSQUE MERUS SERVATOR AMORQUE,
GNAVUS ALEXANDER, DAVID GREGIS ALTER AMICI,
EGREGIE LENIS SOLON, IN LAUDE BEANTE.

(44)

(44) EIDEM.

CHRISTIANUS QUARTUS, REX DANIÆ ET NORTWEGIÆ, PATER PATRIÆ.

IN TE DEGUNT VERA AURA, NOTA QUIES,
PER TE ARX PIA CHRISTI SERVATA.

Romulidûm quondam Domini, Grajûmque Monarchæ
Cùm cuperent vitæ noſcere dona ſuæ,
Cortinas veteris, devota mente, Sibyllæ,
Et tripodas Clarii conſuluêre dei.
Pythones valeant: quantus ſis, optime Regum,
Scire cupis? nomen conſule, certus eris.
In te nota quies vera, in te Flaminis *aura*,
Et Sophiæ *degunt* Caſtalidumque bona:
Arx Chriſti felix *per te ſervata* manebit,
Inque Tua ſtabit Dania ſarta manu.
Roma ſuos taceat, taceat quoque Græcia Reges,
Tu major fama, major honore viges.
O vigeas precor & videas, ut Danica terra
Arbitrio vireat facta beata tuo.

(45) EIDEM.

CRISTIANUS. SAT IN CURIS.

Nonne *ſat in curis*, Chriſti qui templa gubernat?
Qui fovet Aonias ex Helicone Deas?

Nonne

Nonne *ſat in curis*, patriam qui legibus ornat?
Qui leges Helicen judicat eſſe ſibi?
Nonne *ſat in curis*, qui regnat, Marte ſilente?
Qui Themidem paci copulat abſque ſago?
Hercle *ſat in curis*, nullo minor Hercule, nullo
Pol Polluce minor jure putandus erit.
Talis es, ô Regum ſuboles, Rex maxime, rerum
Danarum, patriæ maxima pompa tuæ.
Herculei capias igitur ſudoris honores,
Ut Pollux nautis, gratus amore bonis.

EIDEM. (46)

CHRISTIANUS REX DANIÆ.
REX IN DANIA ES UT CHARIS.

Sol oculus mundi, quo major luminis orbe
Præminet in regno ſidera cuncta Iovis,
Hoc melior recreat fœcundo lampadis igne
Quicquid humus gremio fertiliore fovet.
Sic *Chriſtjanicolum Rex Chriſtjaniſſime Chriſtjan.*
Quo majore tuum creſcit honore decus,
Hoc melior fis, hoc fis indulgentior, hoc fis
Gratior in populum, gratior inque Deum.
Sic magnum quodcunque bonum capit altius augmen,
Participanſque ſui ſic manet omnebonum:
Sic *Rex in Dania ut Charis es*, Charitëia lampas,
Luce beans quicquid patria clara tenet.
Hinc quiſnam poterit dignas tibi dicere grates?
Nemo, licet melicis ebrius extet aquis.
Sic Solis pro luce Deo neque gratia dici
Digna poteſt: Ejus gratia tota tibi.

(47) *Illu-*

(47) *Illustriss. & Reverendiss. Principi, Dn.*

UDALRICO, DIVI FRID. DANORUM REGIS FILIO, DUCI SLESVICI ET HOLSATIÆ, EPISCOPO BÜTZOVIÆ &c.

Sæpe mihi dubiâ versatur opinio mente
Unde tuum nomen, Dux generose, fluat?
Hic *Alaricus* ait, placet huic *Huldricus*, at illi
Udalricus, ubi Teutona lingua valet.
Eucharium dicit, cui ridit Suada Pelasga:
Roma *Favorinum*, cui favor ipse favet.
Sancta Palestinæ quos ornat adorea vocis,
Johannem potius significare volunt.
Sit quodcunque velit; tam pulchris non nisi pulchra
Omina nominibus convenienter eunt.
O ego si digno possem peragrare cothurno
Talia! quam cupidè mens animata foret!
Quando tot Heroes superes virtutibus Heros,
Quando tot Charitum dona beatus alas,
Ut repleas Famæ splendoribus ultima Thules,
Ut faveant laudi numina cuncta tuæ.
Nonnihil audebo: tu cerne pericula, quæ sub
Orbe tui clypei parvula Musa facit.

(48) HULDESRICUS.

DULCIS HERUS.

Dulcis herus Themidos, Phœbi, Pietatis, Honesti,
Dulcior est mulso, nectare, melle, favis.
Cum

Cum celebrent talem Charitum Te Triga Dynastam,
Nectare, melle, favis, dulcior an quid eris?

ALARICUS. (49)

LAUS ACRI.

Immensum subdit virtuti gloria calcar:
Hinc *acri laus* est substituenda viro,
O *Alaricum alacrem* stadio in virtutis ad astra,
Fac sociæ tollant, cantor Apollo, Deæ.

FAVORINUS. (50)

FAVOR SINU.

Phosphorus ut lucet, luces Bonitate serenus,
Inque tuo *Favor* est, Dux venerande, *Sinu*,
Ille Favor summâ faciat te laude perennem,
Perpluat in dignos largiter ille Favor.

GRATIANUS. (51)

GRATA UNIS.

Unis Grata Deo, populo gratissimus *unis*
Grata, Deus vitam det, populusque decus.

JOANNES. (52)

EN JASON.

Cum Sociis Colchas abiens Pagasæus Jason,
Aurea Phryxéæ vellera cepit ovis.
En, Dux magne, decus dum quæris, es alter *Jason*
Et tantum tanti nominis omen habes.

Fallor?

Fallor? an, extincto Virtutis fortiter hoste,
Complebit regnum Laus pretiosa tuum?

(53) EVCARIUS.

JUS E CURA.

Jus venit *è cura*: Juris defensor & Æqui
Æstuet in curis, nocte, dieque piis.

(54) VDAALRICUS.

LAUDI CARUS.

Laudi carus agis dignum, *Dux optime*, laude,
Quis te laudandum deneget esse Ducem?

---

(55) *Celsissimo Principi, Dn.*

CHRISTIANO V.
CHRISTIANI IV.

DANORUM REGIS FILIO.

CHRISTIANUS QUINTUS, ELECTUS REX DANIÆ, NORWEGIÆ, DUX SLESVICI ET HOLSATIÆ.

VIRTUS LEXQUE SINUNT AD VIREIS REGNA, JEHOVA
SIC DUCENTE, HIC SOL AXE SALUTIS EAT.

(56) AD

AD (56)

MAGNIFICÆ GENEROSITATIS, AMPLITUDINIS, ET PRUDENTIÆ HEROES, REGNI DANICI SENATORES.

Magnanimi proceres, Danatis corcula regni,
Pythones patriæ, præcelsi Regis Atlantes,
Quos Pietas animi melioris alumna coronis
Virtutum decorat, quos sanguis honorat Avorum,
Quos Themidos dulces Prudentia format ad usus,
Et variæ laudat solers pollentia Suadæ,
O Mæcenates Aganippidos Hippocrenes:
Huc faciles oculos, faciles huc flectite mentes,
Empyreis radiis soliti vestite Favoris
Tempora, curarum paulùm procedite circo,
Et precor Augusti tabulas deponite Consi,
Quid precor? ipsa Themis quoties defrenat habenas,
Spontè peragratis bifidi viridaria Pindi
Fessa Medusæo recreantes pectora mulso.
Scilicet Aonio Panacæa madulsa liquore
Stillat Apollineis è crinibus: ô Felicem,
Felicem populum succi quem Nectare tingit!
Ergo igitur tritas iterum cum visitis oras,
Intuitu vestrum libate parumper honorem,
Quem Clarii primo recubans in limine montis,
Cum decimus nondum pulsarat septimus annus,
Cœpit acu tenera tenuissima pingere Musa,
Musa nec Hebéo, scholico nec carcere missa.
Dum loquor ecquis adest? ecquid circumvolat aures?
Quæ strepitante putrem sonitu cavat ungula campum?

Phœ-

Phœbus adest, pansis adsistit Pegasus alis,
Fronte micans oculos tollit splendore coruscos,
Ora lavat spumis rigidos vexantia frenos,
Pectora rauca sonant, ita creber anhelitus urget.
Quid video? lætis sequitur quadriga veredis,
Clara nitens auro, flammasque imitante Pyropo:
Per juga Chrysolithi stantes ex ordine fulgent.
Quid nova pompa notat? quid vult Pataræus Apollo?
Quos vehet hic currus Vulcani munere major?
Fallor? an Aonides Parnassi culmine mittant?
Fallor? an invitet Musæos Phœbus in hortos
Vos ô regalis spectamina digna Senatus?
Ergo agite illustres tanto splendore quadrigas
Scandite: cuique suam commonstrat Gloria sedē,
Cuique caput roseo Chloris perfundit odore,
Et lemniscatis decoret Pandora corollis.
Tu prior Eois sceptrum venerabile conchis
Accipe, *Frisigenæ* palmaris adorea *stirpis*,
Accipe, submissis dat fascibus ipsus Apollo;
Jamque præit solidâ gravitatis imagine clarus,
Pegasei motis parent calcaribus armi.
Eja sequuturi talem cognoscite sortem.
Hirpinis Atavis generosi pondere vestro
Quadrijuges gaudent, gressus gaudente tolutim
Hinnitu glomerant, & per crispata jubarum
Ornamenta citi thalamo demissa Favonî
Blanditer aura salit, spargitque per arva tepores.
Ante rotas Horæ blando poppysmate mulcent
Tergora vectorum, violasque rosasque Cythéres
Orbita pressa genit, quarum saturantur odore
Naiades, Dryades, Satyri, pictæque Napéæ.
Quid si vos tanto de majestatis Olympo
Repentem per humum velletis cingere Musam
Ful-

Fulgidulis radiis, quos ſpargit ab arcibus altis
Frontium amœnarum divina Faventia rectrix?
Tunc nec Erythræi maris ignea grana, nec ipſos
Quos Arabes Crœſis poliunt curaret elenchos.
Sed ſubitò veſtri legeret veſtigia greſſus
Ad ſummos apices Heliconis amabilis, ut quos
Lingua catenatos tenet Herculis aure vacivâ.
O quas cantet ibi grates! quas carmine laudes
Dulciſono reſonet! Vivat valeatque per annos
Alitis unigenæ Reverenda corona Senati
Daniaci, per quem patriæ pomœria terræ
Incrementa ferunt atque ornamenta viciſſim
Phœbo, Pace, Dice, florente, vigente, valente.
Annuit eja Charis lævo omine, *Muſula gaude*
Sparge roſas, violas, & candida lilia ſparge.
Terna Deæ laticis Nyſæi cymbia liba,
Spica Ciliſſa lavet crines? levis abnue Mome.

DOMINO (57)

CHRISTIANO FRISIO

In Borreby &c. Daniæ Cancellario ter maximo.

CHRISTIANUS A FRIS.
TU IN SACRIS FARIS.
IN SACRIS ARS FUIT.

Item.

CHRISTIAN A FRIS.
ARS ACRIS FINIT.

Prima Deo Pietas, patriæ tribuenda ſecunda
Eſt ab iis, rerum qui moderamen habent.
Ergo, Magne ſenex, Te terque, quaterque beatum
Jure vocat Phœbus, Gratia, Suada, Themis.

Robore consilii non solum patria fulcis
Regna velut cœli culmina fortis Atlas:
Est tibi cura Dei, cordi est tibi gloria Christi,
Sæpius *in sacris ars* tua prona *fuit*.
In sacris faris, cum Christo sæpe loquendo.
Ars acris finit, quam colis, omne grave.
O decus! ô regni immortalis adorea nostri!
Non metues Lachesin cum sicelice sua.
En germana soror Cæi, Enceladique patentes
Vecta per Hesperidum Memnonidumque pla-
Ære sonante tuas tollit super æthera laudes, (gas
Et quanto potis est vocis honore canit:
Frisius æternum vivat bene, & utilis usque
Sit suboli Japeti, sit suboliqne Jovis.

(58) EIDEM.

CHRISTIANUS FRISIUS.

FRUI SCIS ARTIS NISU.
HINC STRUIS FAS VIRIS.
CHRISTI SANUS VIR FIS.

Scilicet est aliquid veris Juvenilis Amorem
Mnemosidum sacris attribuisse choris.
Scilicet hoc cuivis magnos aspirat honores,
Etsi vel ciceris, vel nucis emptor erit:
Sed majori illis Zephyro, quos vidit oriri
Ilithyia patrum nobiliore satu.
Sic, ô Frisigenûm Sanguen prælustre dicavit
Te Nymphis Clarii prima juventa jugi.
Jam dum res patriæ curas & legibus ornas,
Scis artis nisu commodiore *frui*.
Hinc fas omne Deo, justumque *viris struis* omne
Hinc sanus Christi fis vir & astra meres.

Suada

Suada tibi, Pithoque favet, Pimplæa, Themisque,
Pulcher Acersecomes, Mercuriusque favet.
Curia Te gaudet, gaudet te Academia, gaudet
Præside te, magni Regis honora domus.
Applaudit virtus, applaudit Paxque, Salusque,
Aurea libertas, relligioque Dei:
Ilia rumpuntur Momo: livoris ab ore
Murmure cum multo lacrima multa cadit.
At tu Fortunæ largâ bonitate beatus
Auxilio Danos Consilioque præis.

EIDEM. (59)

CHRISTIANUS FRISIUS CANCELLA(R)RIUS.

HIC NUNC LAUS ES, TURRIS FISA CLARIIS.

Phœbe mihi narra, Musis cur tanta voluptas
Sit sub Daniacis figere tecta plagis?
Qui Cancellorum secreta sacerrima septis
Clausa regit, *Frisius* num facit ille? facit.
O facis egregiè, Parnassi Scipio montis.
Virtutis templum, *Relligionis apex*.
Patronum varias mundi reperire per oras,
Qui te præcellat, Calliopæa nequit.
Nunc igitur *Clariis laus es turrisque* Deabus
Fisa hîc, Hafniacos quà Thetis ambit agros.
Eja redire facis Saturnia secula, pessum
Quæ subiêre nigras in Phlegetontis aquas.
Eja fugas aliâ Pandoræ pyxide fraudes,
Eja polo revocas cum pietate Themin.
Quid te fiet? opus tantæ Virtutis in omni
Laudis sede canant ex Helicone Deæ.

Instituantque novum *Frisii* de nomine templum,
Templum quod nunquam Mulciber igne pe-
Cujus at in Pario conscribat marmore grata (tat,
Mnemosyne aureolis patria gesta notis.
Huc quotquot crines merserunt Phocidos undis,
Hesperidum ex hortis florea serta ferent,
Quæ capiens dextrâ Phœbus plaudente sonabit:
Frisius orbis honor, Frisius orbis amor.
O decus Euboici ter dignum germine Glauci!
Sic eris Orcinæ sarcina sera rati.

---

(60) DOMINO

STENONI BRAHE

In Knudstrup / Regni Danici Senatori Magnifico,

STEINO BRAHE.

OH ARS BENE IT.

Si quis, qui gazas exornat Pallados arte,
Doctus & altus erit, Doctus & altus eris.
Fidere Fortunæ rebus, stultissima res est:
Nam quæ nostra facit, non facit esse diu.
Nempe dat, atque levis quæ sunt donata reposcit,
Ut qui hodiè Cœsus, cras miser Irus eat.
Fidendum potius Virtuti & Pallados arti:
Omnis terra artes nutrit alitque bonas.
Invigilet Musis, cui rem Fortuna negavit:
Oh it ad Attalicas *ars bene* sortis opes.
Hæc infortunî portus; possessio summa;
Hæc baculus vitæ, subsidiumque viæ.

Hanc

Hanc Bellona nequit vastare, juvante Gradivo,
Nec manibus furtim ferre Laverna suis:
Hanc nequit Ætnæis Vulcanus tollere flammis,
Nec sorbere suis fluctibus unda maris.
Nauiget Anticyras Fortunæ fisor, at artis
In Famæ curru sidera celsa petat.

DOMINO (61)

MANDERUPIO PASBERG

In Hagisholm / Illustri Regni Danici Senatori.

MANDERUPIUS PASBERG.
MENDAS PURE PURGABIS.

Eunomie multum tibi, Pasberg inclute, debet,
Quod studio tanto Jura bonumque foves:
Gorgonei multum debent tibi numina fontis,
Quæ veluti præses Phœbus amore colis.
Hinc quod munus? onus reddunt, nil munera cu-
Ex onere hoc veniet non periturus honos. (ras,
Tu patriæ *mendas purè purgabis*, honestis
Consiliis Regi Consus & ore Fides.
Ipsa Dice tanti stet firma columna laboris,
Sublevet & gnatam Iupiter ipse suam.
Gloria parjetibus mundi suffixa trabali
Pendebit clavo nominis inde tui.
Dic mihi, Pasbergi, tantóne virescit ab agro
Messis honos oneris, messis honoris onus?

(62) DOMINO

BREIDONI RANTZOVIO

In Rantzouholm &c. Senat. Regn. Dan. & Vicario Regis Magnifico.

BREIDO RANTZOVIUS TOPARCHA IN RANTSOVHOLM, SERENISSIMIQUE ET INVICTI REGIS DANIÆ ET NORVECIÆ CHRISTIANI QUARTI VICARIUS.

DO PATRIÆ ZELUS VIRTUTIS, ET ORDINO JURA
OMNIBUS: HINC ARIS EA VENA CONGERO CHARA,
QUÆ CHRISTI MERITIS CIVIQUE INSINT ET IN ARIS.

---

(63) DOMINO

HENRICO BELOVIO

In Spötterup &c. Regni Sen. Magnifico.

HENRICUS A BELOV.
HERCULES VI BONA.

Herculeam Herculeo gestans sub corpore mentem,
Seu Marte sit clarissimus,
Doctâ seu Pallados arte

Herculei

Herculei Herois Spartam cum laude gubernat
Sapienter atque sedulò,
Dignissimus Herculis ortu.
Talis es & tanto tituli celebrandus honore,
Vi fortis *Hercules bona*,
Pars Regi Henrice Senatus.
Hinc tibi signa tholo virtus suspendit eburno,
Supponit aureas Charis
Culto Cadmeïde natas.
Herculeo Herculeam gestans sub corpore men-
Henricus à Belov sibi (tem
Vires bonitate paravit.

DOMINO (64)

AURELIO WITFELDT
In Odersberg / Regni Danici Senatori & Cancell. Magnifico.

AURELIUS.
LAUS JURE.

A Lma Themis justi stans judicis ante tribuna *L*
V *A*na fugit quærens omnia *V*era sib *I*
Respectat la*V*dem: nam laus est ju*R* is in us *U*,
E t justis *S*ummum fert sin *E* fine decu *S*.

AURELIUS. (65)
VIR VALES.

*V*ir virtute *vales*, virtute valente valebis.
Qui virtute valet Nobilis ille vir est.

(66) EIDEM.

AURELIUS WITTFELDT.
DE VIRTUTE LAUS FLUIT.

Alitem Abantiadæ fontem ſculpſiſſe caballum
Calce ferunt vates, unde remanat aqua,
Quam quicunque bibit, Phœbo fundente, repletur
Doctrinæ Ambroſia, Nectareoque thymo.
Scilicet hic fons eſt *Virtus*, quam divite venâ
Summus Adamigenis miſit ab axe Deus.
Cujus qui guſtat ſvaviſſima pocula, laudis
Mulſa fit, ac Argis ſidera ſcandit equis.
Sic ne eſt *Aureli*, tu ſcis cultiſſime? Sic eſt,
De virtute fluit laus, honor atque decus.
Hac plenus decoras albi ſacra germina campi,
Hac plenus doctis doctus adeſſe potes,
Doctis perdoctus, claris perclarus, honoris
Sic in honore ſuper, ceu ſuper aſtra Phanes
Temporis egreſſus Lyncéa luce notaſti,
Te Jano, Hiſtoriæ ſtat patefacta domus,
Dania teſtis adeſt, cujus monimenta ſepulta
Cimmerio rapuit mens tua docta lacu.
Jam vivant reges, & eorum perlita Cedro
Facta, nec ulla dies hæc abolere queat.
En ideo Laudis fluvios Aquilone ſecundo
Ante tuos virtus efficit ire pedes.
Quàque premis terram ſurgit roſa, ſurgit odore
Idalio replens teque, tuumque caput,
Quod precor, ut ſtillans æterno melle ſalutis
Neſtoreas vibret, corde vigente, comas.

(67)

DOMINO (67)

HENRICO RAMMELIO
In Beckeskou &c. Regni Sen. Magn.

HENRICUS A RAMEL.
HUC SIREN, MEL, ARA.

Themis loquitur.

Huc miserum *Siren*, Legum *mel*, *ara* bonorum,
Atque vicem nostram ceu geris, usque gere.

EIDEM. (68)

HENRICUS RAMELIUS.
HERCULEUS IN ARMIS.

Item:

HEINRICUS RAMELIUS.
HIC VIRENS MUSALI RE-

Somnifero placidum ramo, ferulâque soporem
Intulerat membris nox taciturna meis.
Talia cum veniens Morpheus ostenderet intra
Meningos, habitu versicolore, tholos.
Stare mihi ad postes Panthei, ac inter alienos
Ægypti fratres esse ego visus eram.
Cynthius in medio residens cum Pallade læta
Cultorum cecinit de bonitate melos
Artis amatores dignè laudabat; at Artis
Et Martis celebro lumina, Pallas ait.
Phœbus adhæc, ubi sunt cultores Martis & Artis?
O vix tale tibi dia Minerva decus?

Illa, quid ô memoras? inquit, quot continet alma
Dania, quos ornat Martis & artis honor?
Dicite Tyndaridæ, (præsentes namque fuerunt)
An ego vera loquar? præmia digna feram.
Non ego vasa Numæ, non Thuscum fictile, non
Saturni, aut Cretes vile dicabo focis; (æs
Nec tantum faciam vobis Vestalibus urnis,
Argento poclum nec meliore dabo;
Aurea dona feram, faciam sit ut aurea vobis
Barba, ter ambibunt fulva metalla caput.
Dixerat: & subitò visi sub imagine somni
Ledæi statuæ per tabulata loqui.
Dania Phœbéas colit artes, Ægida jungens
Artibus, hinc famâ Pallas utrâque viges.
Exemplùmne rogas, *Henricus* talis amatur
Ramelius Danici fida columna soli.
Herculeus validis hic est bellator *in armis*
Hic est *Musali re* studiòque *virens*.
Finierant, Pallas cum dicere visa, tabellas
Accipe, surge, citis excipe cuncta notis:
Ecce repentè papyrus adest, pagelláque nigro
Mellonis graphicè vomere aranda datur,
Miletique habitû genitæ Cadmëides atro,
Sub digitis visæ sunt volitare meis,
Musa Gradive fave: Musæ favor atque Gradivi
Quæso fove, fovit quæ mihi noctis ebur.

(69) EIDEM.

HEINRICUS RAMELIUS.
CHARUS IN JURE MILES.

Quod fuit in castris Graiûm Nereïus heros,
Contra Trojani pergama celsa soli,

Hoc

Hoc es in Astréæ sacris, Generose Rameli,
Injusti contra bella profana gregis.
Charus ut ille fuit miles virtute Pelasgis,
Injure es *charus miles* & arte vales.
Alma Thetis fabri Iovialis ei arma paravit;
Alma Themis Sophiæ contulit arma tibi.
Fallor, an Æacides nunc alter es? ergo resurgat
Mœonides alter, qui tua facta canat.

DOMINO (70)

GEORGIO FRISIO

In Krastrup &c. Regni Danici Senat. Magnif. & Norvegiæ Proregi.

GEORGIUS FRIS.
RIGORES FUGIS.
GEORGIUS A FRIS.
SIS FAVOR GREGI.

Sola Diis homines æquat clementia dia,
Cui genitrix pietas, cui soror alta Fides.
Hanc pius Aureljus Romanus Cæsar amavit,
Cui meritum nomen Philosophia dedit.
Hanc pater Augustus coluit, Leo Magnus honore
Affecit, Titus semper in ore tulit.
Hanc quoque *Frisiaci* laus stemmatis ardua ser-
Consiliis Regi dum cumulatus ades. (vas,
Nam *Fugis* injustos cane pejus & angue *Rigores*,
Afflictis facilis, supplicibúsque bonus.
Macte animi, Virtus quem de meliore metallo
Fecit! & Aonio *sis favor* usque *gregi*.
Sic occet serò fatales Atropos annos,
Sic subeas nitidi gemmea tecta poli.

(71) DOMINO

ACCILIO BRAHE

In Eſtvid &c, Regni Dan. Senat. Magnif.

ACCILIUS DE BRAHE.
LAC HABES VI CEDRI.
SIC RE DULCIA HABE.

Mel ſine felle datur nulli: cui præbet amara
Mitis Eduſa prius, dulcia ſcire poteſt.
Sic quicunque Dices ſapidum lac fugere gaudet
Ducet amaritie pocula miſta prius.
Hoc tu feciſti, Charitum cultiſſime cultor,
Qui gentem mentis nobilitate polis.
Hinc lac habes, Themidos quod preſſit Muſa pa-
Candidius nivibus, Leucothoæque genis, (pillis
Hinc lac habes illo magè dulce, quod æthera pin-
Fluxit ab uberibus, cœlica Juno, tuis; (gens
Hinc lac habes fluxû lactis divinius illo,
Pavit Amalthéæ quo pia cura Jovem;
Hinc *lac habes* famæ *vi Cedri*, ſecula nulla
Quod videant maculæ corripuiſſe notas.
Sic re dulcia habe, dulci digniſſime vitâ,
Ut faveas Pylius, ſorte favente, ſenex.

(72) EIDEM.

ACCILIUS BRAHE.
HIC LIBER A CASU,

Nil *Fortuna* poteſt Stygio vel milite cincta,
Quum validas virtus promit ad arma manus;
Aufu-

Aufugiat, valeat, comitante ſatellite ſectâ,
Brahiadæ à caſtris caſtra movere decet.
Liber hic à caſu, virtutis in arce locavit
Præſidium, quo depulſa Acheronta petat.
Hic leges, aras, hic jura tuetur & æquum,
Regis & invicti regia facta regit.
O ter felicem cui virtus duxque comésque,
Quem bona cuncta beant, quem mala cuncta timent!

DOMINO (73)

PROEBERNO Gyllenſtiern

In Wosborg &c. regni Senat. Magnif.

PROEBERNUS.
RE PERBONUS.

Si ſub vulpe latens animi bonus eſſe videbor,
Hoc ſatis eſt, mundi turba proterva putat.
Ebibat Helleborum! Bonitas conſiſtit in actu:
Hypocritæ ſpecies criminis eſt ſpecies.
Tu bonus es *Præberne* imò *re Perbonus* ipſa.
Non aliis fumi venditor eſſe potes,
Perbonus ô maneas, patriæque perutilis: ut te
Vtque tui ſimiles Danica regna colant.

(74) DOMINO

HENRICO Lyche

In Offuergaard / &c. Regni Senat. Magn.

HENRICUS LYC(H)E.
HIC RE LYNCEUS.

Quum propter genus & genium Virtutis & arte Rex consiliis vellet adesse sibi, (tis
Calliope atque Themis, Phœbo sub judice, lites
Has agitaverunt: sic ait ipsa prior:
Lynceus hic heros est *re* Martísque Dicésque;
Jure igitur Martis sit decus, atque Dices.
Calliope retulit: sicut viret integra Daphne,
Hic est arte *virens*, Pegaseáque *chely*.
Pegaseis igitur promotor honoribus adsit,
Et capiet curis præmia digna suis. (tronus,
Tum Phœbus: cultor Musæ, Themidósque pa-
De Musæ & Themidos lumine lumen erit.
Taléne *Lychiad & gentis* generosa voluptas,
Henricus patrio gaudet adesse throno?
Adsit Jo! donec qui cætera cuncta dedêrunt
Addiderint Pylii tempora læta Ducis.
Applausere deæ dicentes: Lumen adesse
Alterutri magnum, majus utríque decus.

DOMINO (75)

ÆSCHINO Broch

In Estrup &c. Regni Senat. Magnif.

ÆSCHINIUS BROCH.
ES CHARIS HIC NUBO.

Terrigenûm mentes quanto splendore coronet
Clara Themis Charitum consociata choro;
Æschine testis eris cœlique solique voluptas,
Æschine Brochiadæ summa columna domûs.
Nam cum Pandoræ tetris impleta venenis,
Pyxis abegisset numina cuncta solo;
Tu Themin inventam sic blanda voce petebas:
Es Charis, aut Charitum de grege, *nubo* tibi.
Hinc quicquid rari primo servavit ab ævo
Maxima ter centum clavibus arca Jovis,
Sponte tui intravit cordis purissima templa,
Ut fieres terræ delicia atque poli.
Unde sciam quæris? non solùm vita fatetur,
Sed quoque votivum nominis omen habet.

DOMINO (76)

OLAO Rosenspar

In Skarolt / regni Senat. Magnific.

OLAUS ROSENSPAR.
EN SOL SUPRA ORAS.

SOL

SOL ORNAS SUPERA.
POL ORNAS SERVAS.
EN SORS PAR SALVO.
SOLERS PAR NOVAS.
O LAUS ROS PARENS.

Ut decorat ſuperos cœleſtis fornicis ignes
Munere Lemniaci vectus Apollo fabri,
Tu *ſupera exornas* ſuperi *Sol* jura Senatûs
Conſilii donis, Fortis Olae, tui.
Pol ornas, ſervas, Themidos venerabile numen,
Párque novas ſolers quum renovare licet.
En ita tè *ſalvo par ſors* conſtanter obumbret,
Antennáſque tuas aura ſecunda ferat;
En Sol alter eris *ſupra oras* cognitus omnes,
Quà Matuta venit, quàque recurrit equis,
Sol, radiis famæ qui ramos arboris ortæ
Stirpe Roſensparia, dulce fovere queat.
O *Laus* Mnemoſidum, Charitum *Ros*, Magne Themiſta,
Qui ceu charus amas jura paterna *parens*.
Dignus es, ut cingant Horæ tua tempora ſertis,
Quæ Phæbo imponunt egrediunte domo.
Quid video? veniunt? jam te nil Sirius igne,
Nil poterit pluviis ſtella nocere Capri.
Sirius ipſe caprum perimens livore coruſcum,
Splendoris pereat vi ſuperante tui.
Ecce boves ipſi fugiunt Titanis, eáſque
Seriùs ut videas Parca piata jubet.
Nam virtute vales, quo Glauci germine ſumto,
Cerbereas Danacen quis dabit ante fores?

EIDEM. (77)

OLAUS A ROSENSPAR.
O ROSA LAUS PARENS.

Eſt roſa flos Veneris, Cytheréos nata per hortos,
Flos niveo vincens omne colore genus.
Huic meritò totus planum ſimilaris ad unguem
O *Roſa* Nobilium blanduła, Olae, virûm:
Sicut enim candet tacitarum vellus aquarum,
Sicut flos Paphiæ, ſicut & albus olor.
Haud aliter ſtudiis animus tibi candet Honeſti,
Candet amore boni, relligione, fide.
Nec poſtrema tenet laudis ſubſellia virtus,
Quæ primo ponit patria ſacra gradu.
Scilicet hujus habes etiam ſub pectore curam,
Quod læto ſentit Dania tota ſinu.
O *Roſa*, *laus*! O fide *parens*! O gloria quanta
Hinc tibi proveniet, fama docebit anus.

EIDEM. (78)

OLAUS DE ROSENSPAR.
SALUS RES PRONA DEO.

Qui cupit ex humili ſuſtollere tramite pectus
Salutis ad faſtigium,
Non delubra petat, non Ethnica numina, tanto
Negotio præfulciat:
Tendat ad aſtra manus, feriat prece ſidera ſæpe,
Opiſque pondus ſentiat.
Nempe *ſalus res prona Deo*, datur omnibus, illam
Qui diligenter expetunt.

Ex-

Expetis æterno, Vir Cordatissime, voto,
Et accipis quod expetis.
Accipe quod voto, pietate, labore, mereris;
Nemo invidebit invidus.

---

(79) DOMINO

CHRISTIANO Holck
In Suenstrup / Regni Danici Senatori Magnifico.

CHRISTIANUS.
CHARIS INTUS.

Te quoque, regalis membrũ prælustre Senatûs,
Holchiadum splendor, Musula nostra canet?
Musula, quæ nondum blandis semota papillis
Mnemosynes, metuit ponere sola pedes:
Te, quem nec Phœbus cumularet laudibus æquis
Voce canens, mensam quâ canit ante Jovis.
Hanc tamen haud rigidus placidâ complectere mente
Dum de Christjani nomine pauca movet:
Nomine, quod tanto tibi convenit ominis auso,
Quanto quod Domino Romula turba dedit.
Christjanus Charis intus erit, metagrammatis
Litterulis variâ si licet ire viâ. (arte,
Quàm pulchrum nomen! quàm pulchri nominis omen!
O dignum tanto nomen & omen hero!
Intus in ore tuo residens *Charis* aurea dictat
Verba, quibus Pitho vellet amica loqui,
Intus in arce animi regnans *Charis* aurea curat
Consus ut ad nutum sis maneásque Dices.

Intus

Intus in æde tua degens *Charis* aurea, fronte
Et virtute piâ tèque tuòsque fovet.
Quæ *Charis* illa? *Charis*, magni quam Rector
Sub casti misit gaudia digna tori. (olympi
Hæc est quarta *Charis* cultu gravitate, pudore
Conjuga Rachelæ conspicienda fide.
Pieris hæc decima est Suadelæ dotibus aucta,
Doctrinam superans, docta Corinna, tuam.
Hæc Venus est formæ miro candore secunda,
Præcedens albis Laödamian equis.
O te felicem, cui linguam, pectus & ædes
Dirigit egregio talis honore *Charis*,
Nestor ut eloquio, sapienti ut pectore Calchas;
Utque tuæ gentis sis venerandus Atlas.

DOMINO (80)

ENVALDO Kruse

In Hielmitzlöffgaard / Regn. Sen. Magnifico.

ENEVALDIUS CRUSE.
SERVA DEUS IN LUCE.

Dum tua jam variis vastatur vinea tauris,
Dúmque furunt multi per tua prata sues;
O *Deus in* verbi nos *serva luce* sacrati,
Quis non victor erit, luce micante tua?

EIDEM. (81)

ENUAALDIUS CRUSE.
LAUDE VIRES CANUS.

C*rusiadum*, Eusebiæ, *Themidos*, Virtutis, *Athenæ*,
Gloria, *Promotor*, cultor, *alumne*, decus.

Nesto-

Neſtoreos annos, Parcarum lege favente,
Curriculo vitæ tangere, magnus honos:
Magnus honos illis, qui cum virtutibus annos
Amplificant, aliis res mala, nullus honos.
Magnus honos igitur niveis circumvolat alis
Te, ſacro Sophiæ concomitante choro.
Nam tibi Cygnéo maturam vellere frontem
Veſtit in eximio læta ſenecta gradû.
Laude vires canus, præclarus Laude virebis,
Nec Clothûs densâ nube nigratus eris.
Condiet Eunomie te laudis aromate dulci,
Et virtus Famæ ponet inantè fores.

---

(82) DOMINO

SIGVARDO Berß

In Förßlöff &c. Quæſtori Regio.

SIVARDUS.

ARDUUS IS.

A*rduus is*, pietáſque præit quaſi Fanus honoris
Subſequitur celeri gloria digna gradû.

(83) EIDEM.

SIEGVARDUS.

DURAS VIGES.

D*uras* atque *viges*, Pulchri durante vigore,
Atropos hæc nunquam forfice fila ſecet.

(84)

DOMINO (84)

ANDREÆ Sinkler

In N. N. N.

ANDREAS SINCLER.
INCLARES ARDENS.

Si quis, qui veræ flagrat virtutis amore,
Nobilis esse potest; Nobilis esse potes.
Sicut enim præstans adamas splendescit in auro,
Sic virtus inter Nobilitatis opes.
Nempe tibi hæc, heros augusto stemmate nate,
Mens animi dictat de meliore luto,
De meliore luto quam finxit Dædala Pallas,
Pallas amicitiis semper adaucta tuis.
Inclares ardens zelo pietatis & æqui,
Non secus ac fotus Mulciber igne novo;
Inclares ardens famæ melioris honore,
Non secus ac Eos, quando resurgit aquis:
Hinc te florentis Fortunæ rivus inaurat,
Hinc tua laus solium scandit ad usque Jovis,
Gorgoneæque sinu gestata viraginis, omnes
In stirpem radios spargit agitque tuam.

DOMINO (85)

JOACHIMO HüEBNERO,

TEUTONICI ORDINIS IN DANIA CANCELLARIO AMPLISS.

JOACHIMUS HüEBNERUS.
HIC MUSA REBUS VENIO.,

Nobilis Astréi *Joachime* patrone Laboris,
Quem titulo decorat Juridicina suo.

Dum

Dum Themidos bifidâ profers librata bilance
Consilia, & Danis Teutona jura regis.
Dúmque locis aliis legati munere fungens
Verba Periclæo fusa tenore facis: (tur,
Verba quibus mirè Regésque, Ducésque moven-
Verba, quibus vires Suada diserta parat.
Fortè rogas cujus tituli gaudere cothurno,
Et quid de studii dicere laude queas?
Verte tuum nomen, Pallas mihi dictat in aurem:
Quæ legis, hæc tripodis vincere crede fidem.
Quid legis? *Hîc rebus venio* fidissima *Musa:*
Sicne potes de te dicere jure? potes.
Macte tuo titulo, quem Musa novena salutat
Dœmonium Musæ, Dæmoniúmque Dices.

---

(86) AD

MAGNIF. REVEREND. CLARISS. CONSULT. EXPERIENT. ET DOCT.

DNN. PROFESSORES

Academiæ Regiæ, quæ est Hafniæ Danorum.

Mnemosyne quoties animi penetralia pandit,
Et veteres gratâ præsentat imagine curas,
Nescio per quales Charitum se Triga latebras
Insinuans mecum pariter miratur aperta,
Et (mage quod miror) pariter rimatur operta.
Jam quoque præteritos dum volvo revolvo Fa-
vores,
Quos Suppromus Amor vestræ virtutis ab imis
Porrexit cellis mihi, *mellitissima corcla*
Eusebies, Themidos, Meditrinæ, Philosophiæ,
Protinus Euphrosyne demissam vellicat aurem:
Sic-

Sicne ſuis meritis hic ſuggrundaria ponent?
Quin potiùs pergas buſtum tumulúmve merere.
Taliter & mentem primo formavit in æſtû
Quum recolens Musâ puerili fata Johannis
Auderem patriæ pluteos vexare cathédræ
Obſequio veſtris addictus juſſibus omni.
Quid facerem? volui monumentum & pignus
Ferre clientelæ vobis cupienter ad Aras (honoris
Ingenii votis calamos ac ſcrinia poſco,
Et tripodes votis oracula congrua jungunt
Nominum amabilium; Sed fallax Scæva parato
Parebat, nec vos iſtis veneratus adivi
Myrtileos ocres & Hyantia paſcua Nicri.
Nunc calidæ tandem linquunt penetralia Veſtæ
Inque ſinum fugiunt Muſæo rore madentem
Veſtrarum Charitum: vacuas concedite ſedes
O Academiæ patres, quos Pallade dextrâ
Danigenæ gentis ſummus conſcripſit Achilles,
Ille pater patriæ, quo quo florente, perennè
Floreat Euſebie, Themis & Meditrina triumfet,
Poplica res creſcat, res priva vigeſcat. O illum
Vobis, vos illi, mihi utróſque reſervet Iova;
Si placeam vobis, illique mihique placebo.

DOMINO (87)

PETRO JOHANNI WINSTRUPIO

SS. Theologiæ Doctori & Profeſſori in Academia Hafnienſi, totiùſque Sielandiæ Superattendenti digniſſimo.

PETRUS JOANNIS WINSTRUPIUS.

TU VERNAS UT PINUS PURI SIONIS.

Pinus ut in denſis ſurgit pulcherrima ſilvis,
Pinus ut arboreas tollit in alta comas.

Pi-

Pinus ut est lignum, ratibus quod commodat usum,
Pinus ut æternâ floriditate viret:
Sic veræ doctor pietatis, Episcope Christi,
Gloria Pieridum, Relligionis apex;
Sic in Christiadum surgis pulcherrimus agris;
Sic niveum niveo tollis honore caput;
Sic à Te sibi fert Ecclesia commoda multa;
Sic vireas felix, hic & in arce poli.
Scilicet *ut puri tu vernas* alta *Sionis*,
Pinus terrigenis utilis atque DEO.

(88) EIDEM.

PETRUS VINSTRUPIUS.
INSTRUIS PURE PUTUS.

Instruis Hevigenas *putus purè* arte salutis.
O quam divinum nominis omen habes!

---

(89) DOMINO
JOHANNI PAULI RESSENIO
SS. Theol. Doctori & Professori ibidem.

JOHANNES PAULI RESENIUS.
VIR PLANE JESU NOHE SANIS.

Pinge mihi Paulum: pinxi. jam pinge Johannem
Zachariæ subolem: pictus & ille nitet.
Jam simili varios confunde calore colores,
E tribus ut facies emicet una viris.
Adspice: Thariadæ mentem, mentémque Davidis
Finge; animum justi denique finge Nohæ.

Fictum

Fictum est: nunc hilari profer sermone Thalia,
Cujus in hac tabula fulget imago viri?
Nónne sacrâ princeps est Doctor in arte Johannes
Ressenius, patriæ pompa secunda scholæ?
Sic est, is Paulus studio, pietate Johannes,
Vir planè Jesu cœlica verba docens.
Is *Nobe sanis*, Christo qui credere gaudent,
Voce David dulci, Thariadésque fide.
Sancte Vir, ô tanto sis semper ab omine lætus,
Hoc optat virtus, optat Apollo tibi.

EIDEM. (90)

JOANNES RESENIUS.
O NE VIS INANES RES.

Non mundana placet tibi gloria, *res & inanes*
Ne vis ô magni gloria magna viri!
Prudens ter prudens is, qui cœlestia tractat;
Demens ter demens, quem rapit orbis honor.

DOMINO (91)

CONRADO ASLACO
SS. Theol. Doctori & Profes. ibidem.

CONRADUS ASLACUS.
SULCA CORDA SANUS.

Hafniaci vigilans Heliconis ocelle, supremi
Mysta Dei, Cliûs Uraniæque nitor.
O Conrade, tui quis non monumenta laboris
Ad statuas famæ vermiculata videt?
Uranie genium tibi demonstravit Olympi,

Naturæque vices Musa docere dedit.
Jam *sulcas sanus* patefacti vomere verbi
Corda, ut Evangelii messis abunda cadat:
Jámque supinatas ostendis numine glebas
Cœlesti Zephyro, qui pietate calet.
Quid majora canam? cunctis in rebus es Argus,
Cui somnum Panos fistula nulla feret;
Hafniaci vigilans Heliconis ocelle, supremi
Mysta Dei, Cliûs, Uraniæque nitor.

(92) EIDEM.

CONRADUS ASLACUS.
DUC NOS CARA SALUS.

D*uc nos cara salus*, Paradisi quæ colis hortos,
Inter delicias divitiásque tuas.
Tu potes infirmum corpus curare salubri
Temperie, ut pessum pestifer Auster eat;
Tu facis, ut nostras optata Lubentia mentes
Incolat, & triplici Robore cincta Charis.
En umbrata genas intactâ veste Juventus
Téque, tuásque sibi semper amicat opes:
Te colit annorum series, quibus ambedit artûs,
Ne spoliet dulci luce nefanda lues.
Duc nos cara salus quocunque sub axe feramur
ASLACÍQUE tui sis sine fine memor.

(93) EIDEM.

CONRADUS ASLACUS.
LAUS SACRA DUC NOS.

Virtutis precium Laus; Laus fax mentis honestæ:
Felix cui præfert Laus animosa facem!

Felix

Felix, quem ſacræ Laudis divina voluptas
Virtutis ſummum ſub penetrale vehit!
Duc nos ô ſacra laus, vitâ placeamus ut ipſa,
Mortéque felices ſimus honore novo.

DOMINO (94)

LEONHARDO METZENERO,
J. U. Doctori, Conſiliario aulico & Profeſſori ibidem.

LEONARDUS METSENERUS.
DURA SOL MENTE SERENUS.

Sit Fortuna tibi comes, & ſit amica Minerva,
Sit tibi dux Phœbus, ſit tibi ſerva Charis.
Sit tibi Mercurius conſultor, Jupiter ultor,
Eunomiéque quies, Eunomiéque labor.
Sic aulæ & Muſis *dura ſol mente ſerenus*,
Ut terræ & nitido Cynthius ipſe pòlo.

EIDEM. (95)

LEONARDUS METZENERUS.
ZELUS ORE MENTE DURANS.

Tu ſuboles Themidos verè es: nam nomine teſte
Mente boni *durans zelus* & *ore* tenes.

(96) DOMINO

JONÆ CHARISIO

J. U. & Med. Doctori Consil. aulico.

JONAS CHARISIUS DANUS JURIS UTRIUSQUE, MEDICINÆ, PHYSICÆQUE GNARITATIS DOCTOR.

VOS AD JUS DUCIT CHARIS, INSTAT HYGEA DOCETQUE,
SANARE INQUIRIS, PRAVO INIMICUS ERIS.

(97) EIDEM.

JONAS CHARRISIUS DANUS, JURIS ET MEDICINÆ DOCTOR.
CORDO CHRISTO, JUS VIRIS, SANARE ADNITENS VI MEDICA.

Sicut in Hesperio Chloris lepidissima campo
Omnia non uno serta colore facit:
Sic neque mundus iners mentem complectitur unam,
Sed sequitur proprii quisque caloris opus.
Hic finit imposito tundi se calce Vacunæ;
Hujus amor Martis bellica signa sequi:
Huic nimium cordi Midæ sunt fulva talenta;
Hunc trahit illecebris Cypria Virgo suis.
Hoc cultore viget Pomona, Hippona, Priapus,
Sacra Pales, Bacchus, Delia, Flora, Ceres.

Sed

Sed nihil ex istis mea mens miratur amátve,
Dum sequitur multo nobiliora bona.
Sanare adnitens medica vi morbida membra,
Cor ego *do Christo*, *Júsque* perenne *viris*.
Hæc si, dante DEO, facio dum munere vitæ
Perfruor, an curem quicquid Erinnys agat?

DOMINO (98)

THOMÆ FINCHIO,

Medicinæ Doct. & Prof. ibidem.

THOMAS FINCHIUS MEDICINÆ DOCTOR.

IN CHRISTO FIDEM CONDO HIC EAT MUSA.

Absque timore Dei tumidum Doctrina venenum.
Nil valet artis honos absque timore Dei.
Condo Fidem in Christo, Christo duce & auspice Christo
Hîc eat ad Clarias *Musa* salubris aquas,
Hic Meditrina sibi facilem componat Hygejam,
Uraniéque suum sedula tentet opus.
Nam Sophiæ genitrix pietas est enthea virtus,
Quíque pius, facili cuncta labore potest.

(99) DOMINO

GELLIO SASCERIDÆ

Medicinæ Doctori & Prof. ibidem.

GELLIUS SASCÆRIDES.
SALUS ÆGRIS DE CELIS.

Ampla *salus ægris de celis* provenit altis,
De medicis etiam provenit ampla salus:
Quisquis habes animæ rationem, corpore læso,
Arjete sæpe precum limina tunde poli.
Mox quoque se pandet Medicinæ janua: Nemo
Talis Agenoreæ frustra erit ante fores.

(100) EIDEM.

GELLIUS SASCÆRIUS.
ALIUS CELSUS ÆGRIS.

Sis *Ægris alius* Phœbéo munere *Celsus*,
Et tuus ante alios celsiùs exstet honos.

---

(101) DOMINO

M. JOHANNI ERASMO

Physices Prof. ibidem & Philos. facult. Decano spectabili 1608.

JOANNES ERASMUS.
MUSA SERENA SONI.

Pallada sub cerebro, Sophiam sub pectore gestas
Clare vir, éstque tui *Musa serena soni:*

Hinc

Hinc cerebro Pallas, Sapientia pectore spirans,
Oréque Musa tibi tanta tropæa parant,
Barbarie ut victâ, doctissimus ipse Magister
Imponas doctis nomina docta viris.

DOMINO (102)

M. JOHANNI JOHANNIS

Professori ibidem.

JOHANNES JOANNIS.
EJA HONOS IN ANNIS.

Magna decent magnos, annis virtutéque magnos
Magnus honos magno non sine jure decet.
Eja tuis magnus, præclare Magister, *in annis*
Non magnis, virtus hoc facit, exstat *honos*.
Perge docende, bonisque favendo ad Nestoris annos,
Sic, auctis annis, crescat adauctus honor.

DOMINO (103)

M. CHRISTIANO JOHANNIS

Profess. ibidem.

CHRISTIANUS.
HIC ARS INTUS.

H*ic ars intus* adest, ubi sedulitatis in armis
Marte labor præstans excubat ante fores.

Quæ CHRISTJANE gravent te nunc in laudis arena,
Artem devictam Marte laboris habes.

---

(104) DOMINO
M. CHRISTIANO LONGIMONTANO
Matheseos Professori ibidem.

CHRISTIANUS LONGIMONTANUS.
HIC ARS NON MULTIS NOTA NUGIS.

Ætherias tentare domus stellantis Olympi,
Quem juvat, ac animo pervolitare polos,
Altiùs ille suum, Peligno teste Poeta,
Creditur humanis exseruisse caput,
Hoc studium statuam linguâ radiante Beroso
Inter Athenarum mœnia clara dedit.
Tu simili surgis mactandus honore Mathésis,
CHRISTJANE Hafniacæ florida palma scholæ;
Tu tristes hyadas rabiémque videre Notorum
Ante potes, quàm de fornice lapsa ruat;
Argestes, Zephyrus, Boreas, Rex Æolus ipse,
Stellarúmque cohors cognita mente tibi;
Mente, cui *multis non nota* scientia *nugis*,
Ars quam Gorgoneis ebria tingit aquis.
Hic ab Anaxagoræ casu semotus acerbo
Quas dabit, invenies, culta Mathésis opes.

(105)

DOMINO (105)

M. WOLFGANGO RHUMANNO
Profeſſ. ibidem.

WOLFGANGUS RUMANNUS.
AGNUS FUNGOR, UNUS LUAM.

Chriſtus loquitur.

A*gnus* ego patiens divino munere *fungor*
Motus amore mei, patre volente, gregis.
Unus iniqua *luam* totius crimina mundi
Verberibus, vinclis, ſanguine, morte, cruce.
Quiſquis Adamigenûm fieri cupis incola cœli,
Sis horum ſummâ cum pietate memor.

EIDEM. (106)

WOLFGANGUS.
GNAVUS FULGO.

G*navus* ego *fulgo*, gnarus fulgére laborans;
Qui gnavus, gnarus fulgur honoris habes.

DOMINO. (107)

M. HERMANNO NICOLAO
Prof. ibidem.

HERMANUS NICOLAI.
ANIMO LENI CHARUS.

Charus es eximiâ Muſarum dote Magiſter;
Leni animo charus charus amore boni.

Non Junonis avem ſequeris; quo quæſo colore
Pingere te melius conſcia fama queat?

---

(108) In

ejuſdem Nuptias cum lectiſſima
Nimfa Maria Petria.

HERMANUS NICOLAI.
ANIMO LENI CHARUS.

MARIA PETRIA.
MARITA RE PIA.

Nil *animo leni* cœpiſti *charus* amari,
Nomine, *réque* tibi eſt illa *marita pia*.

(109) IISDEM.

HERMANUS	MARIA.
AN HERMUS;	AMARI.
NICOLAUS.	PETRIA.
LAUS ICON.	PERITA.

P*etria* quæ ſplendet jam ſponſa *perita* Minervæ
Digna eſt *Maria Amarier*.
Nónne *Hermanus* amet? Sic. Fallor, *an* huc fluat *Hermus*,
Et *Icon laus* tori cluat?
Hoc *Niclaus* avet, versóque binomine præfert;
Verare fac me Jupiter.

(110)

DOMINO (110)

M. CANUTO BESCHE

Prof. ibidem.

CANUTUS BEESCHE.
ACUTUS NEC HEBES.

Cos acuit ferrum, cos exsors ipsa secandi;
An ita quæ nescis, docte Canute, doces?
O minime! vixti discendo semper *Acutus*,
Jam *nec-hebes* Sophiæ mira reperta doces.
Pergere perge: tuum quivis ita laudet acumen:
Discipulos acuis, Doctor acute tuos.

DOMINO (111)

M. JOHANNI CANUTIO

SSp. Fionicæ Diœceseos.

JOANNES CANUTIUS.
TU VINCAS OS INANE.
SONA CANTU IN JESU.

Quum tibi promeritum nomen titulúmque Magistri
Cum Sophie Phœbi turba novena daret,
Tu doctrinæ armis *vincas os* fortis *inane*
Barbariæ, dixit, matre jubente, Charis.
Dixit & adduxit te mox Pietatis ad ædes,
Ut fineret voto pondus inesse rogans.

Illa ſalutatum cum perluſtraſſet ad ungues
Applaudens manibus talia verba tulit;
Sacra *ſona cantu* ſacrato *in* nomine JESU,
Sacrum Evangelico germine paſce gregem.
Sic verè vincas mundi fœdiſſima monſtra,
Sic placeas vero, qui dabit aſtra Deo.
Finiit; & Spartæ munus donavit honeſtæ
Cujus adornares relligione decus.
Hoc facis ardenti zelo, venerande Magiſter,
Ut facias, faciat qui facit omne, diu.

---

(112) DOMINO

M. JOHANNI BANGIO

Paſtori Eccleſiæ ad SS. Hafniæ.

JOANNES BANGIUS.

EN SINU BONA AGIS.

Omen habet nomen, Chriſtorum, *Jane*, ſacerdos,
Quod tibi Baptiſmi ceſſit in amne datum.
Nam dum ducis oves ad paſcua læta Jehovæ,
En agis ex imo non *bona* pauca *ſinu*.
Quâ ratione tuas melius ſe ferret ad ædes
Cœlite proſperitas irradiata face?

DO-

DOMINO (113)

M. OLAO COCCIO,

Paſtori Eccleſiæ ad D. Nicolaum ibidem.

OLAUS.
O LAUS.

Chriſtum qui docet ore, corde ſervat,
Echo dic quis is eſt Olaus? *ô laus*
O *laus* Euſebies nitens Olae.
Sis ſemper quod es; éſne *Olaus? ô laus.*

PARENTI PIENTISSIMO (114)

CHRISTIANO ALBERTIO

Conſuli Regiæ Metropolis Hafniæ Danorum.

CHRISTIANUS ALEBERTIUS.
RITE SIS CHARUS LUBENTIA.

Gratia quæ grates ſatis, ô pater optime, dignas
Pro meritis poterit voce referre tuis.
Tecum habitat zonis Aglaïa læta recinctis,
Germanáſque ſuas juſſit adeſſe mihi.
En benefactorum flores ſubmiſſa Thalia
Tinctas obſequii lacte virere facit:
En hilaris gratæ proponit pignora mentis
Euphroſyne, capies pignora, quæſo, pater:
Quod mihi per*charus ſis ritè lubentiâ* amoris,
Gratia cui grates nulla referre queat.

(115) EIDEM.

CRISTIANUS ALEBERTIUS.
ABS SACRIS VERE NIL TUTI.

Absque *sacris verè nil tuti* tota ministrat
Machina mundanis consolidata bonis;
Sacra Dei, turres, arces, munimina, muri,
Parma, chlamys, clipeus, cassida, sacra Dei.
Horribili furias trux Turcus acinace ducat,
Heluo trux hominum frendeat ore Sathan.
Nos sacræ turris septi munimine, Christi
Sub clipeo tuti stabimus absque malis.

(116) EIDEM.

CHRISTIANUS ALBERTIUS.
LAUS SACRIS RITE NUBIT.

Tuta salus tutæ tutâ Pietatis in arce,
Tuta guberna tenet, tuta tropæa parat.
Ritè sacris studiis *Laus* incluta nubit, & ista
Laude salus floret, laúsque salute manet.

(117) EIDEM.

CHRISTIANUS ALBERTIUS
VIRTUS CHARITAS LIBENS.

Quid Charitate filio,
Parentis extet charius?
Quid Charitate dulciùs?
Quid Charitate pulchrius?
Quid Charitate optatiùs?
Quid Charitate amantiùs?

O Cha-

O Charitas parentium
Tagi metallis charior,
Et melle Hymetti dulcior,
Veneris puello pulchrior,
Cunctis bonis optatior,
Cunctis bonis amantior,
O *charitas virtus libens*
Flore rosis Faventiæ,
Vige cedris Volentiæ,
Flore, vige, rosis, cedris,
Faventiæ, Volentiæ
O *charitas virtus libens.*

Præceptoribus suis meritissimis.

DOMINO (118)

M. DANIELI MENIO

Rectori Septemviralis cis Albim Athenæi.

DANIEL MENIUS.
DELIUS IN AMNE.

Nescio quem memorant figmenta poëtica Phœbum
Regia Castalii sceptra tenere gregis;
Illius imperio Parnassi culmina subdunt,
Atque Aganippæas Bellerophontis aquas.
Ficta valete: piis hîc stat schola dedita Nimfis,
Quà ruit in Mysios piscifer Albis agros.
Hîc Helicon verus, verus Parnassus habetur,
Hic Hippocrenes flumina vera fluunt.

Quis

Quis nisi tu, *Meni*, gerit altâ mente gubernum
Inque Medusæo *Delius amne* cluit?
Ipse viam monstras Heliconea templa petenti,
Vel scalam præbes, quâ superare queat.
Quanta tuis humeris incumbant plaustra laborum,
Quis nisi qui vidit commemorare potest?
Plus sudoris habes illo, qui Sisypha saxa
Luctanti volvit per juga celsa manu.
Nec toties tumidam Lernæ qui contudit hydram
Amphitryoniaden ingemuisse puto,
Quam te, dum peragens Phœbéum munus honestas
Cum melicis medicas, luce micante, Deas:
Haud rude donari tamen hoc in agone laboras,
O verè Ardalidum Delius esse potes!

(119) EIDEM.

Cæsariem promitte, nitentem demete barbam,
Alter & *in* clario *delius amne* cluas.

(120) EIDEM.

INVENI MEL DAS.

Quum petit Ennéi populatrix ales Hymetti,
Omne genus florum, quod zephyritis habet,
Singula delibat, sed quæ dulcissima tantum
Colligit, unde paret fertile mellis opus:
Sic tu, Phœbicolûm fidissime Rector, ab omni
Flore legis pueris dulcia mella tuis.
Ipsemet *inveni*, *mel das* prædivite cornu,
Quali vix proprium pascit Apollo gregem.

Extruis

Extruis inde favos, mulsumque medulla favorum
Pegaseo Phœbi mista liquore facit.
O quàm dulcacidos mulsum dat Nectaris haustûs!
Non superis tales ipse coronat Amor:
Et tamen Ambrosiam doctrinæ largiter addis;
Scilicet ut pellas cum sitis igne famem.
Quis te ita non coleret, qui nutris jugiter omnes
Melle, favis, mulso, Nectare & Ambrosiâ?

EIDEM. (121)

MENS DIVA LENI.

Herculeos *leni* Jovæ *mens diva* labores,
Quos variis offert dura Juventa modis.

DOMINO (122)

M. MICHAELI RACHELMANNO
Conrectori ibidem.

MICHAEL RACHELMANUS.
HINC MELLE CHARA MUSA.

Solis ad exemplar Lunæ componitur orbis,
Discipulæ justas quæ gerit usque vices.
Hinc, vir docte, *micans* es *clarè luna*, tuique
Solis ad arbitrium cuncta potenter agis.
Quis Sol ille? Dei donum pulcherrima virtus;
Hanc colis, hanc audis, hanc reverenter amas:
Hæc Lydius lapis est, hæc est cynosura serena,
Cujus, ceu Phœbi luna, nitore micas.
Tu quoque Misniacis decus immortale Came-
Non inconcinnè Luna vocatus eris; (nis,

Hæc

Hæc varios ſumit reparando cornua vultus.
Sic tu, dum ſcholicum fers onus atque jugum.
Nunc blandâ exſtirpas vitiorum ſemina voce,
Nunc dictis addit pœna paterna fidem.
Cuncta prius mitis tentas; pus atque venenum
Continuâ Pœon ſedulitate fugas.
Cætera quid memorem? *ſalve* clariſſima *Luna*,
Quæ puerûm tenebras irradiare vales.

(123) EIDEM.

MICHAEL RACHELMANUS.

Anacreon.

HINC MELLE CHARA MUSA.

Novenſiles ſorores
Hebraicos honores,
Ciceronicos lepores,
Pelaſgicos amores,
Tuæ dedêre Suadæ,
Suadæ cor eruditum
Sophiæque Margaritum.
Hinc melle chara Muſa
Tuam regit loquelam,
Suam tegit querelam,
Propter rudes querelam,
Quos Murciæ ſub antris
Clauſos tenet Vacunus;
Deterrimus Vacunus,
Pauperrimus Vacunus;
Vacunus oſor artis,
Vacunus anſa Martis:
O Melle chara Muſa
Tuum fove Magiſtrum

Tuum

Tuum move Magiſtrum
O *Muſa chara melle.*

DOMINO (124)

M. HENRICO MEURERO

Subrectori ibidem.

HEINRICUS MEURERUS.
HEM RE VERUS IN CURIS.

Laudibus effertur pro ſedulitate Cleanthes,
Nec curas Umbri denſior umbra tegit;
Vidit eum Phœbe ducentem Acheloia pocla,
Vidit eum Sophies ducere Phœbus aquas.
Hic verſare molas piſtrini nocte ſolebat,
Pieridum verſans, Pieris ipſe, die.
Scilicet haud aliter, Saidos Meurere ſacerdos,
Nocte diéque ſoles ferre laboris onus.
Jam pueros ſolvis. quos à virtute juventa
Abduxit morum deteriore bolo:
Jam qui non Afræ fuit oris & indolis Afer
Fert lucem ingenii dexteritate tui.
Hem ſic *in curis re verus*, nonne Cleanthi
Proximus & Plauto, culte Magiſter, eris.

EIDEM. (125)

HEINRICUS.

Hic eſt arte *virens* artes qui percolit uſu:
En hîc arte *uris*, Muſicus *hinc* ne *vir es.*

(126)

(126) MEURERUS.

Murus erat Grajis olim generosus Achilles
E re Musarum *murus* in arte viges.

---

(127) DOMINO

M. ABRAHAM OCUMMERO
Pastori Ecclesiæ Misnensis
ad Afram.

ABRAHAMUS CUMMERUS.
MUSARUM CURAM HABES.

Quid jam Misniacâ venerande Magister in urbe
Tractes, en animi lumine cerno mei.
Herclè Vacunalis non stas ad limina templi,
Herclè tibi Bacchus non rigat imbre caput.
Non ideò ætherias natum te lucis in auras
Mercurius vidit Mnemosidumque pater.
Non ideò fovit lallantem Pallas in ulnis,
Et fixit roseis oscula Suada genis.
Non ideò Lini genitrix Amathusidos ultra
Axes, stravit iter templa tibi ante Jovis.
Sed quia vir esses cœlesti germine Christi
Qui nutriret oves Pieridúmque greges.
Hoc opus, hic labor est tuus, ô doctissime Abrha-
Abrhamo curis nomine parque pio. (me
Ducis Adamigenas ad sacri pascua verbi
Musarum curam Musicus auctor *habes*. (ctam;
Fallor? an Abrhami peragas id ad usque sene-
Fallor? An hoc votum Musa Deúsque probent?

DO-

DOMINO (128)

GEORGIO BELZARO

Med. Doct. Misnæ Hermundurorum.

GEORGIUS BELZAR MEDICINÆ DOCTOR, MISNÆ.

Cor Medici gregis à zelo ardenti bona sume
Zelus virtutis præmia digna meret.

GENEROSO ET ILLUSTRI (129)

DOMINO

COMMENSALI ET COLLEGÆ,
De remediis contra corrupt. Rerump. disputant.

GUILIAELMUS LUDOVICUS A FREIEBERG,
LIBER BARO IN JUSTINGE ET OEPINGE.

Distichon Anagrammaticum, cujus literæ numerales, quæ notato tempore non habent pares, annum indicant.

MUSA LABORE VIGIL SUB DURI LUCEO LITE,
EGREGII PIUS IN FINE BEANTE REGO.

(130)

(130) NOB. JC. DN.

JANO GRUTERO,

Bibliothecario Palat. &c.

JANUS GRUTERUS.
GRATUS IN VERSU.
TER ARGUS IN USU.

Fortè per Aonios ſpatiabar alacriter hortos,
Ponè ſequebatur Momus hiante labro,
Quúmque Trias Charitum properè ſpexiſſet euntem,
Muneribus mactis obvia fecit iter.
Obtulit Euphroſyne tua dia pericula, peplo
Mnemoſynes, Sophiæ ſcripta decente manu.
En ait, exemplar veteris præluſtre nitoris!
Perlege; perlectum mentis in ære nota.
Cum legerem, Momus naſum ducebat aduncum
De facie cupiens te quoque noſſe virum.
Mox aderat, rutilis tabulâ ſplendente Pyropis,
Effigiêi pandens Calliopeja tholos:
En hic eſt *Janus Gruterus gratus in* omni
Verſu ter dixit, ter reſonante lyrâ.
En hic eſt omni *ter* prudens *Argus in uſu.*
Ter dixit, Neſtor, ter Charis inquit, erit.
Interibi Momus crepat omnibus inteſtinis
Fitque ſuæ Matris verſus in oſſa lapis.
Tunc ſibi tunc placuit Phœbi grex totus & ille
Dum placet ipſe ſibi tanta, Grutere, facis.

(131)

DOMINO (131)

NICOLAO BACHENDORPHIO
Med. D. Heidelbergæ.

NICOLAUS MATTÆI BACHENDORPIUS
ARTE CLUIS PÆON, BONUS HIC ID AMAT.

Arte venit victus, venit arte Lubentia vera
Arte venit famæ laus, favor arte venit.
Eusebie, Meditrina, Themis, se rite colentes;
Laude, favore, bonis; mactat, honorat, alit.
Tu pietatis amor, Niclae, Themistos ocellus,
Præcipuè *Pæon* sedulus *arte cluis*.
Propter *id* omnis *amat bonus hîc* te pectore læto
Omnibus ínque locis semper amatus eris.
Propter id aureolis te laus circumvolat alis
Testatura sonans: quod venit arte venit.

DOMINO. (132)

M. TANCREDO LÆLIO
Consanguineo peramando.

MAGISTER TANCREDUS LÆLIUS DANUS.
DUM SANAS DULCIS ARTE GALENUS ERIT.

Es Sophus, æternam Sapientia rara coronam
Crinibus imposuit, Tancred honore, tuis.

Es

Es Medicus Medicina tibi despondet Hygejam;
Quo magis Æsclapi filia digna foret?
Accipe divinam (pater exhibet ipse) puellam,
Quas gestat, dignâ dote ministrat, opes.
Ecce Draco tibi fert Epidaurius artis acumen
Nodosúsque manum sponte bacillus init.
Difficiles morbi salebras medicamine vincas
Nodosam solvas dexteritate luem.
Ecce tibi serpens etiam venit, ecce vetustæ
Folliculum gestit despoliare cutis.
Non aliter læsis expugnes noxia membris,
Et revoces vires ad meliora novas.
Nec cristatus abest strepitanti voce maritus
Excubias noctis Gallus obire satus.
Scilicet hanc superes studio vigilace, salutans
Titanem, quoties Nerea linquit equis.
Nil restat: sanâ feliciter utere dote,
Dum sanas, dulcis arte Galenus erit.

---

(133) DOMINO

PETRO PETRÆO

Rectori scholæ Nicopingensis, suo olim in paternis ædibus præceptori.

PETRUS PETRÆIUS.
JESU PER TE PARTUS.

Per *te* sum *partus*, *Jesu* dulcissime frater,
Sanguine sum partus mortéque, Christe, tua
Me serva partum contra Phlegetontis alumnos,
Jesu, sis *rupes*, sis mea *petra*, precor.

NU-

NUPTIIS DOMINI (134)

GEORGII NICOLAI HAMMERI
Malmogienſis.

Diſtichon, cujus Hexameter Sponſi & Sponſæ per Anagrammatiſmum continet nomina, pentameter annum, quo nuptias Hafniæ celebraverunt.

GEORGIUS NICOLAI HAMMERUS.
CHRISTINA PETRI MUNCH.

LIS PERGRATA MIHI HUC; VIN ME? HOC GRATISSIME CUR NON?
Nos In aMore par I neCte benIgne DeVs.

Decas Anagrammatum (135)

Theſéo ſuo Fideliſſimo,

CLAUDIO PLUMIO
J. U. Cand.

CLAUDIUS PLUMIUS DANUS.
IN LUDI PLAUSU DUC MUSAS.

In ludi plauſu duc Muſas, optime Ductor,
Ductor in Aſtréæ magne future choro.
Quum ludus plaudit, Muſis ſine crimine ductis,
Egregiè Themidos amplificantur opes.

Tunc ea tam suavi te voce salutet ovantem,
Pieridum ductor, jam mihi Doctor, have.

(136) JUS PLANUM DAS DULCI USU.

Jus planum dulci das usu, candide Theseu,
Usus sit juris dulcis, id opto, tibi.
Cur ita non fuerit? das dulcia, dulcia habebis,
Dulcia sugit apis, dulcia donat apis.

(137) MUNDAS JUS DULCI PLAUSU.

Jus mundas dulci plausu, tua nomina furtim
En tegit implicitis hoc anagramma notis.
O quàm vera tegit, tu jus Rationis in amne
Mundas, applaudit Suada, Minerva, Themis.
Balsama Suada parat, tingit Jove nata Minerva,
Peplum quo terges fert Themis alma suum.
Non ego mirabor si jus candore Caystri
Præniteat cygnos, dexter Ocelle, tibi.

(138) INCLUDI PLAUSU SUDAMUS.

Includi plausu sudamus, Gloria Calcar
Virtutis: Virtus Gloria summa manet.

(139) DIUS CLUAS, LAUDUM PINUS.

O tu Castaliæ semen genitricis, in agrum
Quod laudis sevit cultor Apollo suæ,
Quàm niveo lactis te proluit imbre Thalia
Quàm fovet ætherio sancta calore Themis.
Quin mirer, Claudi, si forte vocabere *laudum*
Pinus, cum crescas firmiter hoc in agro?
Quid mirer, si forte *cluas* in Pallade *dius*,
Quum faveant divûm numina tanta tibi?

(140)

DULCIA NUM VIS? PLUS SUDA. (140)

Vendit Labori Jupiter omnia
Servata quanquam vectibus æneis
Ærario clausit, Draconum
Sive recondidit inter alas.
Phryxéa quidnam vellera ovis tulit
Auro micantis? Nonne labor tulit?
Et Herculi quid tot tropæa?
Nonne labor dedit atque sudor?
O quisquis es *num dulcia vis* tibi?
Suda: labores *plus* referent boni,
Quam quæ *pigros tradit Lavernæ*
Dira Vacuna, Laverna Diti.

SALUS UNDIS APUD CLIVUM. (141)

Non satis est leviter gustasse Aganippidos undas
Et Pindi primum scandere posse gradum.
Nempe *Salus undis apud* altum maxima *clivum*
Aurati solii sede micante sedet.
Hic tibi detergat sudorem linteo Honoris,
Détque *salus* festas exhilarare dies.

PALLADIS MUNUS USU DUCIS. (142)

Pallas es ingenuis, Claudi cultissime, curis,
Pallas in eximio laudis honore sapis.
Quid tibi pro galea? pietas: pro Gorgone? virtus.
Pro clipeo? bifidum jus sine fraudis ope.
Utere tam firmis armorum viribus: *usu*
Sic *ducis munus Palladis* ante Themin.

(143) CUPIDUS LAUDIS ALUMNUS.

Et quis ita Anticyris caput insanabile gestat,
Audeat ut dites temnere laudis opes?
Quis velit igniculos Naturæ extinguere lymphis,
Quas Stygiis hausit sæva Megæra vadis?
Ducimur instinctu Naturæ laudis ad arcem;
Laus optata sacras cardine verte fores:
En, petit actutum *cupidus* te *laudis alumnus*,
Intrato Claudi, janua quanta patet!
Hà quid ego video! laudis redamatur amator,
Semper habens meritum Laudis in æde locum.

(144) PUDICUS LAUDIS ALUMNUS.

Dicebam, Plumi, *cupidus* tu *laudis alumnus*:
Dicebas cupidum sperno *pudicus* ero.
Scilicet infami notat ambitione cupido
Laudis ubi decorat Fama pudicitiam.
O caput aureolum! cum te pudor aureus ornet,
Cujus honor non sit cujus amorve tibi?
Te nisi totus amo, nisi te sincerus honoro,
Cur sit Honor Musis, cur sit Amórve meis?

(145) TRIGA

Anagrammatum in nomen ejusdem.

I.

CLAUDIUS PLUMIUS, HAFNIENSIS DANUS.

AD MUSAS IN SPE, FANI NIL DULCIUS USU;

In fano Musas nemo profanus amat.

(146)

II. (146)

CLAUDIUS PLUMIUS DANUS.
LAC DIVINUM PULSU SUDAS.

Strenua cum *pulsu* ſtudii per ſepta cerébri
Vadit, Amice potens ſtrenuitate, tui.
Lac ſubitò *ſudas divinum*, quod Themis urnâ
Concipit Aoniâ, Fama quod inde bibit.
Fama bibens miro capitur dulcedinis æſtu
Et latices tanti Nectaris uſque cupit.
Arripe Plumiaden tecum ſuper æthera Fama;
Illum Laude riga, te quoque lacte riget.

III. (147)

I CLUAS DIU DUPLUM SANUS.

Nunc igitur menti reſidens ſententia calcar
Addit & externas urget adire plagas?
Scit Fidius, Sancus ſcit, ſcit Didymæus Apollo
Quàm malè disjungi corpora noſtra feram:
Sed quid? diviſis amor unus, & una manebit
Mens, ut & abſentes, quæ regat, una fides.
*I ſanús*que *cluas duplum diu* amore perenni
Quo, Lacheſis ducit ſtamina, cunque, tibi.
Dulichio comitata Duci per ſaxa, per ignes
Auxilium Pallas conſiliúmque tulit.
Te comitatus herus cœli, comitante Phalangis
Angelicæ cœtu, proſperitate regat.
I, ſta, vive, vale, nunquam jace amice; precatus
Téque valente valet, téque jacente jacet.

(148) SUO

FRIDERICO SEVERINIO.

FRIDERICUS SEVERINI.
IN CURIS FIDE RE VERIS.

Ut facis, *in curis re veris fide* potenter:
Stirps, robur, gazæ, fallere sæpè solent.

---

(149) *FRATRI SUO GERMANO*

ALBERTO ALBERTIO.

ALBERTIUS.
RITE ALBUS.

Pectore, fortunâ, mento, sis *Albus*, id opto;
Sic *Albus ritè* candide frater eris.

---

(150) SUO

PAULO MENIO.

PAULUS MENIUS MISENENSIS.
LAUS IN MUSIS PENUM INESSE.

O quid Pieridum lepidissime pulle Dearum,
O quid agis cordis portio Paulle mei!
Te pater Aonia forsan Pimpleïde tingit,
Tinxit ut Æaciden in stygis amne Thetis,

Vel

Vel tinctum celsas Heliconis tollit in arces,
Ut tergat matris Calliopeja peplo.
Sic est! ipsa tibi referat Charis orgia Pindi,
Ipsa Medusæi dona ministrat equi.
Num tamen Henricum memori sub pectore ser-
Quem Fidius summo lustrat amore tui. (vas
O ter dulce caput, quantus sis ejus in imâ
Mente animi, novit Sancus & alta Fides.
Non secus illius flores in pectoris agro,
Quàm vel in Actæâ Palladis arbor humo.
O si Dædaleos alarum stringere remos
Posset, & Ennéis artibus esse celer,
Haud propius Phœbi rutilas se ferret ad ædes,
Haud sereret Cereris munus in arva soli,
Te, te, mox peteret volucri velocior Euro
Imprimerétque tuis oscula mille genis.
Oscula, quæ talem nobis augeret in usum
Quinta parte sui Nectaris alma Venus.
Sed quia Triptolemi non fas conscendere cur-
Remigiíque vetat Dædalus arte frui, (rum,
Accipe quod mittit veri testamen amoris
Hoc Anagramma, tui nominis omen habens.
Maxima *laus*, fructus studiorum maximus est *in*
Musis omniferum semper *inesse penum*.
Unde queat promi thesauri copia, quanta
Præcellat cunctas, quas habet Hermus, opes.
Tale penum quondam te patria grata vocabit,
Si pergas cœptam continuare viam.
Eja probè pergis palmas pariture perennes,
O Phœbi proles, Pieridúmque penu.

(151) SUO

ABRAHAMO MENIO.

ABRAHAM MÆNIUS.
IN ARA MUSAM HABE.

Fruſtrà adeas amnes Aganippidos Hippocrenes,
Fruſtrà Mnemoſidas ex Helicone voces,
Nì tibi monſtret iter Pietas, aditusque recludet,
Ni votis animi congrua fata ferat.
Gnavus *Muſam* quæris? *habe* pietatis *in ara*:
Hinc Abrahame petis, hinc Abrahame capis.

---

(152) SUO

JOHANNI BURCARTO,

JOANNES BURCARDI.
VIBRAS IN CANDORE.

Candor amicitiæ gluten, quo juncta nec ullis
Rimis nec carie, florida ſemper, hiet.
Candor amicitiæ tutor, tutamine cujus
Vim Cotti ſpernat Centimanique Gygis.
Sic Sancus ſancit, ſic albo condita panno
Fida Fides fidit, ſpéſque relicta monet.
Sance, fides, & ſpes, ſpes pyxidis heroina,
Nónne meum Janum candidus ambit honos.
Sanxiſtis, fido, ſpero, Burcharde faveto,
In candore vibras, Cordis imago mei.

(153)

CANDIDISS. MEO (153)

STERNENBECIO.

CASPARUS STERNENBECIUS.
BENE SINCERUS, PAR CASTUS.

Siquid amicitiæ decorat venerabile fœdus,
Certè ſincero pectore candor erit,
Candor amans caſtos morum ſine labe pudores,
Conjungens mentes, conſtituénsque fidem.
Si quis amicitiæ faciem depingere gaudet,
Idéæ pingat ſigna venuſta tuæ.
Tu *benè ſincerus pariter* quoque *caſtus* amore
Eurialum, Actoriden, Pirithoúmque refers.
Sim tuus Hyrtacides, donec quatit Æacus urnam,
Æacidéſque tuus, Cecropidésque tuus.
Sis Pollux, ego ſim Caſtor, Caſpare fidelis,
Ut ſimiles illis ſecula noſtra ferant.

EIDEM. (154)

CASPARUS STIERENENBECHIUS.
HIC UT SAPIENS RES BENE CURAS.

Qui ſtudet à Sophiâ laudis portare coronam,
Multa pati debet, multa moleſta feret.
Abſtineat Veneris Bacchique cupidine prudens,
Martius abſtineat Martis amore fero.
O te felicem, Caſpar, qui *res benè curas*
Hic velut *ſapiens*, nomine teſte tuo.
Nomine quid? nomen tam felix continet omen,
Teſte tuâ vita, Pallade teſte tuâ.
Hinc olim patriæ, ceu fulgida ſtella, coruſces,
Quando in Gorgoneo flumine lotus eris.

(155) NOB. DN.

W. HENRICO à Weingarten / Rhenano:

WOLFGANGUS HEINRICUS A WEIINGARRTEN.

LAUS GENERI GNAVO VIRTUS EN UNICA FRUGI,

VInea sIC botros præstet aManDa tIbI.

---

(156) NOB. DN.

GEORGIO ERNESTO WORM à Woer Dano, in Galliam abeunti.

GEORGIUS ERNESTUS WORM á WOëR DANUS.

EGREGIUS VERA MUSA ô STRENUUS UNO DURO.

Giessa vale, dicis, dicturus Gallia salve,
Splendide Wormiacæ Nobilitatis honos.
Sic validus dicas vale inclita Gallia, salvus
Sic salve dicas, Dania grata, precor:
Plura quidem vellet Musæa viatica Phœbus
Ferre meus chartis, fautor amice, tuis.
Stant volucres manni pedibusque repagula pul-
Cum sociis etiam tempus abire monet. (sant
Hoc precor hoc opto supremum, quando redibis
Te tali excipiat Danica terra sono:
Egregius vera musa ô strenuus uno
Duro! cum redeas, quid nisi charus eris?

(157)

DOMINO (157)

M. JOHANNI ARNOLTI
DE FINE Dano,
Præceptori Nob. Wormi ornatissimo.

Distichon cujus hexameter hoc:

JOANNES ARNOLTI DE FINE HAFNIENSIS DANUS.

Pentameter hoc:

JOANNES ARNOLTI DE FINE HAFFNIENSIS, continet nomen.

Linea finis honos, sana en fidendus in arte.
Fani linea, honor stans sine fine fide.

---

(158)

JOH. LAUR. BLIX ISOPEDIO:
Norwego: SS. Theol. Candidato.

VI. Anagrammata disticho ordine inclusa ex nomine hoc:

LAURENTIUS.

In te laurus inest, lauru laus uniter, in re
Lautus, vir en altus nites lauru.

(159) EIDEM.

JOANNES LAURENTIUS BLIX ISOPEDIUS.

LAUS NON LEVIS PIO INDIES EX ARTIBUS.

Factum bonum quòd arte tingis Jane te!
Laus non levis pio indies ex artibus.
Quâ laude tu mactaberis doctè pius,
Pieque doctus laude qua mactaberis?
O æviterna laude! Laudis in choro,
O æviterne Candidate, gratulor!

(160) EIDEM.

Jane Palestinæ præsignis adorea Pethûs,
Cui callere dedit studii melioris Apollo
Quod gremio latium, quod Pantechnéa Pelasga
In prægnante sinu gnavis præservat alumnis?
An tibi conveniens vis symbolon? ecce condunt
Symbolon ipsa tui mysteria nominis amplum,
Quod trepidis numeris trimeter deducit jambus:
Laus non levis pio indies ex artibus: (aptè.
Symbolon anné placet? placet & tibi convenit
Es pietatis amans: pietatis & artis honores
Perpetuò crescunt tibi germine laudis in hortis.
Utibilem quondam magni sudoris opellam
Navasti pueris, fingendo corcula parva
More Epicharméo, reserando Musica tempe:
Nunc quoque Krabbigenæ virtutis ocellulus
Flos adolescentum, genii melioris imago, (ille
Te

Te ſibi Phœnicem ſequitur veneratur amátque
Venturus patriæ quondam generoſus Achilles:
Hæc ars, hæc laus eſt, à qua Pellacia ſortis
Nunquam deturbet tua facta, piiſſima facta
Jane Novenſilium gratiſſima palma ſororum.

---

(161)

HENRICO ARCTANDRO
HAFNIA-DANO.

HEINRICUS NICOLAI ARCTANDER.
EN HIC IN DOCTRINA CLARA VIR ES.

Dum lucra Atlantiades, vacuos dum Murcia ſoles,
Dúmque ſuis donat ſuavia pæta Venus.
Tu, ſpretis aliis, luſtras Parnaſſia caſtra,
Arctander docti docta propago patris,
Scilicet, ut ſacres excultum nomen in arce
Signat ubi niveo lacte Moneta viam;
Scilicet, ut tandem tibi patria talia cantet:
Doctrina in clara en hîc vir es eja veni?
Sæpè mihi blandâ dixit Polyhymnia voce,
Adſpicis Arctandrum, noſter alumne, tuum?
Pinge Menedemum, pingebam; finge ſodalem
Illius; finxi, mox ait, ecce quis eſt?
Adſpexi: faciémque tuam miratus adeſſe,
Proh! dixi; vincit ſedulitate duos:
Laudo nec invideo: cur illis invidus eſſem,
Quos ita Latoides ex Helicone videt?

(162) NOB.

HERONI. MAUR. à CLOSTER
Frisio, amico jucundissimo.

HERO MAURITIUS à CLOSTER.
AMORE RECTI SOLA VIRTUS.
AMOR à VIRTUTE, HIC SOLERS.

S*ola* hominis *virtus recti* consistit *amore*,
Quo Charites hominum, quo meret astra Dei.
Hic amor à solâ *solers vitute* remanat;
Scilicet huic rectum recta dat omne Themis.
Sic Charites hominum meret, & meret æthera cœli
Qui colit hanc; *Hero* tu colis; ergo meres.

---

(163)

ANDREÆ BROITZEMIO
Brunswigio LL. Studioso.

ANDREAS BROITSEMIUS BRUNSWIGUS.
GRATUS DEO UNA MUSIS IN URBIS REBUS.

Ante oculos animi Christi præpone favorem,
In stadium quisquis prosperitatis abis.
Hanc tuus aureolis tactus calcaribus almæ
Virtutis metam, tangere gaudet equus.
Felicem metam, felix Broishemie, tangit,
Quàm de te talis fama sub axe volat.

Eja

Eja *Deo gratus, musis* edoctus & *unà*
Magnus consilio *rebus* in *urbis* apex.
Tunc ego te voti concentu prosequar hujus,
Pirithoi Theseus lætus amore mei. (salve.
Urbis amor, Dei amor, Musarum amor inclite
Urbs & Musa soli, det Deus arva poli.

---

(164)

CHRISTIANO HENTSMANNO MISNENSI.

CRISTIANUS HENTSMAN MISENUS.
INTUS ANIMUM SANANS CHRISTE ES.

Christe animam es sanans intus per pharmaca verbi,
Me sana verbo, sic ego salvus ero.

---

(165)

NICOLAO ROSBACHIO.

NICOLAUS ROSBACHIUS MÛLENBERGA-MISNICUS.
SIS CORCULUM, SIM CURO, BINAS NE HABE LINGUAS.

Quid Nicolae candide
Cultor Minervæ provide
Novem Dearum floscule,
Apollinísque ocellule;

Quid

Quid in tuo chartaceo
Animi manens teſtatio
Arabo campo vomere
Qui raptus eſt ab anſere?
Sis corculum, ſim curo, ne
Binas habe linguas: vide
Quid indicet nomen tibi.
Fac omen afferat mihi.

---

(166)

CHRISTIANO CANUTI.

CHRISTIANUS CANUTI.
IS UT CHARIS IN CANTU.
TU CHARIS IS IN CANTU.
TU CANIS UNIT CHARIS.
CHARIS CANTUI INTUS.

Dic Erato: ſtudii jam cujus aduſtulat ardor
Chriſtjanum noſtrum? deſidiæne litat.
Ut charis in cantu trahit *is* diſcrimina vocum,
Saltat ad illius Muſa novena mele.
Quid Canute novi? quàm laudem voce mereris?
Tu charis in cantu is? macte favore novo.
Anteà dicebam tibi *tu canis* & *charis unit!*
Poſt hàc dicam *intus cantui* es ipſe *charis*.

(167)

JOANNI HASSO, N. N.

JOANNES HASSUS.
JHESU NOS SANAS.

Nullus Apollo poteſt depellere ſpicula lethi,
Jheſu nos ſanas, eſt tua certa ſalus.

---

(168)

JOANNI FREISTEN.

JOANNES FREISTEN.
OS IN FRÆNIS TENE.

Os infrene parit triſtiſſima damna loquaci,
Os infrene Duces perdit opéſque ducum:
Quiſquis habes fibras auræ melioris & auri,
Infrenis teneas os, ita ſalvus eris.

FINIS.

HEINRICI ALBERTI
HAFNIA-DANI
ELEGIARUM
FASCICULUS.

AD NOB. ET CONS. (169)

JANUM GRUTERUM.

Castra petit Famæ, primo mea Pieris ausû,
Quem colat Ajacem, quo duce tuta cluat?
Porrice tu clipeum magni *Grutere* favoris,
Ut sub eo firma se statione clepat.
Es Telamoniades, doctrinæ balthea servas,
Nec rigido gaudes Hectoris ense frui;
Vicisti, vidit placidum victoria Phœbum;
Non alium Æaciden tanta tropæa manent.
O serò tali nox sera serescat Honori,
Ut crescat Musis hoc in Honore Favor.

AD EUNDEM. (170)

Si mihi Myrtileâ blandi quid fecit in urbe
Vertumni dubiâ sors vice læta soror;
Si mihi Acersecomes donavit munera grata,
Quum colerem Musas, quas Nicer ambit aquis:
Obtulit hæc Sophies cornu de divite, promsit
Pallados ex arcis Gruteriana Charis.
Salve Heliconiadum, Suadæ, Themidósque Smaragde,
Quem gerit in niveâ Phœbus Apollo manu;
Salve Sol Charitum, Sol Pallados auree salve,
Sol salve historiæ, Romuléæque lyræ.
O ter sancta dies, quo sanctus Sancus amoris
Grata tui voluit ferre *Grutere* juga!
Tunc oculo blando Veneris me vidit ab æde
Jupiter & Nerêo tradidit astra patris.

Talia

Talia Lethæis non ſunt mergenda fluentis;
Talia Mnemoſynes ſunt reſeranda ſacris.
Quod feci; factum teſtatur Epiſtola præſens,
Quam cape, quam veri pignus honoris habe.
Pignus honoris habe, cujus ſervabo valorem
Mortis ab ingluvie, dum mihi vita manet.
Juro Jovem lapidem! niſi te conſtanter honeſto,
Telemachus veluti Neſtora, Battus ero.
Scilicet hoc ſtudii mandant ſeptemplicis artes,
Quas Hermes tanti cordis in arce regit.
Philologus melior? Criticus quis acutior? & quis
Barbariæ victor plura brabéa tulit?
Teſtis adeſt Tacitus, teſtis Saluſtius, illis
Quanta ſalus, tacitus, qui legit, anne legat?
Nequaquam tacitus; ſed pleno gutture laudans
Te melicas medicis applicuiſſe manus.
Se necat à Seneca mendarum Cerberus exſul,
Quem pepulit cerebri vis generoſa tui:
Non ita calce madens Acheloidos unda refervit,
Non novat extinctos Pallas amica focos:
Ut refricas doctis radiante colore calorem
Erga tot doctos, qui periere ſitu.
Quid memorem plures, quibus es Podalirius al- (ter?
Quid proprii Martis docta reperta canam?
Non mihi tanta Thalia favet, non tantus Apollo,
Ipſa reperta ſuæ ſemina laudis alunt.
En hinc doctrinæ Clarios quot in horrea fructus
Memnonidum Heſperidum fama per arva vehit.
Ecquid ad hæc dicam? quibus hos tibi gratuler (auſus?
Et quibus auſpiciis gratuler ipſe mihi?
O ter ſancta dies, quo ſanctus Sancus Amoris!
Grata tui voluit ferre *Grutere* juga!

Sic

Sic quoties de te ſermones cædere poſſum
Lætitia antepotens vociferare volo.
Sic quoties placido laxos intendis amores
Protelo crenæ, Palladiæque manûs,
Concelebrabo tuum nomen, ter amabile nomen,
Jane animi fibris illatebrate mei;
Jane novenſilium Dictator ſumme per orbem,
Cui præfert faſces officioſa Sais.

AD DOMINUM (171)

NICOLAUM BACHENDORPHIUM, Med. Doctorem, Practicum Heidelbergæ, ante decennium in paternis ædibus Præceptorem, nunc hoſpitem colendum, in die Natali 1608.

Pieridum lampas, felicis cultor Hygejæ,
Cor Sophiæ, Suadæ Laus, Charitúmque decus,
Hæc eſt illa dies, celebrat quam cœtus Olympi,
Quam Stygio plorat turba dicata lupo:
Hæc eſt illa dies Niclai nomine clara,
Quâ roſeam in lucem crederis eſſe ſatus.
En niveis mannis Panacæa ſacrata triumphat,
Quódque foves illam te Meditrina fovet.
En genitrix rerum Natura ſuperbit honora,
Quod Genii tanti ſis fabricatus homo,
Aoniíque cupit palmaria puncta Senatus,
Quæ capit & ſigno Nobilitatis ovat.
Ecce Minerva, Charis, Muſæ, Venus, omnia quotquot
Numina ſunt pariter gaudia læta ferunt:

Inſti-

Instituúntque tui sub fornice nominis aras
Portantes gratâ grata holocausta manu,
His adstat Cœi germana tubâque sonante
Laudibus accumulat vota tenore pari.
Sed superi quantùm gaudent, Clarissime Pœon,
Inferni tantùm quòd sapis alta dolent.
Tænarias implet raucis ululatibus ædes
Cerberus ex triplici gutturis orbe sonans,
Et Libitina ferox servâ comitante phalange
Præ mœrore nigrum se lapidem esse cupit.
Diminui fiscum Phlegetontis navita eernens
Excruciat miseris anxia corda modis.
Ad littus dormit, nec adest, quem deferat ultrà
Manales lapides, & minùs æra meret.
Sutilis ignavo ferians in margine ripæ
Rimis & carie solvitur ipsa ratis.
Nam quum Morta acuit morborum cote secu-
Pæoniâ facis, ut rursus hebescat, ope. (rim,
Hoc illos in te tam magnâ concitat irâ,
Hoc facit, ut prædæ nil superesse putent.
Quid tandem incipies animam quum flaveris
Pertæsus terræ percupidúsque poli? (olim
Hoc tibi natali pro munere, munere vili
Versiculis paucis Calliopeja canet.
Non Acherontæas volet illam ferre per undas
Ad nemus Elysium, nave tremente, Charon,
Sed post fata suis etiam de finibus hostem
Trudet Avernicoli tota caterva Ducis.
At nihil hæc moveant sine remige nave palude
Tangas ætherii sancta vireta loci.
Flumen erit privum, quod te mœrore colentes
Fletus efficient mobilitate levi.
Priváque navis erit, quam condet Cynthius arcus
Ex cornu, gnaram matre regente manum.

Mnemo-

Mnemosides ipsæ nectant ex arte rudentes,
Materiam quarum stridula chorda dabit:
Asclepi baculus malum vertetur in altum;
Pro remis Chiron fortia tela feret:
Candida de propriis contexent carbasa peplis
Ops, Ægle, Panace, Pallas, Hygeja, Salus.
Pergameíque Dei baculum qui nexibus ambit
Pro Borea serpens sibila multa vomet.
Sic ubi permensus fluvios, Aquilone secundo,
Videris Orcinæ limina dira domûs,
In Citharâ septem pulsa discrimina vocum,
Quam tibi propterea Melpomenéa dabit;
Mox placata tuo, velut Orphei carmine, salvum
Conductum ad sacros præstet Erinnys agros.
Junctus ibi Hippocrati sedeas, manésque ministræ
Supponant pedibus gemmea scamna tuis.
O te felicem Doctor damnate Galeno,
Cui donent superi talia fata Dii!
Quid mirum lateas, si semper sortis in umbrâ
Conjuge cum castâ progeniéque pia?

PERGRAPHICO JUVENI, (172)

CASPARO STERNENBECIO

A. C.

Care Aganippæis, ô mi Caspare puellis,
Non minùs ac aliis, quas Witeberga fovet,
Ille ego, quem Pindi Pallas conjunxit in alto
Monte tibi, *Menius*, cujus Apollo cluit,
Hæc tibi transmitto tenui conscripta Minervâ,
Hinc ubi Myrtileos Neccarus ambit agros;

Hinc

Hinc ubi fax Sophiæ Godfredus, ſumma Themi-
Gloria, prælucet juris utríque viæ. (ſtos
Hinc ubi Calliopes adamas Gruterus ocellus
Eunomiæ, veterum geſta notanda refert,
Hinc ubi Pæonias explanat Schmetius artes,
Schmetius Aoniæ Phoſphorus ille ſcholæ.
Cur fortaſſe rogas? ne non tibi priſtina ſigna
Conſtent affectus, quem vetus auget Amor.
Non etenim faciet veſtris ſemota Camenis
Terra, licet fuerim vectus adúſque Getas,
Ut Dea, quæ Fidii vinclis conſtringit amantum
Pectora, in hac animi ventilet arce facem,
Phœbe veni teſtis; ſi quid crepat avia vero
Muſa, cui tradas, Siſyphe, pondus ero!
Cum Dea Præneſtis lætis moderatur in undis
Theséæ interdum candida vela ratis,
Ante meos oculos verſaris imagine gratâ,
Próque tuâ lætus pocla ſalute bibo.
Et Phlegetontæo quamvis Ixionis orbe
Volverer, aut Tityi dilacerarer ave:
Non tamen ex animi vellem te mittere capſis,
Aut memores curas depoſuiſſe tui.
Tantus amor tantus nos ignis jungit & unit,
Uniet uſque, ferox dum Libitina ſinit;
Ingenioſus amor fraudis nil conſcius atræ,
Gemmea cui virtus mater, Apollo pater.
Ille quidem primo nanus, ſed creſcere raptim
Cœpit, ut in ſylvis cum fera Veſta furit.
Iſta rubos primùm depaſcitur acris, at aucta
Flabris Æolidum creſcit & aſtra petit.
Nec prius abſiſtit quàm quum Feronia cernat
In cineres atras omne abiiſſe nemus:
Sic amor, ô Caſpare, tuæ ſuaviſſime mentis
Sic ſibi ſubjecit córque animúmque meum.

Si

Si paulisper adhuc tecum Fortuna dedisset,
Optatos Misnæ continuare dies,
Vix Nisus nomen, vix nomen haberet Orestes,
Vix quoque Damonis gloria salva foret.
Quid jam? jam quamvis absentes corpore simus,
Præsentes simus principe parte tamen.
Charteolum veniens visam te sæpe per æquor,
Méque per alternas vise, revise, vices.
Sic anagramma tui quod mitto nominis omen
Te miti mitem fronte tulisse legam.
Sic fortasse legam num sint rupta ilia Momo,
Qui me dentatâ carpere voce solet.
Quid curo nugas, tibi si bene, si reliquísque,
In tabulis animi quos mihi scripsit amor?
Vivite vos omnes, florete, vigete, valete
Et tu cunctorum stella serena vale.

AD CL. VIRUM. (173)

GEORGIUM BELZARUM,

Med. Doctorem & Phys. ordinar. Misenæ, in die Natali. 1607.

Miserat hospitio vector Nepheleïdos Helles
Heliadum, Tauri signa sub alta patrem,
Quum Pindi clarias animatus visere Nimphas
Corriperem quà fert semita trita viam.
Tunc ego Medéæ cupii frenare colubros,
Quos fecit magicis artibus ipsa sibi;
Tunc ego ferratis volui calcaribus armos
Pungere pennigeri Bellerophontis equi;
Tunc ego Triptolemi, vel Osyridis ire Dracænis
Optavi nitidi per tabulata poli;

Ut ſubitò, timidos Aquilone juvante volatus,
Adſpicerem templi Phœbe ſacella tui,
Pieridúmque meam dextris conjungere poſſem
Dextram, & Caſtalio fonte rigare caput.
Sed cita vota tulit zephyrus ſtridentibus alis,
Oceanique plagis diripienda dedit.
Tendat iter pedibus, per ſaxa, per avia rura,
Qui mannis, curru, remigióque caret.
Sic ego cogebar nullo comitatus amico,
Per longas properè deproperare vias.
Acris eram curſu, quali Schœnëida vincens
Regis aquæ pronepos dulce peregit iter: (dit
Et tamen haud metam tango; caput amnibus ab-
Cynthius, & fuſcis Heſperus exit equis.
Quid faciam? laſſus gelidum divertor in antrum,
In quo Cres vicit luſtra ſopore decem.
Mox ibi ſomnus iners ramo feruláque ſoporem
Induxit membris, nocte ſilente, meis.
Non tamen ille fuit ramus, quo pocula mortis
Jaſidæ infundens lumina ſolvit atrox,
Ut (miſerum dictu) cum puppis parte revulsâ,
Cúmque gubernaclo piſcibus eſca foret.
Intrabam tacitæ per eburnea limina noctis,
O quot oberrabat cæca figura modis!
Nullus ibi Pyroeîs fulgorem naribus efflat,
Cimmeriis tenebris cuncta ſepulta jacent.
Nullus ibi reſonis criſtati cantibus oris
Leucothoæ roſeos evocat ales equos:
Nullus ibi canis eſt, canibúsve ſagacior anſer,
Qui requiem raucâ voce fugare poteſt.
Rivus aquæ Lethes ſaxo tantùm exit ab imo,
Qui riguis lymphis molle papaver alit,
Et flores alios, quorum de lacte ſoporem
Eumenidum genitrix accumulare ſolet,

Hîc,

Hîc, dum me placidis ſomnus complectitur alis,
Ante oculi fertur talis imago fores.
Quâ ſua ſunt Marti, Veneríque dicata tropæa,
Ætherii textis æmula texta poli.
Panthéi ad poſtes germanos inter ahenos
Ægypti, placidè degere viſus eram,
Somnia pituita, qui purgatiſſima fingunt,
Viſa nec admittunt irrita ferre Notos.
Maxima pilarum Pollucis pila nitebat
Caſtoris ad fidum conſpicienda latus.
Hîc mihi comparent, non quas in vallibus Idæ
Priamides vidit cæcus Amore, Deæ
Verùm quas vidit quondam præceptor arandi,
Pervigil Aſcræas quum ſequeretur oves.
Prima Terapnéos comitata pediſſequa fratres
Aſtitit ex Pindi Mnemoſynéa jugis,
Aſtiterat, ſubitóque novenſilis ordo ſororum
Subſequitur clarii ſpiſſa corona chori,
Cor micat, in fibras tremulis erronibus actum,
Sanguinis in venis vena citata ſalit; (hæret
Stat coma quaſſa metu, capite horreo, faucibus
Lingua, nec ore ſuum vox agit officium.
Interibi placidis ſpirant utrinque ſuſurris
Cygnigenæ, & Phœbi turba ſatelles heri
Una mihi viſa eſt, ita blandâ dicere voce:
O hoſpes ſalve, ſiccine lente jaces?
Pone metum non hæc feralis pompa ſenatûs,
Sed quæ Parcarum puncta ſequeſtra vetat.
Quid veniat, doctura venit te, ſurge repentè,
Auriculisque avidis imbibe noſtra mele.
Orta dies cœlo eſt ſolemni ſacra *Georgi*
Natali, nondum ſit licet orta dies
Jam Tithonéo Matuta reverſa cubili
Lampum cœlorum ſub laqueare vehet.

Lux iterum surget seclis in secula lapsis,
Quâ satus Aonidum maximus Aster erat.
Insignis pietate, fide, curâque medendi
Belzaru Misnæ providus Hippocrates.
Exiluit vacuas auris vox missa per ædes,
Auditóque mei contremuêre sinus.
Nunc ego sic tacito celabam gaudia voto
Vos Tutelares hoc celebrabo loco,
Si respondebit facto non fictile dictum,
Nec scribentur aquis irrita vota sali.
Sed quid ago? hic panes ego pisces somnio? quid-
Quippe nihil somno vilius esse potest! (ni?
Fari ita visus eram cum pagina visa venire,
Et calamus digitis se insinuare meis. (plex
Jámque Hippocrenes Aganippidos ordo novem-
Orditur numeris fundere mista mele.
Jam sociant resonis dulcissima carmina nervis,
Et lætis animant tinnula sila lyris.
Salve, ter salve Doctor, clarissime Doctor,
Natali nobis, ô celebrande die!
Scilicet haud Phœbo dilectior alter in urbe
Misniacâ medicis invigilavit agris.
Plasmatos finxit tibi mores providus autor
Japetionides de meliore luto.
Ægiale Pithóque inspiravêre medullam,
Osque Pericléo Nectare tinxit Ora:
Mulciber in te illos exercuit arte labores,
Quos in Pandoræ protulit effigie.
O decus, ô hujus laus admirabilis ævi!
O Naturarum Nobile depositum!
Sicut ubi pelago suboles Hyperionis exit,
Obvelat reliquas lampadis igne faces:
Sic quascunque abeat tua laus, tua Fama per oras
Exsuperet medicos proprio honore viros.

Parci-

Parcite vos Parcæ digitis evolvere tanti
Dæmonii fusos, Phœbus Apollo rogat.
Parcite, nil Hecates decedet censibus, etsi
Pulveris Euboici secula noster agit.
Ergo novis illi calathis expromite densa
Vellera, sors quorum splendida fila regat;
Atropos intento nolit discindere ferro
Licia fortunæ conglomerata manu:
Trux exesto Charon non gaulo sufficit isti
Præda tuo, vulgi dona celoce mere.
Salve, ter salve Doctor, clarissime Doctor,
Natali nobis sic celebrate die.
Talia vibrabant dulci modulamine vocum
Sed quid ego? Musæ blandula jussa sequor.
Sæpia furva notas, nodos Gnidiósque rotundo
Solertis ductu pingere docta manûs,
Miletíque habitu genitæ Cadmeïdes atro
Visæ sub digitis sunt mihi sponte sequi.
Corripui subitas nova per compendia voces
Dictáque Thespiadum sedulus aure bibi,
Dextra peregit opus, quum nondum lingua loquentis,
Vel supero, videor vel superare sonum.
Atque adeò verbum quodvis vix littera visum
Pennæ quàm mentis ocyor ala fuit:
Hæc tibi, Pœonias suboles cui Cœidos artes
Indulsit, mitto candidiore die.
Scilicet ut gratæ cognoscas munera mentis
Propter opis magnæ commemoranda bona.
Namque salutiferi postquam mihi pocla saporis
Ex Panaces cellis fudit Apollo tuus,
Languor abit, fugit Saturni filia rursus
Accessit lateri Comus ut ante Comes,

Per te sustinuit Lachesis sicelicis acumen,
Et leviore Charon cogitur ire rate.
Hæc celebrabo lubens quantum celebrare potes-
Dum celebrat festos mitis Hygeja dies. (sum

---

(174) *Boni ominis, honoris, & amoris ergò*

ILLIBATO HYMENÆO,

CASTÓQUE AMORI

GEORGII HAMMERI,

ET

CHRISTINÆ MüNCH.

Hic ubi procedens suboles Hyperionis altis
Hospitiis Nerei Vulcania munera, currus
Advehit, auricomûm mannorum luce coruscos,
Consitus est redolens generosis floribus hortus,
Qualis in Hesperiis fert campis Fama fuisse.
Nullus ibi curvo populatur germina rostro
Ex volucrum cœtu, sed crebrò Thracia mater
Intus Itym plorat, tremulo dans gutture carmen
Cum reliquis avium pendentibus aëre turmis.
In medio fontes Hyblæo Nectare currunt,
A quibus æterno flores ceu rore madescunt.
Gignit Apollineam, victorum præmia, Daphnen,
Gignit Acidaliam Veneris gestamina Myrtum.
Parturit innumeros fructus, quos Thessala tempe,
Quos tener Alcinoi præstantis protulit hortus.
Qualibus

Qualibus Hippomenes olim Schænëida cepit,
Talia largitur proventu divite mala.
Nuper in hoc solus summo cum manè sederem
In versus Latias tentans deducere Musas,
En ut in Idæas, pulchrarum Triga Dearum
Progreditur valles, magnâ comitante cateruâ,
Priamides rutilo judex spectabilis auro
Præcedit, sequitur soror & matrona Tonantis
Juno, purpureis humeros protecta capillis,
Hinc agiles infert Pallas Tritonia gressus,
Gorgone depositâ portans Heliconia serta.
Ad latus incedit Cytherëia mater amoris.
Idalium spirans niveo de vertice odorem.
Hæ dum de formâ linguas ad jurgia solvunt,
Ecce puer Paphius jaculis oneratus & arcu,
Non secus ac cœlos lustrans Neptunius ales
Nunc huc, nunc illuc celer æthere ducitur alto,
Donec Mulciberis Venerillam cernit in horto:
Descendit subitò, dat signum numen adesse,
Nunc illi assultat, nunc oscula mustea libat,
Nunc it in amplexus circumdans brachia collo,
Miratur mater formosæ gaudia prolis,
Mirantur Divæ, miratur tota corona. (est,
Sed velut alma Venus rerum studiosa novarum
Lætantem subolem dictis compellat amicis.
Blande puer, mellite puer, puer auree, quæso
Quare tam læto diffundis gaudia vultu;
Tango meos oculos, non te mihi charior alter,
Dicito cur gaudes, si sum tibi cara vicissim.
Forsan Jo rursus decepit, forsan oloris
In specie Ledam, vel Taurus Agenore natam,
Jupiter? aut iterum nostro Mars uritur igne?
Risit Amor, variæ fraudis non inscius autor
In matrisque hærens teneris cervice lacertis

Dulciloquo tales fundebat ab ore loquelas:
Nulla Panomphæos Aphrodisia spicula Divos
Missa petunt arcu de nostro, Mater amanda,
Vulnus alit nullum forti sub corde Gradivus.
Hammerum tetigi (scis quem volo) cuspide, quali
Invida sectantem Phœbum connubia Daphnes,
Non quid Hymen, quid amor, voluit curare gerendis
Implicitus rebus, nunc verò plenus amore
Læta Dionæo submittit colla capistro,
Præstantem nactus præstanti corpore Nimpham:
Huic igitur, genitrix, mittamus munera nostra.
Dixerat, & subitò rixis hac luce relictis,
Priamides inquit; Divæ divina parate
Sponsis dona piis, & donis addite versus,
Quæ superat versu, formâ, superare putetur.
Conticuêre omnes, Juno Saturnia cepit,
Hæcque repercussis subjunxit carmina nervis,
Hanc sequitur Pallas, Venus ultima cogitur esse.

JUNO.

Harmoniam Cadmus sacras dum duxit ad aras,
Urbs ubi de Solis nomine dicta jacet.
Concelebraverunt præsentes, Diique, Déæque
Illius læto festa parata toro.
Nec solùm sponsis sunt prospera cuncta precati,
Sed quoque regali dona dedêre modo:
Jupiter insignem gemmis auróque coronam,
Ipsamet Attalicas Pygmalionis opes,
Gradivus frameam, fulvum Venus alma monile,
Arcum cum pharetrâ Phœbus Apollo gravi,
Pallas velamen Mileti vellere textum,
Mercurius sceptrum, Musa novena melos.

Non

Non homini cuivis contingit tale, Georgi
Sponse, tuo semper gaudia conde sinu.
Nos quoque de quorum forma sub judice lis est,
Hic volumus thalamum concelebrare tuum.
Nec tamen idcircò solùm gaudere decebit,
Sed quia donatur talis amica tibi:
In qua consumsit vires Natura, cuique
Munera certatim contribuêre Deæ:
Cypria dulce dedit ridere Virago, comásque
Quas capiti vellet Nais inesse suo.
Ipsa dedi mammas & brachia, lumina Pallas,
Leucothoe digitos, Tethys aquosa pedes,
Adspice purpureum, qui pronitet ore, colorem,
Nónne vides niveo lacte natare rosas?
Talis erat quam olim decepit Jupiter auro,
Talis amor Phœbi, virgo Penéis, erat.
Adspice cervicem nitidam, collúmque decorum,
Nónne vides clarum, quale habet Indus, Ebur?
Talis erat quondam mea pellex, pulchra Calisto,
Talis erat Bacchi, candida Gnosis, amor,
Cætera quid referam? ceu flos sic forma peribit:
Hoc opus, hic labor est; moribus esse bonis.
Est formosa satis, satis est virtute polita
Sponsa tibi, qualem quisquis habere velit.
Propterea faciles gaudenti pectore vultus
Indue, lethæis tristia merge vadis.
Sed tua quo donem connubia munere, quod tu
Non rigidâ placidus sumere fronte velis.
Hanc impone comis, pulchram quam dono coro-
O juvenis, patrii laúsque decusque soli. (nam
Aureus est orbis, est gemmea tænia splendens
Rore maris, Veneris flore, nitore pari?
Est aurum *pietas*, *virtutes* sunt tibi gemmæ,
Est *amor in Clarias*, tænia bella, *Deas*.

Cultor, amator, *honos*; *Jovæ*, virtutis, *Athenæ*,
Templa, probrum, *ludos*; *dilige*; mitte, *fove*.
Sic ceu flos Veneris, ceu ros maris omne beatum
In thalamo vigeat, flore virente, tuo.

PALLAS.

Pallas ego Thetidi, tædis felicibus auctæ
Præclari Peleî, quale monile dedi,
Tale tibi dono ter feliciſſima Sponſa,
O cape non animi ſigna aliena pii!
Ambitus ex auro, fulget radiante Smaragdo,
Donum funda decens, ex Adamante nitet.
Pura fides aurum, cœlíque Solíque Smaragdus
Eſt *Pietas*: Adamas eſt *Pudor* abſque dolo.
Sis fidei cultrix, pia ſis, & amica pudoris,
Ut fulgére queas integritate vide.
Dilige nupta virum, formâ, virtute valentem
Qui te ſincero cordis amore fovet.
Pulchra erat Evadne, ſed famâ pulchrior ipsâ,
Quod voluit Capanêi læta ſubire rogum.
Sic ſi deſponſi flagrabis amore mariti,
Perpetuò clarum nomen habere potes.
Ocia vitabis deducens pollice fila
Vel ſimili, quando poſtulat uſus, ope.
Regia Penelope, Lavinia regia conjunx
Et tamen haud fuſos depoſuêre ſuos.
Hoc fac: & dius veſtras Amor occupet ædes,
Obſervétque pii cum prece jura tori.
Seu Dea Præneſtis blando vos lumine luſtrat,
Seu jacit horrificas ore tonante minas,
Non Bellona tamen tali ſub præſtite cæco
Opprimet exſiliis vos prohibente Deo.

Ve-

Verùm, ut ut hoc eritis ſub directore, manebit
Pax divina, pedes horrida vertet Eris.
Prole ſecundabit Nixis ſuccincta miniſtris
Amplexus veſtros uxor amica Jovis.
Mox ſtudioſa ſuam præſtabit Eduſa cibando
Et Potina fidem, ſedulitatis ope.
Donec Mnemoſynes de cella divite promti
Nectaris, à Muſis, Ambroſiæque capax
Culta Heliconiadum celebret convivia menſis,
Et ſaturet Clariis pectora docta favis.
Quid moneam, voveam melius, meliora profecto
Nemo monere poteſt, nemo vovere poteſt.

VENUS.

Annulus ecce datur vobis teſtamen amoris,
Accipite, & Veneris verba notate rogo.
Jaſpis, Onyx, Adamas, Amethiſtus in articulo
Egregiè fulgent egregiore typo. (uno
Pacifluos animos, ſinceri pignora Amoris,
Lætitias, thalami vincla fidémque notant.
Non ſatis eſt Paphio duplicari corpora nexu,
Sed potiùs mentes jungere ritè decet.
In ſocio regnet felix concordia lecto,
Et nullo ceſſet tempore verus amor.
Una caro vobis velut eſt, erit una duobus
Cum pietate fides, cum probitate volup.
Talis amor, talis vos jungat & uniat ardor,
Halcyones qualis Luciferóque ſati.
Conjugium felix, ſit cura domeſtica felix,
Felices maneant, quas cumuletis, opes,
Ut cum magnanimo Pompejo Julia vixit,
Ut cum Suadela Gracchus & ipſe ſua:

Sic cum Nicoleo vivas Christina pudica,
Sic cum Christinâ, mi Nicolae, tuâ.
Vivite, quod superest, longævi Nestoris annos
Atque Sibyllinas juncti in amore dies,
Et, vitæ tandem cursu feliciter acto,
Scandite cœlestis gemmea tecta plagæ.
Vivite convivæ, Cereris non spernite dona,
Nec Bacchi, mentes exhilarate precor.
CHRISTJANI dicet sua quisque ad pocla salutem
Qui rex Danorum regia sceptra gerit.
Hoc ego florentes Hymenæo carmine nuptos
Excipio. moneam cætera, sola domi.

Sic fatæ, Paridem rursus petiêre relictum,
De specie vultus spargentes jurgia multa.
At Nymphæ, sociæque novem Charitésque sacratis
Ominibus, plausûque bono precibusque secutæ
Per sylvas, valles, per compita cuncta viarum,
Sponsus cum sponsâ vivat valeátque, sonabant.

FINIS.

HEINRICI ALBERTI

HAFNIA-DANI

AMICA MNEME.

(175) *VIRO CL.*

FRIDERICO TAUBMANNO.

O Princeps vatum, quâ Musam fronte videbis
Hanc patrocinii jura subire tui?
Cyprigenæ Veneris Golgo demissa Columba
Remigii flabris nubila signa fuget.
Ostia sinceri placata Faventia Cordis
Cardine vertat, Honor Fanus Amoris eat.
O Princeps vatum sic hanc admitte clientam,
Tutor Aristarchi fertile munus obi.

---

(176)

JANO GRUTERO, J. C.

Dimidiata dies fulgit, Pyroeisque suprema
Fert Hyperioniden per tabulata poli:
Quis novus hic claror? quos sentio pectore mo-
Mercurius venit, Magne Grutere, tuus. (tus?
O quot sermonis de te dat edulia! quanti
Promus honoris adest, promus amoris adest!
Quàm cupidè gusto tam dulcis mattia succi,
Qualia vix Juno miscet honora Jovi!
Vos Heliconiades jam vestri claudite rivos
Nectaris: hoc Nectar dulciùs amne venit.

(177) EIDEM.

Aurea metra tuo conflavit in igne Moneta;
Et Zephyrum Sophiæ folle Minerva tulit.

Plum-

Plumbea metra meo carbone notavit hiulcus
Mulciber, & fumo ſepſit olente Cyclops.
Cur mea quæſo tuis igitur præferre labores?
O Grutere animi nobilioris here?
Aurea ſunt Helice mihi, quæ ſub flore juventæ
Hebes delicium fecit Apollo tuus.
Illius incudi diſtortos reddere verſus
Si licet, Aoniæ plus bonitatis alant.
Ergo nec confer, nec præfer, corrige quæſo,
Quintilius Muſis alter adeſto meis.

---

(178)

CONRADO BACHMANNO,

Poëſeos & Hiſtor. Prof.

GIESSÆ.

Noſtra Thalia tuo luſtrari baccare gaudens,
Docte Poëta, venit, docte Poëta cape.
Fac mihi gemmiferis redeat baccata coronis,
Fac rata ſub cupidi præla Tryphonis eat,
Grande Sophos nolo, nec adultera puncta peteſ-
Ambio Muſæi libera ſenſa fori. (ſo.
Sæpiculè annoſi Phœbus dormitat Homeri:
Floret adhuc Muſæ ver geniale meæ.
Sæpè Helicen linquit, dextrâ Pan eſto fideli,
Dirige quando errat, dilige quando viat.
Non ſubleſta fides meritum ſuppilet Amico.
Gratus ero, Lacheſis donec elenchus erit.

(179) EIDEM.

DE EDITIONE

AUSONII POPMAE.

Nunc iterum terræ gremium chrystallino amictu
Sol spoliat propior veris honore novo.
Succedit Boreæ Zephyrus rorantibus alis,
Móxque halent Paphiis Chloridos arva rosis.
O ita Barbariæ Latios stribligine campos
Exuat Aonii docta caterva chori,
Ut fuget æternâ tot flabra Favonius aurâ,
Et Suadæ niteant flore docente juga.
Hoc, BACHMANNE novi Libethri prime Poëta,
Ingenium ingenii curat amatque tui.
Quàm vigilis sentit studii molimina Popma,
Popma Medusæi Frisia Pompa vadi!
Scilicet haud tanto Muscli iret ad ora nitore,
Si tua liquisset sedula cura typos.
Ecquid ad hæc Phœbus? POPMÆ laus prima, secunda
MUSCLO, BACHMANNO tertia, quarta mihi.

---

(180) IN EFFIGIEM

FRID. TAUBMANNI.

Ecquid agis pictor? Taubmannum pingere tentas?
Ecquid agis vates? quid tua metra paras?

Anne

Anne illum tabulis, anne illum carmine claudas,
Claudere quem nullo limite Fama potest;

AD (181)

CASPARUM FINCKIUM,

Log. & Metaph. Prof. acut. in Acad.
GIESSENA.

PRO DEDICATIONE SCHEDIASMATUM.

Enthea sícne solo me tollet Apollinis aura
FINCKI Philosopho mens in agone sagax?
Sícne tuis pennis fultus volitabo per ora,
Quà spicum dextrâ fulgurat Erigones?
Quæ tibi mens animi? nondum rigat amnis E-
Prima puellares gutta madore genas, (quini
Sed Charis extremâ reptantem Heliconis arenâ
Ridet adhuc digiti futiliore notâ. (voris,
Hoc trutinâ haud pendis, dum largior imbre fa-
Perpluit in pectus Sancus Amórque tuum?
Fallor? an id causæ mea tangat opinio centrum?
Fallor? an huc plura vota cadiscus agat?
Quidquid erit cordis thesauro promet ab imo
Grates pro tanto nostra Thalia bono.

AD (182)

CHRISTOPH. HELVICUM,

Heb. & Græcæ linguæ Profes. ibidem de
Theatro suo Historico.

Quicquid in historico Phœbus vidisse theatro
Creditur, Helvici culta theatra docent;

Prisca,

Prisca, novella simul, simul & medioxuma; per-
Perfica erit Pietas, Adjuva Pallas erit. (gat
Et Famæ tectus thorace adamantino ad omnes
Ictus invidiæ fortior Hector eat.

---

(183) *Pro discessu Illustr. Baronum*

GUILHELMI LUD. JOHANNIS JACOBI,
ET
MICHAELIS à FREIBERG,
in Justinge, Ophinge, commensalium
GIESSÆ.

AD CYLLENIUM.

Majâ nate, nepos Atlantis Plejonésque,
Cui viret obtortis aurea virga Nepis,
Sic tibi sit furto facilis genuina Laverna,
Seu Paphien ardes, seu Ganymede cales.
Sic niteant densis maternæ frondibus Idus,
Sic leviore senex mole prematur avus:
Illustrem Trigam generosâ stirpe parenti
Trade, suum SALVE salva sonabit age.
Ecce sacris solitum lac & mel destinat aris
Ut faciat vitulo, mater amica, tibi.
Fescennina valet cum more licentia, Panum
Numina dum celebrant numen honore tuum.
Fallor an his motus Justinge & Ophinge colu-
mnas
Supponas ternas? Mons ita Liber havet.

IN

IN ALBUM (184)

GUILHEL. LUDOVICI

L. B. à Freiberg, &c.

Multa quidem multi, prælustris Amice videntur
Huc scripsisse tibi; sint mihi pauca satis:
Ætatis roseum spiras sub flore Phaonem,
Prudentem superas Nestora mente catâ.

LIBERTAS, PAX. (185)

Mygdonias alius gazas Hermúmque Tagúmque
Sectetur, Martem qui colit, usque colat:
Tu mihi missa polo libertas gaza suprema,
Tu mihi Mars Martis, Pacis honesta quies.

AMICO MOESTO. (186)

Ecce Nicri faciem glaciali marmore tandem
Unius incrustat noctis, Amice, gelu.
Ecce tenebrosis tibi nubibus omnia velat
Gaudia tam subito vulnere sortis acor.
Sis animo forti, Titan diffringat elenchis
Crusta Nicri, nec te deserat ipse Deus.

SUO (187)

CLAUDIO PLUMIO,

Comm. & Cont. in die Natali 1608.

Qui vernante vires calyce ex virtutis, & Hebes
Flosculus Idalio plenus odore fragras:

Qui

Qui ſtudioſorum flos illibatus, honorâ
Ingenii & Genii floriditate nites: (trimæ,
Qui flos es Suadæ, Themidos, Nymphæque Pa-
Eurynomes, Charitum, Cyprigenæque Deæ:
Qui flos in bifido Parnaſſi vertice montis
Caſtalidum, Phœbi, Mnemoſynésque cluis,
Qui flos Danorum, Myrtillenæque Paleſtræ
Myrtus amicitiæ ſerta decore polis.
Quíque ſodalitii pulvillis inſitus horti
Creſcis ut Actæâ Pallados arbor humo;
Accipe flos florum, flores de floribus: unde?
An ab Acidaliis Najadúmve jugis?
Nequaquam, ſed quos genialis luce diei,
Edidit ex proprio nominis omen agro.
Tempora relliquias non conceſsêre relictas,
Ut fieret lætis digna corona comis,
Nec mihi Nimpharum grex tantæ cognitus artis,
Bellipuellipará nec datur urbe frui.
Ergo flos florum flores hoc ſuſcipe voto,
Flos vigeáſque ſoli, flos vigeáſque poli.

(188) In ejuſdem Album.

En tibi cum dextra cor offero; quod fuit olim
Pirithoo Theſeus, hoc tibi certus ero.

---

(189) *SUO*

FRIDERICO SEVERINIO.

Quid, Friderice, geris rerum? Friderice voluptas
Semper-Amicitiæ Mnemoſidúmque jubar?

An

An calor in Pindo tuus, aut acclive decori?
An in agris Panaces quas Meditrina colit?
In medicis melicísque simul stat Apolline dextro
Optimi ad exemplar indiciúmque Patris.
O quoties nautam naulo frustrabis Averni,
Et prædam Mortæ fortis ab ungue trahas.
Me rapit alterius tempestas indolis illinc,
Diversâque animâ velificare jubet,
Non tamen adversis in amore feremur ab au-(stris,
Hîc eadem Panace vela Themísque tenent.

EIDEM. (190)

PRO DISPUTATIONE MISSA.

Et sic cum Musis ad Hyantia crusmata saltas,
Sic gressus gestu conveniente regis!
Sic, Friderice, placet Phœbo, quem spargis amanter,
Floridus expromti cordis & oris honor,
Vix Nicrum gustas, te tangit & angit amore
Libethri cœtus, Suada, Minerva, Charis.
Barbariæ contra Centauros, Marte favente,
Pro Nymphis portas arma polita tuis.
Vincis, jo vincis, Sophiæ septemplice parmâ
Protectus, Lossi Perfica culta juvat.
O *Repete*, ô repete, ô miles, fortissime miles,
Et repetes Argis culmina laudis equis.

(191) IN INSIGNIA

SANDTBERGORUM

AD TYCHONEM SANDTBERG,

Nob. Danum.

Ut placidum castâ morum dulcedine Cygnum
Sic candore pari cordis & oris agis.
Hæc duo perpetuo viridantem rore Smaragdum
Anello portant laudis ab arce tibi,
Illa tripartiti re spéque sub æquore campi,
Trina coloratæ semina sortis alat.
Pactoli rubras fœcundo fœnore gazas,
Candidulam famam, cæruleúmque polum.
Hà quàm culta tibi tam culto messis ab agro!
Hà quis te præter falcis acumen habet?
Scilicet hinc patriæ clathrata repagula gestas
Cassidis in clipei vertice, Tycho, tui.

---

(192) In Album

ACCILII AB ARENFELDT.

Nob. Dani ad picturam quandam.

Fallor an es Castor? quò te fert Cyllarus audax?
Quæ vehitur tecum? forsan Amica fides?

(193)

CHRISTIANO ANSORGIO,

P. L. C.

Cur tua Musa silet Christjani por optime vatum,
Nec venit ad nostros sæpe vocata lares.
Me Lanias ad aquas Ludovicia servat Oréas,
Magna tuam nutrit Cæsaris aula Themin.
Murrhina te saturat, quam dia Polymnia miscet,
Vix Sardoa meam Pallada mella cibant.
Hoc fortasse facit, quòd tantâ tantus ab orâ
Filiolam Cadmi non mihi adesse velis?

IN ALBUM (194)

JANI HENRICI Von der Lühe /

Nob. Megap.

Ergò plumigero concessum vomere nobis
Hoc in charteolo nomen arare solo?
Inter tot violas, lemniscatásque corollas,
Quas propriâ fecit Pallas Athena manu.
Inter tot Phœbi mystas, tot avésque dicatas
Gradivo Veneri pennipedíque Deo.
Hortule pulcher ave, Hesperio formosior horto,
Hortule, cui servat aurea mala Fides.
An libabo tui quoque honoris aromata? cur hoc
Jane mei vultus dexter ocelle petis?
Forsan Amicitiæ niveo me flore corones?
Et ponam testes hoc in amore notas?

Obsequor

Obſequor exque imâ ſinceri pectoris arcâ
Hæc Fidei promo ſyngrapha vera tibi.
Mens regat una duos, Lacheſis regat una duorum
Stamina, ſicut idem nomen uterque gerit.
Eſto mihi Pollux, ſi non ero Caſtor, agendus
Mox Fidii & Themidos ante tribunal ero.

ANNO.

PaCe Manet pIetas & DeVs IpſeregIt.

---

(195) IN ALBUM

JOHANNIS à RACHEL,

Nob. Luſat.

Ecce Fidem dextrâ tibi do, do mente fideli;
Quid reſtat? fidus ſis, ego fidus ero.

---

(196)

Αετὸς ὑ θηρεύει τὰς μύας.

Imbellis jaculum Diomedes ſpernit homulli:
Hipclides gnatam Cliſthenis ecquid amat?
Miſſa Lycaonidæ Menelaus ſpicla ſagittæ
Súsque & déque thripas ut Jovis ales, habet,
Æneus in ſummâ cute pendula baltheus arcet,
Propugnant cordis lamina denſa domum.
Et quis Pomarl velit Herculis arma timere;
Quod venit è pelvi fulgur inane venit.

(197)

ECHO. (197)

AD M. JOHANNEM CRUGERIUM, in itinere Dantiscano.

Sic Vallonia amet te Echo resonato: *sonato*,
Hinc CRUGERUS iter nónne parabit? *abit*,
Num via fausta carens Aquilone favebit? *avebit*,
Scilicet ad Spartæ munia vadit? *adit*.
Salvus & incolumis Giessam repetétne? *petet na*,
Dona ferens Musis intemerata, *rata*.
Si rata, Nais ais linguam reparabo; *parabo*.
Et tibi sit nomen Palladi quale; *vale*.

Ad eundem feliciter reversum. (198)

Salvus ades: veluti venturum dixerat Echo,
O Hippocrenes Mercuriale jubar.
Ecce Borussiaci Tilieti germina bina,
Lætitiæ frondes te redeunte ferunt.
Ipsa Charis gaudet, gaudet Parnasia Pitho
Adventúque mihi cor salit omne tuo.
Fallor? an hîc adsit comitata Lubentia tecum,
Pectora quæ Venerum reddit onusta sale.

IN SENEM MAGNILOQUUM & avarum. (199)

Desloccate senex dictis es dapsilis, in re
Virtutis superat guttula nulla tibi?
Cur corradis opes, clavóque cupidinis hæret
Intrà cistarum mens tua fixa seris.
Et tamen inventis uti, ceu Tantalus, horres,
Forcillans propriam corde tremente fidem.
Cur spe longus ovas? spem decollabit Alecto,
Sic occisa perit semper-amata salus.

Quin potius naulum Phlegetontis, Porthmeo ad-
Et fac ut in fidei vox sit avara lucro. (orna,

---

(200) EX GRÆCO

Divitiis *animæ* nullius Habentia præstat,
Hæc tenet ærarI nobilioris opes.
Illum jure suo titulus locupletis honestat,
Cui non Plutus oclos pectoris exterebrat.
Si quis enim in nummis nimiùm consumitur ar-
Compilare novas insipienter opes: (dens
Hic ut in alveolis Taurina propago laborat
Dum rapiunt alii, quem premit ipsa, favum.

---

(201) EX GRÆCO EJUSDEM INSCRIPTIONIS.

Te vocitant omnes Crœsum mihi Codrus ha-
Verus enim veras arguit usus opes, (beris,
Utere divitiis, tuæ erunt: heredibus illas
Serva, & in alterius jura repente cadant.

---

(202) AD

SIGUARDUM Pogwisch/
Nob. Holf. comm. Heidelb.

En venit aureolis humeros velata capillis
Eunomie Themidos irreprehensa soror;
Illa tui celebrat genialis festa diei
Pogwischi patriæ Spes animosa domûs.
Illa jubet tristi laqueum mandare dolori,
Vult Themis, ut Tethys tristia cuncta voret,
Si virides herbas Zephyritidis hortus haberet,

Si

Si Paphiæ flores ferret amicta frutex.
Pulchra tibi pulchrè decoraret tempora ſertis
Gratia Pierii fida miniſtra chori.
At quia tellurem vellus jam texit aquaï
Lætitiæ flores fac ferat orta dies.
Inde paret Clio ſertam, quam non ſine libo
Mnemoſynæ & Sophiæ Melpomeneja ſacret.

EIDEM. (203)

Ecce venit Tyrio Semeleïus altor in oſtro
Non gerit ad rigidas cornua ſæva comas.
Florida Getulæ non vectant eſſeda lynces,
Nec ſtreperas ducunt Caſpia monſtra rotas:
Non obſcœna pater monſtrantes inguina Fau-
Non tremulos Satyros ad latus ire ſinit. (nos,
Quónam tendit iter? forſan *Sigfride Lyæus*
Natalem donis vult animare diem?
Pande, age, pande fores, magni cape dona datoris
Et nos participes muneris eſſe ſine.
Sic quæ jam claro lux fulſit ab ætheris axe
Clarior huc redeat lucidiórque tibi.

JOCUS (204)
AD SOCIENNUM ONOMASTERIA celebrantem.

Ecce venit Venus alma choro comitante lepo-
rum,
Ecce venit volitans cum genitrice puer:
Cur rubor ora notat? *quid vult?* fert ſerta Cupi-
Vincula pro collo fert Cytheréa tuo. (do,
Solvite: quis clamor? *quid vincula nectitis?* Eja
Serica ſunt Veneris vincula; clamor amor.

Cur Regina ligas? Regina ligare jubebat,
Anne solutus ero? Si velit Anna potes.
Anna veni! Venio vinclis fero vincula digno,
Te ligo, qui victor pace tropæa meres.
Anne ligatus eram? cur amplius Anna ligabis?
Postulat orta dies, postulat arctus Amor.
Solvite: vos solvam menti Regina regatur,
Ac in pacificis Anna perennet agris.

---

(205) AD

JOH. LAURENT. BLIX.

Junipor Aoniam mihi quem cis Lanidos urbem
Hospite conjungit Jupiter orbe cibæ.
Cartheolo cujus procedat ab æquore Musa,
Quidque velit, fastos consule, certus eris.
Scilicet æripedes agili temone jugales
Titanis referunt jam geniale jubar,
Quo tibi naturæ laxato carcere primùm
Æthereos haustus Nixia Juno dedit;
Quo tenerum Clario lustravit Cynthius imbre,
Hippocrenisatas lavit & inter aquas.
Eja igitur curas animi proscribe tyrannas,
Et, ne tristities sit mora môra, vide.
Inter amicitiæ Veneres & Pallados herbas,
Pirithoo prægnans pectore pectus habe.
Theséi pariter socii lætentur & optent,
Nestore te, tales sæpe redire dies.
O votum felix! omen felicius! ecce
Signa polo claro dat manifesta Deus.

(206)

AD SUUM (206)

JOHANNEM BURCHARTI.

Non ita cor animo ſpoliavit querquera febris,
Vſſit in Ætnæis quæ mea membra pyris;
Ut ſoror Enceladi ferali cincta Cupreſſu
Ingeminans ſortis te cecidiſſe rotâ.
Sed mox quum Musâ ſcirem narrante diſertâ
Te fortunatum proſperitate novâ,
Gaudia magna tuli; gaudentem ut vidit Hygeja,
Reſtituit vires, gaudia magna fero.

AD (207)

JOHAN. JACOBUM REITERUM
Styrum Græcenſem.

Dum Dea Præneſtis menſa nos junxit eâdem,
Sincerè fidus Candide *Reiter* eras.
Dum Clariis ambos Phœbus jam nutrit in hortis,
Fœdus amicitiæ cum pietate tenes.
O Fidio juvenis perchare fidelior ipſo,
Diſpeream, niſi te Fratris amore colo.

MAGNIS NON GRATIA PARVA. (208)

Ductilibus nervis & celſo verticis orbe,
Non vitium eſt alios exſuperare viros,
Clarior eſt longo fulgens è corpore virtus,
Et radio illuſtrat ſplendidiore decus.
Aſt tredecim cubitos murgiſo murcidus explens,
Qui lacerat, jugulat, deſide more dies,
Corporis infamat magis alti grandia membra,
Juréque fit parvis fabula trita viris.

(209) IN ALBUM

M. PETRI GÆDICCI.

Si mihi mens animi Musæo numine ſtaret,
Limphata in liquidâ Bellerophontis aquâ;
O Sophiæ virtus, quot in hac candentis amoris
Orcheſtrâ cordis carmine ſigna darem.
Nunc ea diſceſsûs veſtri damnata dolore,
Triſtis ſub triſti gutture triſte gemit.
Hanc tamen interea ſinceri pectoris arrham
Pono aris Fidii; perſpice Sance fidem.
Non illam claudat nigris oblivio clathris,
Sive aras Nereî ſeu colo ſortis haras,
Et fremat ante ſuper mea tempora forfice Clo-
Summanique petat navita naula Charon; (tho
Quam mel amicitiæ ſubmixto felle venenem
Mnemoſynénve tuæ frontis abire ſinam:
Hoc age, pignus habe, quod grata Faventia ponit,
Et me, ſi merear, docte Magiſter, ama.

---

(210) *In Diſſertationes Phyſiologicas*

M. JOHANNIS ARNOLDI DE FINE, Muſarum numerum adæquantes.

Non ego jam miror cerebro prægnante Minervam
Quod peperit cœli Jupiter ante gregem,
Majus opus miror! Phœbéas miror in auras
Synciput humanum parturiiſſe Deas,
Miror, amice, novem *Phyſicas* è vertice *Muſas*
Quod cerebri fudit vis generoſa tui.

Te

Te patre, jam Clariis famæ clangoribus implent
In laudis curru Solis utramque domum,
Te duce Pieridum jam templa ſacerrima ſurgunt,
Et novus eſt Helicon, qui nova ſacra feret.
Jam Lanias Nimphæ potant præ Nectare lymphas,
Et magis Ambroſiâ Danica mella placent.
Miror mira magis! Naturæ tramite verſo
Gignens ex genito naſcier anne poteſt?
Quid video, vir Magne, novi? Muſæa propago
Tu, Muſas iterum gignis in orbe novas.
Zoilus hinc plorat Pſyllúsque, Paventia fœtum
Cingens, invidiæ tela cruenta cavet.
At te ſancta ſalus patrem complectitur ulnis,
Atque novum Phœbum Fama ſecunda vocat.

IN OBTRECTATOREM. (211)

Quid tua lingua facit lethali tincta veneno,
O obtrectator peſſime, dic quid agit?
Prodit, adulatur, rixatur, crimina fingit,
Hem! quæ relligio dicere vera tibi!?

---

(212)

ΕΝΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ

AD M. MOMUM INVIDIUM

Aſinienſem in Doctorem promoventem.

Salve ſeptenâ præclare Magiſter in arte,
Mome ſagax, laudis carbaſa pando tuæ.

Grammaticam nosti? quam? quam fornacibus orci
Ad stygios coxit fraus violenta canes.
Scis Logicas omnes, quas? quas injuria fraudis
Falsa soror Nixis víque dolóque genit.
Es bonus orator, quum Proditionis ad urnam,
Pestifero famam detrahis ore bonis.
Es bonus Astrologus, quum fulget stella Lavernæ,
Tu facis, ut furto fulgeat apta tuo.
Musicus insignis cluis, obtrectatio quando
Perfacili linguam dexteritate vibrat.
Metiris, tibi fit mensura calumnia fœda,
Cum qua mentiris, quicquid ab ore crepas;
Quum tantis igitur præcellas artibus omnes,
Quis dignum summo te neget esse gradu?

---

(213) NIL CURO VERBA MALORUM.

Me quoque virosis insana calumnia flabris
Adflat Erichtoniis mox rapienda Notis.
Balsama non desunt; faciam bona, nílque timebo.
His unctus tantâ tutus abibo lue.

---

(214) AD JACOBUM FINCKIUM.

Quum, *Jacobe*, mihi magnetica retia primùm
Tenderet ex oculis ipse Cupido tuis.
Mox adspirabat Sancus lætante susurro:
Talis amicitiæ vincula lætus ini.
Hic facies morum faciei congruit oris,
Hic habitat nivea cum probitate fides,

Vidi

Vidi, ſed parvo, dulciſſime, tempore vidi,
Abſens ut videam, dextera fida dabit.
Sera quies oculos, & aheneus urgeat ora
Somnus, quando tuum non meus urget amor.

AD (215)

JOH. ROSTORPIUM.

O quoties Eratûs Muſæo percitus œſtro,
Olim ſcripſiſti carmina Jane mihi,
Carmina, quæ blandâ docuit te voce Dione,
Carmina, quæ Charitum rore rigavit Amor.
Verſus in Harpocratem Bacchæ jam more videris,
Dum nullum mittit Nectar ob ore manus.
Cur hoc? an Argi cenſes me colle latere?
Anné gerit Cattos Danica terra pedes.

OMNIA VINCIT AMOR. (216)

Fortis erat Simſon, fortis Mars, fortis Apollo,
Fortior eſt veri verus Amoris amor.

MUSÆ NOSTER AMOR. (217)

Quiſquis amat Venerem rarò redamatur ab ipsâ,
Fit ſociis crebrò fabula nota viris.
Quiſquis amat Muſas, Muſis redamatur ab ipſis,
Et ſibi perpetuum nomen in orbe parit.

Qui ſapit, is Veneris Muſæ poſtponit amorem,
Stultus amat Cypron, ac ex Helicone fugit.

---

(218) AD CALLIOPEJAM.

Carmine quo celebrem te mellitiſſima Muſa,
Cujus amor creſcit nocte diéque mihi?
Omen habet nomen, quod cordatiſſima mater
Permeſſi dulces indidit inter aquas.
Nam quum reſpicio totum; quid amiciùs illo!
Quum partes; cunctis omen ineſſe liquet.
Condo caput ventrem conſidero, cor tibi puris
Candidius nivibus Nimpha Ericina dedit:
Oſculor inde pedes; hà diam ſentio te eſſe.
Hà ſubolem divûm vilis homullus amat!
Regnat in arce tui Gravitas clariſſima frontis,
In ſpeculis vultus Gratia trina ſalit.
Do tibi cor, mihi das, tu diva es, ſim quoque divus,
Divus honore tuo, divus amore tuo.
Jubila diffundo gaudenti maxima mente,
Jubila da ſemper fundere Muſa precor.
Ante feræ ſilvas, & piſces flumina linquant,
Quàm te ego, quàm curas deliciáſque tuas.

---

(219) AD PHOEBUM PRO AMICO.

Phœbe pater vatum, Daphnen qui primus amaſti,
Quique finis ſervos præſes amare tuos.
Ecce tenebroſis Auſtros emittit ab antris
Æolus, & pluviis Jupiter altus adeſt.
Tota ſonant ſubito cœli convexa fragore,
Horrida tempeſtas turbine cuncta ciet,
Jámque mei nuper cordis dulciſſima cura
Chloridos areolas exſpatiata petit,

Cur,

Cur, ſuperi, immiſſis furor haud frenatur habe-
Donec eam liceat rurſus adeſſe domi. (nis,
Forte animos veſtros hoc mordet, macerat, angit,
Quod fidei tanto fas ſit honore frui.
Sed tu, Phœbe, mei miſerere meíque ſodalis,
Cygnéumque precor mitte ſatellitium,
Ut ſupra pendens depellat grandibus alis,
Cum tonitru pluvias, cum pluviísque Notos.
Fallor? an hîc auris ſtrepitu mihi tinnit olorum?
Euge! ſinis precibus, Phœbe rogate, locum.

AD AMICUM A. M. (220)

CHLORIS ET CUPIDINES.

Florida Flora fores florentes tegmine florum
Horti florentis cardine verte precor.
En, ut Acidaliæ lepidiſſima pignora matris
Ante tuos veniant, matre jubente, lares.
Quid cupitis? cupimus flores, qui crinibus addant
Aureolis bellæ virginis omne decus.
Dicite quæ virgo? Miſenæ ſplendida Daphne,
Cujus in externos Phœbus abivit agros.
Phœbus an Ardalidum? non, ſed quem viſit amore
Ardalidum Phœbus quo remoratus abeſt.
Ite citi Paphias pueri genitricis ad arces,
Hîc flos nullus eâ virgine dignus adeſt.
Fortè ſuo dignos quia non reperivit in horto,
Irata iratam me cupit eſſe Venus.
Non ita, ceu ſuperat nos formâ Miſnica Daphne,
Sic dignos flores utraque neſcit eâ.

(221) DE SERTO ROSACEO.

Et cur, quæso, mihi fecisti, care, coronam,
Quem rosei solum floris honorat odor?
Omen habet, dicis: forsan velut aliger infans
Harpocratem, vis me condecorare rosis?
Est Rosa flos Veneris, rerúmque silentia tuta,
Præstet honestus amor significare cupis.
O mea vita! meum cor! ô mea pupula dextra!
Hoc si non semper fecero, Battus ero.

---

(222) AD

CASPARUM STERNBECIUM.

Pignus amoris haues? cape pignus amoris, amice,
Sum ut tu ego, id, ô jam age, habe, ac tu hîc me ama, ut, hem, & te ego amo hîc.

FINIS.

HEIN-

HEINRICI ALBERTI
HAFNIA-DANI
ODARUM
ET
PARODIARUM PUGILLUS.

(223)

DE FAMA NARRANTE ELECTIONEM

CHRISTIANI V.

CHRISTIANI IV.

Danorum &c. Regis filii.

Quid novi tradux dicat ad Themiſtos
Aures Fama? quid inſolentiori
Denotat pompâ? quid Honoris ædes
Verberat croceis decenter alis;
Herclè Rumoris ſtudioſus auceps
Furabor tacitè legámque verba.
Dixeram, quum mox Dea cœpit, & ſic
Ad limen ſubito canebat orſu:
O Honor Sortis probitate macte,
Sic, ſic, perpetuam per auctionem
Creſcis, & cenſus tuus in virenti
Vigeſcit magis, & magis vigeſcit
Flore virtutis; quis at ille cenſus
Magnus, Jupiter, atque fructuoſus!
Quo replet Regum tibi ſtirps Danorum
Horreum prælustre Perennitatis.
Ecce jam rurſus dabitur PARENTI
SUCCESSOR SUBOLES; in ejus ille
Neſtor annoſus gremio quieſcat
Achillis, Sophiæ cor intus aurâ
Atque ſtricturis animans, ut omne
Dices, juxta Helicen regat gubernum.
O Honor Sortis probitate macte,
Hæc in Mnemoſynes nota tabellis,

O Ho-

O Honor Sortis probitate macte,
Hæc in laudifluis nota labellis.
Finiit, nec quid moræ; Honor ſiniſtrâ
Fauſtam ſternuit approbationem;
Quin & auris dextera tintinabat
Antea augurio faventiori.
O Boni gratam auſpicii actionem!
O factam bene nunciationem!

AD (224)

ILLUSTREM COLLEG. ET CONSAL.

GUIL. LUD. L. B. à FREIBERG.

De remediis contra corrup. Rerump. diſputantem.

Qui ferre ſcit medelam
Regnis, conſilio graves repellens
Corruptiones, Muſa Conſus
Vel Apollo ſitne?
Quòd, Magne Baro, noſti
Hoc teſtatur Apollinare ſcriptum.
O Macte! mactus ſic ſonato
Reſonante Pindo.
Muſa labore vigil ſub duri luceo lite,
Egregii pius in fine beante rego.
Quis omen auſpicatum
Obſcœno ore coinquinabit unquam?
Te quiſque dignâ fronde Daphnes
Potius coronet,
Te matre cum Novenſilum,
Dignitatibus æviternitatis

Vivace

Vivace crenâ consecrabit
Sacrosancta virtus.

---

(225)

IN ABITUM EJUSDEM CUM FRATRIBUS.

AD HIPPOTADEN.

NUNC est eundum: patria ad Esseda
Lubentiori quadrijugas terunt
Lupata morsu: Suevicásque
Ungulæ havent repetisse terras.
Obstringe fratres Æolios nigris
Ætnæ sub antris, præter Etesias,
O qui furentes forte turbas
Imperio Hippotade gubernas.
Sic Liber also tegmine pampini
Avertet æstûs tormina LIBERIS,
Lassisque divini propinet
Nectaris Ambrosiæque pocla.
Matuta frigus leniet asperum,
Flammæ Phlegontis naribus editæ
Rores liquabunt congelatos,
Juno Jovis cohibebit imbres?
Ipsus Cyclopum fulmina contrahet,
Felicitatis muneribus beans.
Sic prosit ausus, qui Deorum
Consiliis, hominumque initur.

(226) Ad Phœbum.

EXIT umbrosis Heliconis oris
Tristis Castalidum sonor Dearum,

Trudit

Trudit effuso Themis alma fletu
Lanum, Laniades dolent sorores.
Causa quæ luctûs mihi dic Apollo?
Sed nec præ lacrymis potes miselle:
Fortè quod nostris abeunt Lycéis
Freibergûm suboles, doletis omnes?
Si dolor causâ hac, etiam dolendum
Est cuivis meritò dolore magno.

AD (227)

JANUM GRUTERUM,

GRUTERE pulchritatis
Qua Roma culta Suadæ
Interpolavit ora
Prælustris architecte;
Prælustris inter omnes
Atlas Critici Senatûs,
Cui credidit supremum
Doctrina tersioris
Antiquitatis axem,
Quid mirer? & quid, inquam,
Tua scripta mirer unquam?
Linenda scripta cedro;
Miranda scripta Musis;
Servanda scripta Laudi;
O sat gerunt Laboris!
O sat gerunt Honoris!
Laboris æviterni?
Honoris æviterni.
Periculis juventæ
Vernante flore factis,

Docu-

Documenta dignitatis
Tam clara prodidisti;
Documenta claritatis
Tam digna protulisti.
Hà quid *periculorum*
Phrasi, stylo diserto
Disertius videtur?
Ha quid *periculorum*
Inventione pulchra
Pulchralius videtur?
Nectar periculorum,
Mulsum periculorum,
Odor periculorum,
Semper replete mentem
Meam replete mentem.
Et tu periculorum
GRUTERE dulcis autor,
Faventiæ sapores,
Lubentiæ liquores,
Cornu mihi propina
Doctrinæ Apollinari?
Quod exhibes, quod offers
Fidii tui ministris.
Fidii tui minister
Gaudebo semper esse;
Gaudebo semper illi
Litare thure mulso;
Gaudebo semper illum
Laudare pumilillis
Anacreonticillis.

AD (228)

WOLF. HEIN. à WEINGARTEN,

De verborum obligationibus disputantem.

Wolfgange, blando quem Zephyro Dices
Tepentiori de Sophiæ sinu
Adflat Jovis proles Minervâ,
Quid tibi plaustra ligationum
Quas Entheatam per Themidos domum
Fers? ánne malo nectere te cupis
Constantiæ prudentiæque
Dulichium referens Ulyssem?
Sic quâ moveris MENS BONA postulat.
Ne te trahentis voce Glycyrrhoæ
Orcina Sirenes tremendi
In loca præcipitent Averni:
Vertumnus absit pectore candido,
Hinc alligat te Justitiæ Fides:
Servent Honores hæc in arce
Vincula candidiora Famæ.

AD (229)

FRID. SEVERINUM

Onomasteria celebrantem 1607.

Mitescat Boreas atque serenior
Cœli temperies nubila differat;
Ut claro Phaëtonte lux
Hæc innubila fulgeat:

Opta-

Optatissima lux, gratior omnibus
Anni curriculo quotquot eunt novâ
Quam Phœbus celebrans fide
Cressâ condecorat, notâ.
Hac, Fridrice, tuum Nixia primitùs
Cuninæ ligulis Juno dedit latus:
Hoc nomen tibi regium
Plutus pacifluus tulit.
O bellè tibi sit bella precor dies,
Et nunc & quoties fulseris; at tuam
Dilectissime gloriam
Quo pingam alite carminis?
Aut quæ munera nataliciis feram
Horis? serta? rosam terra negat. Tagi
Gemmam vel pateras? neque
Hæc mî vis neque talium
Mens est deliciarum, aut tibi res egens,
Præ donis igitur quid voveam? preces.
Hæ vincunt pateras, ut &
Quicquid ripa parit Tagi.
Faxit temporis autor Deus, hæc diei
Natalis peragas gaudia sæpiùs
Felici auspicio; hoc est caput
Et pes voti erit unici.

---

(230) PARODIÆ

Ex Hor. Od. 5. lib. 1.

AD POTENT. DANIÆ, &c. REGEM

CHRISTIANUM IV.

Quis dextræ facilis Pallados adjuvâ
Te condit meritæ laudis odoribus

Prin-

Princeps ſumme ſub Arcto?
Cui monſtras calycem roſis
Vernantem Charitum? prô quoties fidem
Regalémque animum laudet, & inclutas
Curas Martis & artis
Admirabitur inſolens,
Qui tantâ fruitur laudis adoreâ,
Qui nunquam vacuum, nunquam inamabilem
Regni cernit habenas
Pertractare? ſacros quibus
Tanta laude præes! me patriæ ſalus
Devotis precibus regia commonet
Commendare potenti
Ornamenta poli Deo.

Ex Od. 19. (231)

AD
CHRISTIANUM ANSORGIUM.

MATER ſacra Novenſilum
Miſnæique jubet me Philii Themis,
Et jucunda ſodalitas
Abjectis animum reddere verſibus:
Urit me ſocii nitor
Splendentis Pyrois fulgure clariùs,
Urit grata polities,
Et vatis facies gratior adſpici,
In quem tota ruens Daphne
Phœbum deſeruit; nec patitur Linum
Et dulcem reliquis ita
Suadam ferre viris, quæ decus advehunt,
O Parcis citò ceſpitem, ô
Verbenas Charites ponite turáque,

Lactis

Lactis cum patera novi:
Mactatâ vigeat longiùs hostiâ.

---

(232) *Ex Od. 21.*

IN GIESSENAM ET LUDOVICUM HASSIÆ Landgravium.

Giessenam Clariæ dicite virgines:
Ludvicum Charites dicite principem,
Doctrinámque sacrato
Inductam penitùs die.
Vos mactam Pietate & Sophiæ bonis,
Quæcunque aut Themidos prominet arcibus
Lætis aut Meditrinæ
Silvis, aut domibus poli:
Vos magnum totidem tollite laudibus
Ludvicum Charites, lumen Apollinis,
Insignémque Gradivo
Subjectúmque Faventia.
Hic ludos celebres hic Academiam,
Rudolpho populi Cæsare conscio ad
Omnes Pieridum cœtûs
Nutu constituit Dei.

---

(233) *Ex Od. 26.*

IN ALBUM TYCHONIS SANDTBERG.

Fidis amicus perfidiæ reos
Tradam lituris in mare mittere

Obli-

Oblivionis, quid per artes
Cum Charisin jubeant Camenæ,
Quid Castorem non polluat, unicè
Securus: ô qui pectoris integri
Candore gaudes nomen adfer,
Adfer in hanc fidei tabellam.
Pollux adesto: nil sine te mihi
Fortuna prodest: hîc animi notas,
Hîc candidum sacrare pectus,
Te similésque tui decebit.

Ex Od. 29. (234)

AD

CLAUD. PLUM.

In Colleg. Treutl. Ant. Gothof. respond.

Plumi beatas nunc Themidos petis
Gazas & acrem militiam paras
Umbone vincendis Sophistis
Palladio; Liparésque Momo
Nectis catenas; quæ Charitum tibi
Falsis necatis præmia deferet?
Quæ Musa de Pindo capillis
Gemmea serta tuis viebit.
Callens canoro dicere barbito,
Laudes honoras; quis neget aridis
Vocem teneri posse Phœbi
Faucibus, Aonidásque mutas;
Quum tu pererrans undique gnaviter
Libros Themistæ, & Socraticas scholas
Mutare Pactoli metallis
Divitias Sophiæ studebis.

(235)

(235) *Ex Od.* 30.

AD SALUTEM Cal. Jan. 1608.

O Salus regina Sacri Bonique
Linque jam tempus vetus, & petentis
Luce nos læta Pyrois recentem
Transfer in annum.
Aëris tecum nitor, & quietis
Gratiæ donis: properentque fruges
Et vigor Musis, sine quo juventus
Nostra peribit.

---

(236) *Ex Od.* 20. *lib.* 2.

AD

GREGORIUM KRABBE,

Nob. Dan.

Non indecorâ nec fragili ferar
Ignavus alâ per loca Murciæ
Hospes, neque in virgis manebo
Longiùs, Aphrosynáque major
Fontes relinquam: non ego desidis
Semen Vacuni: non ego quem vocat
Præstantior Phœbus putrescam,
Nec Scholicâ retinebor Ætnâ,
Jam jam nitescunt mente Novensilum
Faces, & arcis cerno Heliconiæ
Prærupta, nascuntúrque morum
Membra per exteriora plumæ.
Jam diligenti promtior Hercule
Visam petitæ castra Themistyos,
Et signa Suadelæ peracer
Veles Alethosynæque agonas.

Me

Me Teuto, ut & qui commoda ſentiet
Cura fidelis Danus, & ultimæ
Norvegiæ gentes amabunt,
Danubiî celebrétque potor.
Abſint inanis ſomnia Morphei,
Luxúsque turpes, futilis alea?
Sic ponet æternos, ſepulchrum
Fama ſupervolitans, honores.

Ex Mart. lib. 7. Ep. 73. 38 (237)

IN ALBUM

JOH. JACOBI, L. B. à FREIBERG.

Tantus es & talis Lanii *Jacobe* Lycæi,
Ut te mirari poſſit & ipſa Themis,
Sed nec Apollo minùs, quod ſi ſacra dona duo-
Junxeris, alterius mox honor alter erit. (rum

Ex lib. 12. Epig. 11. (238)

FRIDERICO TAUBMANNO.

Taubmanno dic, Muſa, tuo cum laude ſalutem:
Nam quis Gorgoneis plus madefactus aquis?
Cujus Pimpléâ lyra dulcior exit ab arce?
Quem plus Caſtalio de grege Pallas amat?
Quòd ſi fortè queat magnis pauliſper abeſſe
Fac Clariâ luſtret metra puſilla face:

Et tribus exigui puerile melisma valoris
Condecoret verbis; Francus Apollo probat.

AD CONTUBERNALEM ET SYMPATRIOTAM EXOPTATISSIMUM

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM EXTRINSECIS DISPUTANTEM.

HENRICUS ALBERTIUS.

Αναγραμ.

HIC ARS VIRET LUBENS.

Nullus ut invitâ quicquam tentare Minervâ
Possit, ni bobus littus arare velit:
Sic animi docilis florenti promitur agro
Uberior fructus, fertiliórque seges.
Ergo ritè facis, quod dum tibi cuncta lubenter
Ars, ætas, ardor, mens, animúsque virent;
Nocturnis valeas solidè impallescere chartis
Atque Cleanthéâ quærere fruge decus;
Quin examinibus tua subdere colla virorum
Nec dubites, quorum pectora Phœbus alit;
Præsidis auxilio culti, cui culta cerebrum
Mnemosyne finxit, cui Venus ora regit.
Huc huc quisquis erit de hircosa centurionum
Gente, solens tales ore referre logos:
Hafniadum soboles, soboles virtutis avitæ
Lippa manet: semper tressis agaso manet.
Limina quod proavum gnatis frigescere fas sit,
Atque peregrinis jura paterna dare.

Palleat

Palleat infelix, oculos licet unctus aceto
Mordaci, cernat crimina falsa dari,
En exempla notat Pallas contraria nugis,
Et Themidos plantas proluit imbre suo,
Hafniadum soboles, soboles virtutis avitæ
Plena manet, patriæ lausque decúsque suæ.
Limina cui proavum fas non frigescere, jura
Linquere & ignotis velle paterna viris.
Hoc est quod studeat, quod & utraque palleat hoc est
Hafniadum proles Palladis arva colens.
Perge Heliconiadum decus, & nova gloria perge,
Dum *viret hîc* ætas *ars* animúsque *lubens*
Socratico inque sinu Sophiæ te nectare pasce,
Quo facilem captet te Themis inde sibi,
Ac per te tandem veri Dea fulgeat alma,
Sæpiùs hinc doctum dis *Aleberte*, puta.

Deproperabat Claudius Plumius
Haf. J. U. St.

F I N I S.

JOHANNIS HOPNERI

HAFNIENSIS,

Juris Utriusque Licentiati

CARMINA.

JOHANNIS HOPNERI

HAFNIENSIS

Juris Utriusque Licentiati

CARMINA

VITA HOPNERI.

Quoniam, benevole Lector, quicquid ad vitam cujusque Poëtæ delineandam publica suppeditarent monumenta, tecum communicare promiserim, injuriam certè non minorem tibi, quàm ipsis JOHANNIS HOPNERI *cineribus, facerem, ni publicum Hafniensis Academiæ Programma, virtutum ipsius æternitati consecratum, in hunc quasi proprium locum transferrem, &, quam hucusque cives præcipuè mei mirati sunt, eam exteris quoque Beati nostri imaginem inspiciendam darem. Dictum verò Programma sub Rectoris Magnifici nomine promulgatum, ut apud nos obtinuit, Academiæ Secretarius, qui & ipse Professorii ordinis est, conscripsit; Is eo anno fuit* WILHELMUS WORMIUS, *qui hodie in Supremo Justitiæ Tribunali Justitiarii, & Sacræ Regiæ Majestatis Daniæ & Norvegiæ Consiliarii Status, Justitiæ & Cancellariæ, Historiographi & Bibliothecarii illustribus muniis fungitur.*

Totum hic legas:

RECTOR
REGIÆ ACADEMIÆ HAUNIENSIS
D. OLAUS BORRICHIUS
Medicinæ ac Philologiæ Professor Regius
L. S.

Cum & actioni, & contemplationi rerum genuerit nos natura, atque ab utrâque æstimetur homo, utra præstantior sit qui quærunt utrique sua decora esse comperient. Est enim magnifica, quæ in actione consistit, vita, &, in tuendis mortalium cum occupetur commodis, maximi usus ac necessaria. Sed & illa, quam sola commendat contemplatio, quamvis umbras amet magis, & non æque in publicâ se luce ostendat, non tamen ideo minus ex se illustris est. Tenet enim, cum magnâ jucunditate, occupatam præstantissimam hominis partem, quæ mens est, efficitque ut turbarum nescii, seque ipsis contenti placidissimè & degant mortales, & suis tacitè fruantur bonis. Maximus scilicet ex secretis studiis fructus est, & pura literarum existit voluptas, quando sola rei, cujus studium habent, intellectu contentæ sui contemplatione fruuntur. Hâc illecta dulcedine magna nomina, abdicatis, quos inter maxima felicitatis habere argumenta solemus, honorum dignitatumque splendoribus à purpurâ ad pallium aliquando reverti, manusque, publicis assuetas habenis, inter doctas consenescere chartas voluerunt. Nec sola jucunditas huic vitæ generi

generi precium ſtatuit, cum utilitas quoque maxima commendatum faciat. Sæpe enim, qui nihil agere videntur, majora agunt, dum ſuâ contemplatione ea fructuoſè detegunt, quibus ad actionem alii ritè præparentur. Qui igitur, faſtiditis irrequietis lubriciſque virtutibus, ſuavi hâc ſaturari quiete maluerunt, quàm publicis ſe rebus operoſè impendere, non minus inter magna proponi exempla meruerunt, quàm qui clariſſimis operibus orbem illuſtrarunt. Eô jure, hâc hodie ſcriptione, Civem proſequimur, qui, cum animo valeret maximé, iiſque inſtructus eſſet & ſcientiis & fortunæ bonis, quæ ad claritudinem promovendam multum juvare potuiſſent, maluit tamen, in ſuavi Muſarum contubernio, ita ætatem agere, ut ſibi ipſe non ignotus viveret, quàm inter publicorum munerum impeditas exercitationes, famæ celebritate, aliis innoteſcere. Is erat

JOHANNES HOPNERUS

J. U. Licentiatus, qui honeſto prognatus genere cum primùm in hâc urbe die VI. Martij Anni MDCXLII vitalem adſpexiſſet lucem, à Religioſiſſimis Parentibus vitæ luciſque Auctori conſecratus mox membris veræ, fruentiſque Chriſto capite, Eccleſiæ inſertus eſt. Ille, poſtquam corporis tenelli partes paulatim fungi officio adſueviſſent, & animus in ſuis ſe functionibus oſtendere, ut rectâ educatione in ſpes amplas ſuccreſceret, nil prius antiquiuſque habuit eâ curâ ſollicitus Parens, quâ filiolus ad ſinceram Dei cognitionem, grateſque Creatori ſuo ſolven-

das posset informari. Ideoque puerulum primis literarum, & mox fidei Christianæ elementis imbui fecit, cumque non vana felicis ingenii memoriæque documenta ostendisset, Præceptorum studio commendavit, ut Latinæ linguæ usum, eóque si quæ pertinerent alia, posset acquirere. Inter hæc, decennis admodum, Patre de se optimè merito orbatur, sed &, proximè sequentibus annis, Materterâ sui amantissimâ, & sorore, quam habuit, unicâ. Cum verò anno MDCLII, fati jamjam instantis præscius Parens amico suo singulari, urbisque hujus Senatori præcipuo, HERMANNO THURONIO, ad lectum decumbentis stanti, filiolum commendasset, accidit ut is ipse, intet paucarum septimanarum spacium morti proximus, tutelam, quam ipse nondum per valetudinem administrare potuerat, fraternæ fidei FRIDERICI THURONII, cohortium Urbanarum Præfecti, committere opus habuerit. Ejus igitur recipitur ædibus, nactus Præceptorem, quem posteà per totam vitam diligere potuit, PETRUM LAURENTII SCHEVIUM, jam tum pietate, eruditione & probitate morum commendabilem, nunc Pastorem Ecclesiæ, quæ est in insulâ Cimbriæ Föur dictâ, dignissimum. Cujus sub ductu, quamvis Linguæ latinæ, Græcæ, & Ebreæ eam imbibisset cognitionem, quæ sufficeret iis qui in Regiâ hâc Academiâ nomina profiteri vo unt, placuit tamen aliis, & præcipuè Tutori, ut Scholæ publicæ, & in eâ æqualium certamini committeretur. Anno igitur M. DC. LVII, locus ipsi in supremâ classe contigit, ubi, moderante Viro Clarissimo, M. GEORGIO HILA-

HILARIO, tunc temporis Scholæ Rectore, nunc autem Mathematum Professore Celeberrimo, plenam in studiis & dignam Academiâ maturitatem attigit. In illam receptus Anno M. DC. LX. omnia ostendere ac præ se ferre decora visus est, quæ civibus nostris optare solemus, iisque toto biennio, quo nobiscum vixit, conspiciendum se præbuit, donec, inito consilio exteras visendi Academias, Anno M. DC. LXII. die XXX Januarij Patriâ excessit, captoque per Germaniam itinere, & visis præcipuis urbibus ac aulis, Luneburgo scilicet, Cellâ, Hannoverâ, Hildesiâ, Cassellis, Marpurgo, Giessâ, Francofurto ad Mœnum, Heidelbergâ, aliisque rectà Argentoratum contendit. Pertraxerat illum in eam urbem, qui ibi sedem fixerat, famigeratissimus JOHANNES BOECLERUS, quem ut ingenii in monumentis amare jam dudum cœperat, ita præsentem venerari voluit, ut ejus auspiciis felicia caperet incrementa, communia cum ipso sectatus studia. Cessit ex voto res, humaniter quippe exceptus in contubernium, & ad intimam admissus est familiaritatem. Cum enim animadverteret Vir famâ suâ major nactum se esse convictorem, ad politiores literas natum factumque; & qui præterea magnâ assiduitate semel cœptis ita insisteret, ut nunquam ab opere, nisi jam perfecto, manum removeret, captus ingenti voluptate exemplum suæ dexteritatis statuendi omnem in docendo adhibuit candorem & industriam, ut aliquando, in hoc discipulo, quantus ipse Magister esset, ostendere posset. Nec minus sibi gratulabatur Beatus noster, quod profectus sui incrementa

cum ipsis diebus augeri animadverteret, sibique aperiri quicquid reconditi Latinæ grajæque Musæ & ipsa Astreæ sacra habebant, cum ordine progredienti omnia simul cederent, quorum, variis in locis, tumultuariè conquisitam possessionem alii vix unquam sperare nedum plenè occupare possunt. Hic igitur sesquiannum substitit, quod breve ipsi visum fuit tempus, utpote quod maximorum Virorum convictu & pulcherrimarum occupationum dulcedine totum constabat. Et jam ita exhausisse videbatur omnes politioris literaturæ fontes, ut cum ipso Magistro si non paria facere posset, certé ab ejus magnitudine propè abesset. Quocirca ulterius progredi constituit, & ad vicinos divertere Helvetos. Celebre Musarum emporium, multis retró annis, & etiamnum hodie, Basilea est, in illâ urbe, cum magna literarum invenisset decora, ferè annum exegit, variæque eruditionis documenta dando majora quoque accepit incrementa, semper memor se Patrium non vertisse solum, ut peregrinas sectaretur voluptates, sed veram sapientiam, quâ & meliorem se faceret ipse, & aliis prodesset. Eum circumtulit animum, retinuitque in quâcunque orbis parte, etiam in mediâ Galliâ, quæ, si ulla alia Regio, severitatem excutere, & mille lenociniis ad aliud agendum pellicere juniorum animos solet. Sed ille constans tenaxque propositi jucundissimæ, inter suas delicias, genti ostendit esse aliam veram animi voluptatem, quæ dedignatur mollitiem, &, tanquam cibo, honestis pascitur occupationibus. Venit Lutetiam die VI. Augusti Anni M. DC. LXIV. bienniumque inte-

integrum inter ſtudia & honeſta corporis ita diviſit exercitia, ut potior tamen illis pars temporis cederet. Excuſſit enim, quotquot in magnâ illâ urbe tunc erant, Biblothecas illuſtres omnes, ſapientum Collegiis, quæ ſingulæ ferè dies aperiunt, frequens attentuſque interfuit, Doctos omnes familiariter convenit, & nihil omnino præterire ſe voluit, unde animo cultus accedere poſſet. Excurſione interim factâ, Aurelianos adiit Doctores, qui eruditionem profundam, & multiplicem variarum rerum admirati ſcientiam, cum accuratâ utriuſque Juris peritiâ conjunctam, ſummos ipſi honores, & utramque obtulerunt lauream. Sed ille, ab ambitione omni remotiſſimus, ut ſolâ licentiâ accipiendi tanta decora contentus eſſet à ſuâ obtinere modeſtiâ potuit. Eâ, die XV. Maji Anni M. DC. LXVI, ipſi collatâ Italos quoque adire ſapientes voluit, cum inſperatò amici monent turbari in Patriâ res ejus, &, ni ocius advolaverit, magnum fortunis metuendum eſſe detrimentum. Differre igitur conſilium ulterioris peregrinationis coactus, per Flandriam, Brabantiam & Belgium in Patriam eodem anno die XXIII. Octobris rediit. Quò temporì advectus, poſtquam magnâ dexteritate omnia ita compoſuiſſet, ut minus ſentiret Patrimonii levem diminutionem, caviſſetque ne poſthac quod metueret magnum haberet, Italos, & quotquot exterarum gentium inviſæ hactenus ſibi fuerant, iterum animo volvere cœpit. Sed penulatum jam admonuit valetudo, declinaret fatum, quod iis ferè imminet omnibus, qui ita toti excolendo ſtudent animo, ut valetudinis curam ſeponant,

Adſpiceret corpus ſuum, tenerum illud, nec facile longiores laturum vectitationes, cœlique ardentioris intemperiem, honeſtâ ideoque in Patriâ, inter ſuos gauderet in poſterum tranquillitate, & ingenii meditamentis, gratâque eorum, quæ exteri hactenus indulſerant, recordatione paſceret animum, beatoque ſe conderet otio. Parendum ille ſibi quidem intellexit, ſi vivere vellet, non tamen ita in totum paruit, quin Genio, ſuo more, indulgeret. Erat autem ille non alius quàm literarum amor. Eas ita deperiiſſe eum norunt qui familiarius ipſi convixerunt, ut vix ullum temporis momentum elabi ſit paſſus, quo non aliquid præclari vel legeret, vel commentaretur. Nec ſufficiebant dies avido ſciendi animo, ipſas invaſit noctes, & nunc medias, nunc totas lucubrando conſumpſit. Ne igitur credant qui rarò ipſum in publico viderunt, nunquam autem cum eis agentem, qui, toto die diſcurſando, in quo occupentur anxiè quærunt, domi ipſum pectinatim inſinuatis conſediſſe manibus, & profundo ſegnique in otio meliores effluere horas paſſum fuiſſe. Nemo enim eorum qui multa agere videri volunt ipſo negotioſior vixit. Sciret id orbis univerſus, ſi ipſe ſibi famam non invidiſſet. Teſtantur autem ſchedæ, fato ſuperſtites, & juſtis ſuffecturæ operibus nulli eum rei magis quàm tempori providiſſe, ejuſque tam parcum fuiſſe diſpenſatorem, ut quamcunque vel minimam ejus jacturam ægerrimè ferret. Plurima ille congeſſit, publica ſi fiant, magnam hiſtoriæ Patriæ lucem datura. Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum, Græcorum pariter ac Latino-

tinorum accuratissimè observavit, & gemmas, & nævos, observatosque in chartas conjecit. Varios quoqne ingenii lusus posteritati reliquit, quorum nonnulli publici facti jam dudum niveos doctorum meruerunt calculos. Utinam sua sic collocarent tempora omnes, quibus ea indulsit præsidia mitior fortuna, quæ vitæ tolerandæ sufficientia omnem ab animo sollicitudinem longè arcere possunt. Sed & suspici meretur niveus animus & à recto nunquam deflectens, hoc superos sibi propitiavit, hoc bonorum conciliavit affectum. Singularem pietatem, sine fuco probitatem, incorruptamque fidem, & quicquid in homine laudamus totum ipse vitâ ac moribus expressit, dignus profectò qui orbi in exemplum diutissimè superesset. Sed magnæ virtutes terris saltem solent ostendi, vulgaria ingenia ætatem ferunt, sæpeque productiora emetiuntur ævi spatia, quàm ex publicis votis. Diu est quod debile pectus uberius ex capite fluentes recipere acrioris lymphæ rivos cœpit, quâ quidem totum scatuisse sanguinem non obscurè macilentior corporis habitus ostendit. Hinc frequentiores tusses, & alia quæ tam noxiæ causæ solent esse molesta effecta, quibus, per aliquot annos, iis obviam itum est præsidiis, quæ præstantissima experiundo cognovimus, donec, mediâ hyeme, quæ proximè præteriit, ingravescere malum, & violentius agere cœpit, unde Generosissimis quibusque ex arte in id laboratum est Pharmacis, ut ferus humor mitiorem indueret naturam. Sed utut, fidelissimè id mecum curante Viro Clarissimo & Experientissimo D. CASPARO KöLIKEN, Regiæ hujus urbis Medico

Medico Celeberrimo, nihil non & circumspectè, & temporì, & magno affectu ac juvandi animo actum sit, votis potiri non licuit, longo enim temporis tractu, & ab ipsis formationis si dixerim initiis, non aberravero, ita suas involverat partes humor, ut nullam mitioris liquoris in se admitteret ingressum. Cum igitur animadverteret & ipse, & non obscurè indicarent adstantes labi in deterius brevi debere quæ in melius mutari nullo possent ingenio, maturè prospiciendum suæ putavit animæ ad alias migraturæ sedes, postquam quasso corporis domicilio contineri amplius non posset, advocato Religiosissimo Sacrorum Antistite precibus ejus id ex suo commendavit, quod tumulus non accipit, petiitque ut sacri epuli virtute certum se redderet promissi Christianis inter æterna gaudii. His ritè peractis, ne ullæ ipsum posthac mortales inquietarent curæ, bona sua omnia, piâ & insigni liberalitate, in Academiam, Templa, & Pauperes ita divisit, ut nihil superesset amplius quàm quod sepulchri impenderetur honoribus, quos tamen ita moderari jussit ne in funere pompam agere videretur, qui sine pompâ vixerat. Tanta munificentia, quâ Principes æquavit, æternum monumentum erit, in quo leget posteritas quicquid de Viro probo ac verè Christiano magnificè dici potest, qui, donec superfuit, sibi non nisi necessaria indulsit, ut lautius agerent post sua fata pauperes, beneque precarentur animæ, quæ divinitati nunc proxima assidet, postquam die vigesimo Junii horâ post meridiem secundâ, mortalibus liberata sarcinis emigravit. Gratulamur illi gloriam suam, famam-

que

que ſpondemus æternam, ſi tamdiu literis duratio erit. Corpus, mortis ſpolium, hodie circa veſperam efferetur, in æde Virgini ſacrâ, ex teſtamento, cum Paternis condendum oſſibus. Multâ frequentiâ funus deducere pietas jubet, ad præſtandum id officium invitati convenite cives, & agite, ut prolixâ commemoratione nomen maximè benefici inveniat, qui omnes liberalitate vicit. Hauniæ die XXX. Junii Anno M. DC. LXXV. Sub Officii noſtri Sigillo.

Et ſic ſplendidè deſcriptam habes HOPNERI *noſtri vitam, qui, ut in reliquis ſcientiis, ita vel maximè in Poëſi fuit verſatiſſimus; quod ipſe, erudite Lector, ſi carmina ipſius inſpexeris, non minus ratum habebis, quàm id pridem doctiſſimo* OLAO BORRICHIO, *Poëtarum vero cenſori, viſum fuit, qui in Diſſertatione* de Poëtis Danis *Muſam Hopnerianam digno elogio, quod ſuo loco vide, exornavit.*

Sed nec diſplicebunt, credo, binæ inſcriptiones ex erecto ſupra tumulum ejus in templo divæ Virginis Mariæ, quod Hafniæ eſt, æneo Epitaphio deſcriptæ: Brevior quidem Effigiei ipſius ſubjunctæ erat, altera verò averſum monumenti latus decorabat.

I.

JOHANNES HOPNERUS
Hauniensis
Andreæ F. Johannis Clari Mathematici N.
J. U. Licentiatus, Philologus & Poëta excellens,
Vitæ integer, liberalitate in averſo hujus tabulæ latere deſcripta inclytus
Infra hoc æneum monumentum quieſcit.
N. D. VI. Mar. A. cIↃ DCXLII.
O. D. XXII. Jun. A. cIↃ DCLXXV.

II.

II.

JOHANNES HOPNERUS,
Cum nullos ex se natos hæredes haberet,
Et, si habuisset, brevi potuissent deficere,
Pio gratoque in Deum ac Patriam animo,
Hæredes scripsit cum mundo duraturos:
Deducto enim cum funeris impensis ære alieno,
Bona fide dissolvendo legavit
Regiæ Academiæ Bibliothecam II numm. uncial.
Emptam;
Bibliothecæ ordinandæ ac conservandæ sortem
cIↃ IↃ numm. uncial.
Professorum duorum habitationi ædes V numm.
Uncial: æstimatas;
Studioso Philologiæ & Theologiæ sortem V
Numm: Uncial;
Studiosis pauperibus sortem cIↃ numm: Uncial:
Huic sacræ ædi sortem cIↃcc numm: Uncial:
Aliis quibus bene voluit, pr ter supellectilem,
sortem IIC numm. Uncial:
Egentibus honestis, quos ostiatim mendicare
Pudet, & R. trototropheo quicquid
Bonorum superesset.
Quæ,
Sic in tabulis testamenti perscripta,
Ut omnes sciant,
Huic tabulæ in exemplum
Inscribi jussit
T. E. E. V.
Vos, quibus bene fecit, beatis manibus bene
Precamini, & Viri benefici memoriam sancte
Ac perenni laude colite.

Quis fuerit HOPNERUS, ubi hæc legeris, nescire, Lector, non potes.

JOH.

JOH. HOPNERI
CARMINA VARIA.

DOMINO (1)
THOMÆ BARTHOLINO.

Cui totus, BARTHLINE, libens adſurgit & Orbis,
Quivis & in reliquo parvulus Orbis, Homo:
Ille peragratus, ſive illuſtratus, & ille
Verſus in integrum ſedulitate Tua; (las,
Dum quidquid Latium quidquid ſuffecerit Hel-
Iamdudum promis pectoris omne ſinu:
Sive ſacris totam ſiccas Permeſſida labris,
Seu juga denudas vellere cuncta ſuo:
Atque adeò palmam Phœbi prævertis utramque,
Viribus ingenii promtus & arte manûs;
Sive velis contra flumen, medicamina, Lethes
Carpere & ægrotos eripere ore Stygis;
Seu, quod adhuc præſtat, ipſos revocare pera-
Et vitam extinctis conciliare novam. (ctos,
Illa ſalutatum quæ Te modò carmina tendunt
Excipe quâ cunctos fronte nitente ſoles.
Nec quod ab Auctoris veniat non divite cellâ
Idcircò ſpernes quod leve munus adeſt.
Labra Caballinis ſi qui immerſêre fluentis,
Non illos inter nitor habere locum:
Nec licet haud odit Muſam Themis alma, Sacer-
Sufficit, ut par ſit, quivis utrique Deæ: (dos
Hoc proprium, *Barthline*, tibi eſt & Apolline di-
Pluſque unâ vires arte probare ſuas: (gnum

Ergo

Ergo te ſublime vehunt ad ſidera Vates,
Et quotquot carmen doctius ora ſonant;
Quos merito cunctos ſupereminet illa Beringi
Muſa, fuit cunctis quæ tibi promta locis.
Sufficiet, voluiſſe, mihi. Conamina vires
Si proba, quid potui, deſtituere pares?

---

(2)

Excellentiſſimo omnigena Eruditione Viro D. D. THOMÆ BARTHOLINO Demandatam ſibi Hauniensis Athenæi Bibliothecam aliquot ſuis Lampadibus illuſtranti, totaque de re Literaria doctiſſimè diſſerenti.

Quis Deus Hauniaci reſerat Penetralia Pindi?
Unde Latex tam dulce ſonat? quæ Diva Periclem
Concitat & doctas ad plauſum cogit Athenas?
Magnum equidem Numen! Charitum ſeu dixeris unam,
Seu, Veneri cujus ſacrata refulſit Imago
Praxitelis decorata manu, venerandaque Thebis,
Doctrinæ ingenuæ Subolem, Verique Sororem,
Illuſtrem Suadendo Deam. Nec, qualis Achivos
Bellatrix ruit unda Duces, torrentibus ipſis
Par ſtrepitu, ſed, qualis erat Pylii Senis ora
Qui ſolvit, theſaurus Apum ſeſe explicat, & jam
Pondere mellito devictas poſſidet aures;

Ceu

Ceu rapit ad ſeſe, ſed mox quoque detinet ipſas,
Nedum homines mulcet, crebro cum flumine Silvas
Silvicolaſque feras cantatus Vatibus Orpheus.
Nos quoque Numen habet. Patriæ doctiſſime noſtræ (vel Hellas
Te, BARTHLINE, cano: quod enim vel Roma
Lampadibus, Vir ſumme, tuis fœcundius auſit
Splendidiuſve ſuis ſeclis oſtendere Lumen?
Huc ades ô frugi quæcunqne audire Juventus
Nec ſerò ſapuiſſe velis! te munda Supellex
Exſpectat lucenſque focus. Te tanta diſerto
Adpoſita invitant convivia feſta paratu.
Te vocat en promiſſa Dies, Voxque aurea Magni
Non pretio ducti, non ambitione, Magiſtri,
Ingenito ſed Amore tui; jamque offeret ultrò
(: Da patulam, Auditor, nec fœtam ſordibus aurem:)
Circulus unius, ſed non delebilis, Horæ
Quæ transacta diu magnoque coëmerit Ætas.
Non Marathon Salamiſve diem notæve Platææ
Diffindent, Magnuſve Cecrops, ſimiliſve Catenæ
Siquid Olympiacos valuit ſuſpendere Ludos.
Non per inexplicitos nodos & Sueta Sophiſtis
Retia, flexiloquoſque modos, &, quidquid inanem
Fluctibus in mediis rellinquit ſerò carinam,
Propoſitum pateſiet iter. Melioribus orſis
Hæc præfert Aurora facem; qua concidet omnis,
Si qua moræ juſtæ volitet vel neſcia limæ
Aut melioris egens langveſcit Pagina ſucci
Nec ſolidas oſtentat opes. Hic ſola ſonabunt
Immenſum quantum quæ diſtant æra Lupinis,
Æraque communi quæ non percuſſa monetâ.

Non

Non pilam adpensis satis est nudasse libellis
Venalesque domum totas retulisse tabernas;
Nec satis est, ipsis quæ dulcia somnia Fabris
Concedunt, vigili producere tempora nocte,
Cumque oleo, vitæ succum impendisse Lucernæ;
Tu præfers, BARTHLINE, modum. Tu certa levatis
Præscribens studiis & donans otia Musis
Vis multùm non multa legi, selectaque chartæ
Pondera mandari, memori vel mente reponi
Lance prius librata sua. Tu Scripta vetustis
Eruis è latebris, confersque sequentibus annis,
Inventisque novis, sinuosa volumina secli;
Teque nihil Censore latet. Te Vindice, quævis
Prostratum Fucum calcante incedere gressu
Gestit, & illimi decorata Scientia cultu
Liberius proferre caput. Non, pectora centum
Oraque si totidem mihi det cui Festa dicamus
Hæc merito Suadamque, Deus, jam laudibus æquem
Tot dotes Vir celse tuas; quem prisca tulissent
Tempora si Romæ, te propter protinus omnem
Liquisset Scenam Magni sapientia Lælî
Scipiadæque tuum, Populo subducta Foroque,
Ad latus hæsisset Superis contermina Virtus.
Nos, queis Carneadem non extera protulit ora
Sed Patriæ natale solum, bona nostra vetabit
Candidus hic nescire Dies, quo tanta tueri
Ora datur, coramque tuos haurire profatus
Danorum, BARTHLINE, decor; quem sæpè renasci
Auspiciis, Vir docte, tuis, semperque serenum
Ore tuo proferre jubar concedat Olympus!

Det-

Detque tibi, quos jure meres, quem dotibus æ-
Eloquio ſuperas, longævi Neſtoris annos! (quas,

Euchariſticon hoc
d. d.
JOH. HOPNERUS.

Viro (3)

Nobiliſſimo & Ampliſſimo

VITO BERING

Poſt Filium natu tertium vita defunctum Fœmineæ Prolis Parenti.

Vicit jo! tandem vicit tua Nupta, BERINGI,
Dum Pueri ſupplet nata Puella vices;
Vicit jo! duplicemque cupit ſibi præmia, lau-
Hinc Fati Victrix, Conjugis inde ſui. (rum
Da faciles da ſponte manus, doctiſſime Vates,
Dentur ut Uxori juſta tropæa tuæ.
Illa bis antè domum Veſtram quæ Dia Virili
Robore ſuffulſit Mater & Aſtra ſemel.
Non ſatis hoc putat eſſe ſibi. Sed nititur ultrà,
Jamque ſuis rebus Virginis addit opem.
Non ſecus ac Helene ſed quæ caſtiſſima Fratres
Æquabit ſtudio conveniente duos.
Moxque ſequuturas ut natu Prima Sorores
Euphroſyne Ingenii ſic præitura bonis.
Scilicet haud uno conſtat Reſpublica Sexu
Nec ſine utroque valet pignore pura Domus.
Dumque ſuos ducit ſua per veſtigia Conjux,
Uxoris refert ducere poſſe ſuas.

Con-

Contigit hoc; & plaudit utrique Puerpera voto
Tam faciles licuit cui reperiſſe Deos.
Salve optata dies, Cœlique ſimillima dono,
Æternâ Patris mox celebranda tubâ.
Fac eat Urbanas feſtina Ancilla per ædes
Lætitiæ & lucis Nuncia grata tuæ.
Naſcimur haud Domui privatæ, naſcimur omni,
Et tendunt quæ non gaudia noſtra foras.
Quin eat &, quarum tenet index Nomina, Ma-
Edoceat Dominæ vota ſoluta ſuæ. (tres
Officii memores ut Partus mole levatam
Gratantum ſolito viſere more queant.
Et jubeant multa Niobes æquare refertos
Prole, ſed eventu proſperiore, Lares.
Interea mihi Parca refer; ſua penſa Puellæ
Dum trahis huic, dotes quas tribuere Dii.
Ut ſuperet formâ Italiam, Genetricis ad inſtar
Illa geret vultus & geret ora ſuæ.
Palladis ut vincat titulos, imitabitur artes,
Collectas eadem quas tenet Alma Parens.
Denique quas jactant partitæ munera Divæ
Materno junctas nomine habebit opes.
Si quid & in ſexu poſſit leviore Paternum,
Quod dubitare nefas, ſemen habere loci.
Unà equidem cunctas docto modulamine Muſas
Geſtiet & variis antevenire modis
Aſt ubi pubertas & nubilis accidit ætas
Non uni tantum ſollicitanda Proco.
Inde pari ut ſatagat fœcunda Nepote Parentem
Inde pari Matrem Nepte referre ſuam.
Talibus hæc quondam meritiſſima dotibus illi
Nubere gaudebit, cui licitum eſſe, Pari.

TITAN ARCTOUS
Purpureo illi diei menſis ſeptimo Junii
Quo
Auguſtiſſimus & Hæreditarius Danórum
Norvegorum, Vandalorum Gothorumque
MONARCHA
CHRISTIANUS
QUINTUS
Omnibus Abſoluti Imperii Inſignibus
Decoratus & Armatus
Sacroque Perunctus Olivo
FREDERICIBURGENSE
Regali illuſtrabat Splendore
PALATIUM
Dicata Silva
J. H.

1671.

Phosphore prome diem, rogat Arctos anhela, morari
Dum putat & solito te lentius ire, querelasque
Has miscet precibus: citò Phosphore prome pa-
Ornatu meliore sequi, faciemque sereni (ratum
Ad Boreum compone decus, quemque eminus Aulæ
Codanæ splendere vides, imitare nitorem,
Aut jubar hinc adsume decens: Citò Phosphore faustum (Phlegonne,
Prome diem. quæ causa moræ est? Æthonne,
Ignipedùmve alius non suetâ territus ostri
Luce retrocedit? vel dum sua lumina Phœbus
Obscuraturos sentit Diadematis ignes
Regalemque apicem, juga ferre recusat Eous?
Horarumne simul jussis parere jugales
Detrectant rosei, conspirantesque recedunt?
Phosphore prome diem: nec enim tibi causa morandi.
Jam dudum posuere minas, iramque ferocem
Cœlestes minuere feræ, nimiumque rigorem
Flexerunt, postquam PIETAS ASTRÆAQUE terram
Supremo univêre polo, Divumque benignum
Prodigiis certis commonstravere favorem.

Talia dum dictat Spes, impatiensque mora-
Arctos tota refert, tantos spectare paratus (rum
Exspectans avidè sed frustra prævia Phœbe (tûm
Tandem lenta viam linquit, ceditque sequen-
Auroræ Phœbique rotis. jamque Ætheris almi
Expandêre fores, nebulosaque claustra reclusi
Custodes movêre Poli. Jamque altus Olympo

Et

Et ſolito majore infert ſe lumine Titan,
Quali Cæſareos quondam, radiantibus auro
Veſtibus & ſoleis, intonſiſque ora capillis, (tus,
Atque humeros circum rutilans conſpexerit or-
Aut Veteres orbis luſtraverit ore triumphos;
Hoc unum obſervans, juſtis ut paſſibus æquet
Obſequium populi Borei, feſtoſque labores
Queis colit albatum tota Aula albata Monarcham.
Ecce tamen, non viſa cano, velut ille decorem
Et cunctas ſplendore faces ſupereminet Æthræ,
Sic iterum CHRISTIANE tuo ſubmittit honori
Lumen, & alternans quaſi tecum munia gaudet
Partiri, interdumque tuo ceſſiſſe nitori? (dens
Haud equidem fauſtum caput inter nubila con-
Nubila namque fugam procul hinc disjecta capeſſunt
Æolia pellente manu; ſed ut ipſe ſecundus
Diviſis tecum vicibus nova ſecla gubernet.

Eſt in Codana memorabilis Inſula terra,
Arx auguſta, ingens, Regali ſplendida gazâ
Auſpiciis FREDERICE tuis & nomine nota,
At quam marmoream CHRISTIANUS deinde
Sæpe viatorum viſus adſueta morari (reliquit
Theſauris opulenta ſuis, Danoſque futura
Ungendi Reges poſthac celeberrima ritu.
Vidimus huc equitumque globos peditumque catervas
Et ſuper aptatis paſſim contendere rhedis
Agmina cum chara ſubole denſata Parentum
Optatum viſura diem, feſtivaque ſacra
Quæ queat intentis memorare Nepotibus olim
Garrulitas jucunda Senum. quin vidimus ipſum

Nubibus ætheriis pergrato huc nuper in imbre
Descendisse Jovem; non qualis ahenea mundi
Claustra movet rigidus, tempestatesque tonitru
Fulminibusque ciet, prosternendisque Potentum
Turribus iratus minitatur, & ardua Regum
Trajicit infensus vibratis culmina telis:
Qualis at humanis accitus ab Æthere votis
Supplicibus precibusque piis, Telluris hiantem
Tendit in amplexum, tunc cum sata læta boumque
Compensat placidus fruge exundante labores
Atque hominum bonus auget opes: sic vidimus ipsum
Pulvereas tersisse vias, sordesque viarum, (tum
Atque omnem demsisse situm, quacunque beaingredereris iter, circumfusosque benigne
Substratosque tibi mitem fovisse colores.
Sic Sacrum, Rex, cessit iter. jamque arcis apertâ
Regalis spectare licet miracula pompâ,
Perque tot Augusti vaga circumferre palatî
Lumina circuitus; quæque illuc Solis utrâque
Congessit Natura domo, percurrere visu.

O mihi si tales Helicon concederet amnes,
Qualibus imbutus quondam sua carmina fudit
Statius exiguo condensans tempore silvas,
Cæsareum seu laudet equum, seu suave Vopisci
Depingat Tibur, seu scandat Tibridis arces
Cum Venere Iliacas, seu gemmea cantet Etrusci
Balnea, sive modis æquet loca ditia Pollî
Pieriis, sive Alciden Felicis adoret,
Vindicis aut referat Lysippo nobile signum,
Sive tuas præsens celebret, Germanice, cœnas
Testis, & ad cœlum fulgentia culmina tollat;

Hic

Hic ego quid Pallas, quid cum Cytherea Marito
Quid pollens Natura dedit, ſcripſitve Voluptas,
Concinerem, numeroque pari ſimilare ſtuderem
Ornamenta, ſituſque loci nitidoſque receſſus,
Auratafque Trabes, picturatafque columnas
Vivaque Semideum referentes corpora ductu
Effigies, ſtatuaſque Deûm, ſimulacraque Regum,
Geſtaque Magnanimûm dignis expreſſa figuris
Heroum, ſeu ſaxo inciſa, aut fuſa metallis,
Sive per extenſos variè depicta tapetas
Sive pavimentis ipſis inſcripta: ſupraque
Agmina per nitidi ſpatium volitantia tecti
Virtutum, Dominoque loci pôrgentia lauros.
Hic formoſa lacûs facies, calamoque diſerti
Auſonii condigna, ſinûs prægreſſa Moſellam
Circuitu placido, piſcoſoque æmula fundo,
Frugifero præcincta ſolo, ſtipataque ſilva,
Edita quadratis nitidâ circumfluit unda
Amplexuque fovet madido fundamina ſaxis.
Hic ſuperimpoſiti pontes, hic turribus altis
Hinc illinc diſtincta nitent Prætoria, & intus
Atria longa domûs: & quæ pretioſa ſupellex
Exornat Proavûm vario penetralia Regum
Selecto fulgore ſuo; menſæque, cathedræque
Et ſpecula, & lychni, & thalami, queis æmula nunquam
Aut Ars aut Natura dedit conamina rebus,
Quæ centum laſſare queant oculoſque tuentum,
Scribentumque manus collaudantumque loquelas;
Uſque adeò hic largâ diſpenſat munera mundi
Copia magna penu, nulla non prodiga pompâ.

Me tamen hinc majora vocant; modò Musa faveto.
Ipse Deus Geniusque loci Boreique Monarcha
Imperii dicendus erit, qui luce nitorem
Non minus exsuperat reliquum, quàm Regia so-
Phœbeo cedit circumstellata decori, (lis
Cum Patrem in solio latè lucente sedentem,
Inde atque inde opera promptâ famulantibus an-
Et benè distincti stipatum temporis Horis, (nô
Consistens procul adspiciat Clymeneia proles.
Concilio sic ipse tonans præsente Deorum,
Atque simul venerante polo, terraque, marique
Fingitur è solio sublimis flectere nutu (indo
Semideûmque hominumque actus, & providus
Consiliis totum moderare salubribus orbem.
Talis & insigni de sede, hanc plurimus ornat
Monoceros, eborisque locum pretiosior explet
Materies, æquanda auro Thetidosque lapillis,
Dum Celsus, CHRISTIANE, manu venerabile sceptrum,
Quale per illustres dextras sibi traditum Atrides
Mulciberi gestavit opus, donumque Tonantis,
Justitiæque tuæ pôrgis pernobile signum,
Ante pedes, AUGUSTE, tuos servire Leones
Herculeæ monimenta manus, & spargere flores
Naturamque Artemque vides, circum undique turbis
Cum numero comitum lecto famulantibus aulæ:
Et quocunque oculos flectis, tibi purpura servit,
Purpura per totum tua Regna, solumque salumque
Phosphoreâ dispansa manu, Verisque ministro
Suppeditata sinu, meritos dum præstat honores
Ipsa tibi rerum Genitrix, & Gurgite tollens
Oceanus

Oceanus capita alta ſuo, applaudente Deorum
Undique Cœrulea turbâ, deferre paratum
Obſequium geſtitque tuo parere tridenti.

Quis modo cedentis miretur Orionis arma
Cingula ſi ſpectet, quique hinc dependeat, enſem
Ornantem Regale latus terraſque tuentem?
Non opus hoc Steropis, non hæc geſtamina Bronti
Seſe accepta ferunt, Siculiſve animata caminis
Arma laborantes delaſſavêre Cyclopas; (giſter
Eſt opera hæc miranda magis, quodque ipſe Ma-
Ignipotens doceatur habet, Conjuxqe Magiſtri
Quem quondam attulerat Genito non reſpicit
Fatiferum gladium, deſudataſque Marito (ipſa
Tergeminas flammas, tot ſuffectura Tonanti
Fulmina, tot rigido fabricataque tela Gradivo,
Cuncta libens modò CHRISTIANI poſtponit honori,
Quem vidit fulgere, Venus. Jam prome, Lycaon,
Confer & Euryali lateris decus, anne vel ipſa
Lamina cum noſtra poterit contendere? eburna
Anne Adamanteas ſuperat vagina figuras? (gentē
Ne memorem capulum gemmiſque auroque ri-
Vincentemque poli radios: quid munus Juli
Hunc contra quod monſtret habet? nec curo machæræ
Pelea jactantem fulgur; nec te moror, Harpe
In falcis curvata modum, quam dextera Perſei
Verſat adhuc monſtratque procul. Non major Hotheri
Armavit tutela manum, licet inclyta faſtis
Emicet in Patriis & adhuc ſpectanda ſuperſit
Mimringi prærepta antris. non Biarco vel Uffo

Huic ſimili Pugilum diſſolvit acumine truncos
Aut ſtravit mucrone pari. non enſis uterque
Haldani, inſignes toties nudatus in hoſtes
Et nunquam vano deceptus & irritus ictu,
Tot licet everſos ferventi extendit arenâ,
Huic poterit tanto decori prævertere palmam.
Illa fuêre quidem rigidi inſtrumenta duelli,
Sive ſales nimios inconcinnoſque lepores
Ulta accumbentum, ſeu Corrivalibus aſtum
Tentatum repulere manu vibrata potenti,
Seu, nece dum penſant annis illata Parentum
Probra, Athletarum debellavêre furores:
Aſt alia hæc acies, pro libertate focisque
Atque aris Patriæ quondam pugnare parata,
Reddidit incolumes inconcuſſoſque Penates
Regales, privoſque Lares: nec Sanguine plebis
Innocuo, nec cæde Patrum polluta Potentum,
Expandit fatiſque viam capitique Coronam;
Jam verò pacata micat, contenta ſuperbos
Deprimere, & miſeros implorantesque tueri,
Juſtitiæ devota ſacris. Hæc illa poteſtas
Imperio ſuffulta mero, juriſque ſupremi
Plena Majeſtate valens, obnoxia ſoli, (ctis,
Quo genita eſt Auctore, Deo, tamen obvia cun-
Et nulli non prompta inopi, tutela relictis,
Solamen viduis, atque ara Parentibus ipſis,
Et toti Cynoſura orbi; quam nolo per omnem
Ferre pedes, cum plura vacent, diadema, togæ-
Pompaque vel junctas delaſſatura Camenas: (que
Tota triumphantis ſpecies Auguſta Monarchæ.

Quis capitis laudare tui, Rex maxime, tegmen,
Quis potis ardentes circum tua tempora flammas
Excipere adſpectu, nedum comprêndere verſu?
Illa

Illa quater geminis radiis distincta Corona
Et radiis unita iisdem ; quam lamina fronde
Inferior gemmante ambit, quam vertice raro
Effulgens extollit apex, cruxque æmula rerum
Principiis impôsta globo, longeque coruscâ
Luce repercusso surgens inducit Olympo.
Illa procul quemcunque facit consistere, & ignes
Undique Divinam faciem splendore tuentes
Eminus atque hebeti vix sat discernere visu :
Si latus adspiciat, Carbunculus ardet utrinque,
Si frontem, frontis decorat Sapphirus honores;
Utraque vel cœlum vel cœli continet ignes
Gemma, nec aut fulgore suo nec pondere cui-
quam
Concedit, quam Sol unquam conspexit Eous.
Temperat ast Adamas geminum majore nito-
rem
Luce sua, varioque refert splendore colorum
Misto Irin, gratumque facit diadematis orbem.
Jam rupes disrumpe tuas, jam Tethyos, Inde,
Gemmiferum vacua gremium, loculosque pro-
fundi,
Quicquid & antiquis habitum mirabile, quidquid
Vel fuit antiquis nondum penetrabile seclis,
Divite Naturæ totum deprome recessu,
Vix tamen inde trahes majora hac munera gazâ.
Tu refer Arctophylax, vel tu Tirynthie flexo
Nixe genu, numne illa, polo quã infixit Iacchus,
Gnossia fax, stellisq; novem signata Corona (ris?
Fulget adhuc remanente loco, num reddita ter-
Illa novem stellis, sed & hæc quæ gemmea crines
Lux cingit CHRISTIANE tuos, si jungitur octo
Nonus apex ramis, numero censetur eodem.
Sed quid ego Alciden, quid testem poscoBooten?

Quis neget Ætherio CHRISTJANUM munerecingi?
Munere, sed cujus tibi non debetur origo,
Blanda Venus; Deus ipse, Deus qui cuncta coronat,
Ille Deus tanti solusque est muneris Auctor;
Quod quoties aliquis cernet Diadema, stupebit
Et simul agnoscet rigidi monimenta Gradivi
Devicti, & gemini servati præmia Regni.
Hinc Quercûs contendit honos formatus in auro
Inter Erythræas passim consurgere gemmas;
Non simplex civile decus, vel partus ob unum
Defensum titulus, totius at indicat Arcto
Suppositæ Gentis cum libertate salutem
Plus quam mortali defensam vindice dextrâ.
Quis mihi jam fictos apices de vertice Julî,
Quis specimen solis radians, insigne Latini,
At, si rellinquenda suæ figmenta Poësi,
Quis mihi serpentes circum tua Tempora Tulli,
Aut tua circum, Auguste, vagos nunc objicit ignes?
Historiæ non damno fidem; præsentia præsens
Intueor potius, conspectaque præfero scriptis.
Hic cœlo cognatus apex accersit Olympo
Nomina, quæ Arctois indulgeat aurea terris.
Hic ferrugineâ vacuusque & purus ab umbrâ
Atque omni sine nube nitor, perfecta serenæ
Et non fucatæ verissima mentis imago.
Hic solidum, nec mistum aurum, flammaque probatum
Sortis & adversæ pridem asperitate politum,
Per rigidum virtutis iter virgultaque tandem
Evectum Regale caput circum undique munit.
Hic radiis divisa suis sociataque flammis

Regalis

Regalis miſtura animi, pergrataque morum
Temperies, concorſque ſuæ diſcordia ſedis,
Continuo fœcunda bono, ſe ſpargit & unit,
Et nunquan non larga ſui, ſed noxia nunquam,
Et Thaumantiados ſplendentis ad inſtar, inanes
Tollit aquas, nebulaſque fugat, redditque ſerenũ.
Conditur gravitate lepos, arctatur honeſto
Utile, Juſtitiæque rigor ſe terminat æquo.
Regia Majeſtas nunquam ſe laxa profanat, (ſtas.
Et licitum nunquam tranſcendit ſumma pote-
Quis tantas non ſentit opes, fruiturque beatus
Excelſi bonitate Ducis, qui ſolis ad inſtar
Spargit inocciduoque jubar de lumine fundit?
Culmen habet Pietatis apex, atque obtinet arcem
Supremam ſummi flagrans reverentia Cœli;
Illa quoque agnatis communicat ignibus ignem,
Et toti Exemplum venerandum ſufficit Aulæ.
Pullulat hinc vario ſub nomine plurima Virtus,
Laudandoſque ferax ſeſe diffundit in actus
Vulgares prægreſſa modos, Heroaque ſemper
Rite premens omni numero & veſtigia greſſu.
Hinc juſti ſplendeſcit amor, qui protegat ædes
Magnatum, plebiſque caſas. Hinc flamma Pudo-
Emicat & blande perfuſa repercutit ora. (ris.
Hinc Titulis innexa Deum Clementia grato
Allicit adſpectu, & cunctorum accendit amorem
Par referens propenſa pari. nec luce minore
Effulget Germana Fides imitata Sororem,
Atque adamanteo confirmat vincula nexu.
Hinc animus contemptor opum, licet aureus, aurum
Vile tamen reputat, nedum præponit honeſto:
Hic idem donator opum ſua munera largè
Dividit ex æquo, & nunquam non ditat egenos.

Hinc conſtans ſemperque ſibi quæ conſcia recti
Adverſas ridet mens diſpellitque procellas:
Illa voluntatis, juſti præcingit & æqui (ceps
Cancellis, campum, & nunquam conamine præ-
Nil niſi conſultum rigidoque examine tutum
Eligit Electumve facit: ſemperque Magiſtra
Compeſcit ratione vices, momentaque rerum
Ponderat, imperiique regit Prudentia clavum.
Nec minor eſt illâ qua flagrant ſingula, flammâ
Unitum radiis ſidus ſpectare voluptas.
At quæ prima canam? dum me hinc Diadema moratur,
Inde meum poſcit calamum Regalis amictus:
A capite ad calcem quid enim niſi fulgor & aurum,
Quicquid & intentum poſſit confundere viſum?

Illanc Sacratum circumdans florida corpus
Et vero antiquam gaudens æquare colore
Purpura, qualis honos pretioſo vellere nunquam
Emicuit, Polypheme, tua frondente ſub aula:
Quale nec, Alcandres donum, colus aurea The-
Miſſa Mycenarum Reginæ geſſerat olim (bis
Nobile lanarum genus, atque Amethyſtina reddens
Fila manu ductum violaſve imitantia fuco:
Vellera ſed ſaturata rosâ, Herculeique cruento
Rore canis tinctos ſuperantia myrtea rictus.
Vellera queis nunquam foliis mage mollia Seres
Æthiopeſve ſuis poterant depectere ſilvis: (rum
Purpura, cui nil miſcet hiems pelagusve mina-
Nullaque conchylî ſpecies contendere poſſit;
Tota ſed à Roſeo quæ lucida flore nigreſcit.
Cui par nîl Meliboea tulit, nil Phocidos ora,

Nil

Nil Spartæ tenuêre foci, vel ahena Tarenti:
Cui cedit Cadmea Tyros, opulentaque Sidon
Phœniciæ vicina Tyro, concedit & omnis
Longinquis advecta locis ſtlataria merces.
Purpura, quam nitido variè intertexta rigore
Multa Coronarum Series exornat, & ardet
Commendare hominum curisDivûmque favori;
Exſuperans longè, quo ſplenduit Attalus, aurum,
Queiſque Phrygum regio miranda excelluit, artes.
Illáne Mæonium, vel quem fert Mantua, Vatem
Sola fatigatum daret, atque, ubi linqueret orſa,
Redderet incertum? nec enim quæ Fabula fingit,
Aut mentitur Anus dum non ſibi viſa vetuſtas
Edit, & à ſerâ vult poſteritate probari
Pro certis incerta, queant contendere veris,
Et quorum tentata fides pro teſte tuentum
Innumeros oculos adducit & ora frequentis
In re præſenti populi. Jam cedite Vatum
Somnia priſcorum: Quid enim tua condidit arca
Muneris huic æquale, Thetis, quam Mater
Iliadum contra dederas munimina ituro? (Achilli
Quid Priami thalamos, atque hinc pro funere
Argolico donanda Duci geſtamina jactas (Nati
Fama prior? I, Penelopes nunc excute capſas,
Aut his ſi meliora tenes. I, confer in unum
Huc cumulum tunicas Veterum, chlamydeſque! togaſque & (rum;
Quidquid acus pinxit, quidquid diſtinxerit au-
Sive humeros priſci trabeali inſigne metallo
Conſulis arctet onus; ſeu picturata triumphi
Ornent indumenta Ducem; ſeu corpora Regum
Ebria Sarranis cingant velamina ſuccis;
Nil ſimile eſt. Quid Nauſicaes Helenæve labores,

Andromachesve extollis opus? Quid munera Le-
Quid Didûs discreta auro Tyrioque superba (dæ,
Murice mirantem reddunt? majora vel ipse
Immemori tibi sufficiam; nil tela Calypsûs
Nil radii Circes operæ huic fecere secundum,
Nil Veneris Charitumve agiles pretiosius un-
Perfecêre manus. Ipsa ingeniosa Minervæ (quam
Mens stupet, & proprias operâ hac quas præve-
nit artes
Non tanti putat esse suas. Vos dicite Musæ
Cœlestes lustrare domos rutilosque recessus
Sæpius adsuetæ, num splendidiore vel unquam
Cephea vestitu cinctum, similive nitore
Persea velatum rutilæ spectâstis ab Æthræ
Astriferis fulsisse globis: modo neuter ibidem
Conspicitur nam fulgenti obscuratus uterque
Cessit Hyperborei splendore & lumine Solis.
Anne humeris, Astræa, tuis qui pendet amictûs,
Sidereum quoties habitas illustris Olympum,
CHRISTIANUM nunc ambit honos, Borea-
lia postquam
Regna colis, delapsa polo domibusque supernis,
Ut meliore iterum formentur secla metallo?
Anne celebrandi species antiqua triumphi,
Aut Capitolinum quondam quæ palma Tonan-
Plurima velavit, Cimbrorum venit in oras (tem
Arctoum cinctura Jovem, veteresque figuras
Mutavit meliore togâ & diademate multo.
Hunc etenim non sola decet modo palma Mo-
narcham, (nis,
Sed laurus, quercusque simul, myrtusque peren-
Semper & integræ vigor immortalis olivæ
Contendunt Heroa pium florente fovere
Amplexu, & sociis testari frondibus artes,
Queis

Queis pollet, ſeu Martis eunt ſeu tempora Pacis:
Nec poterit varii meliore emblemate pingi
Ornatus folii, quam ſi radiante coronæ
Conveniant diverſa bona & cumulata figurâ.

Jure triumphales merito jam ſumis honores
Qui calcas, Auguſte, feras, tot monſtra, catervas,
Ante pedes confoſſa tuos. Hinc vincta catenis
Hiſcit Avarities, foribuſque adſueta Potentûm
Cerbereo miſeros inopeſque avertere rictu
Mordet humum, potumque vomit temulenta cruorem,
Quæque alias ipſi porrexerat ubera Nutrix
Ambitio, ſiccata dolet, tumidaſque feroci
Subreptis aliunde bonis tabeſcere mammas
Sentit, & haud vel merce locat, vel tentat honorum (mis.
Spem pretio, vitaſve hominum divendere num-
Hinc Proavûm ſoli confiſa Superbia fumo,
Aut opibus non nixa ſuis, meliore ſed omni
Parte vacans animique bono, ſubmittere diſcit
Colla jugo, retrahitque ſinus & turgida vela,
Virtutique inopi, quâ quondam Roma Magiſtrâ
Floruit, egregioſque Duces accerſit aratro,
Cedere conſueſcit, juſto ſub Judice morum
Dum nimio exuta eſt funeſta Pecunia cultu.
Occidit effrenæ laſciva Licentia turbæ,
Quæ ſolet aularum ſeſe defendere ritu, (pæ,
Atque patrocinium Procerum prætendere cul-
Nil vitii ſibi turpe putans, quodcunque frequenti
Exemplo excuſare ſciat communior uſus.
Exſulat hinc odioſa bonis, & peſtifera aulis,
Principibus blande caudam jactare ſuëta
Natio Adulantum, Delatorumque poteſtas
Facto-

Factorum perdocta in candida vertere nigra,
Curvaque de rectis facere, & malè parcere vero
Adprimè facilis, cui commoda publica privis
Tempore captato furtim postponere lucris
Ars habita excellens, Harpyarumque profano
Cuncta simul non diripere & disperdere more
Simplicitas miseranda audit vel inopia mentis.
Ipsaque luxuries Regnorum summa Celæno,
Illa peregrini semper studiosa paratûs
Ex proprio nunquam fundo contenta Charybdis,
Dum videt antiquos Danorum surgere mores,
Et priscos remeare habitus, & quicquid honesti
Strenua Majorum voluit præstare Vetustas,
Sponte fugit, linquitque locum melioribus annis,
Vana reformatis subducens nomina seclis.

Talia dum calcas, Auguste, ostenta barathri
Tartarei, Stygiisque iterum se involvere vinclis
Atque laboriferis spectas adsvescere pœnis,
Antea vestibula & Procerum quæ sæpè rigentes
Obsedêre fores, atque ipsas sæpius aures
Magnatumque oculos infectos tabe dederunt,
Captaque communis fœdarunt limina sensûs,
Quis non clamet io! quis non celebrare triumphum
Gestiat, & meritos Victori cantet honores?
Ostendant alii quæsitas sanguine pompas,
Ostendant famulosque Duces, simulacraque rerum
Victarum vario nitidè fabrefacta metallo
Oppidaque & Montes, & Castra, Sinusque, Lacusque,
Atque Catenatos & fractis cornibus Amnes
Ante suos duci curent à milite currus;
Et titulos magnis ingentes cladibus emtos

Militiæ

Militiæ certent decori præferre togatæ:
Eſt citius reperire hoſtem ſuperare peritos,
Quam cives tractare ſuos moderamine doctum
Neſtoreo, Regnoque frui cum pace valentem.
Hæc te jure manet laus, hæc, Rex maxime, ſorti
Gloria nil commune vagæ turmiſve relinquens
Uni tota tibi decernit ſponte triumphum,
Sed ſine vi partum, nec habentem flagra, nolaſve
Quas timeat, nec pone ſui Monitoris egenum.
Herculeos jactent Veterum figmenta labores,
Et ſua bis ſenis tribuantur robora geſtis;
Non eſt Geryoniſque boves, volucreſque rapaces,
Stymphali excrementa lacûs, hydramque paludis (dum
Lerneæ, Cretæque ferum, Nemeeſque tremen-
Prodigium, & Diomedis Equos, & Phocidos Aprum,
Et genitæ cetum bipatenti fauce minantem
Laomedonteæ, reliquorum & monſtra locorum
Dimoviſſe labor major, geminiſve columnis
Dignior, impuris vacuum quàm reddere Regnum
Sordibus, & fœdas vitiorum expellere turbas.
Nec minor Auguſtis ſteterat victoria, Romæ
Pacatæ meliore ſtatu revocare juventam,
Et duratura renovatam in ſede locare,
Quàm tot in Imperii Latii concludere circo
Diverſos fuerat, linguiſque ſituque locorum
Diſtinctos latè populos, genteſque feroces.
Et quid in Imperii complecti finibus Orbem,
Si corraſa domi devictæ opulentia gentis
Victoris laceret vel vexet viſcera regni?
Quid prodeſt, Pellæe, tibi, tot partibus Orbis
Devictis, penetrare Indos, quoſque ante feruntur
Cyrus

Cyrus & invictis famosa Semiramis armis
Prætrepidè liquisse, locos superare labore
Indomito ingentique animo, Bacchique trophæa
Exstruere æquantes in mundi limite metas;
Si te Persa domi corruptis moribus urget,
Et Macetum Veteres peregrina licentia vires
Enervet, sensimque ipsos emolliat artus?
Quid Pœni castella soli, aut quas nautica moles
Imposuit Carthago mari, quid viribus hostes
Immanes, Alpesque suas cœlique rigorem
Corporis indomito superantes robore Gentes,
Intima quid Macetûm perrumpere claustra; quid armis
Atque opibus Syriam pollentem involvere bello,
Europæque, Asiæque, & quas tenet Africa, terras
Morigeras fecisse juvat, geminoque sub axe
Partiri cum Sole vices? si præda triumphis
Continuis invecta Ducum, si munera Regum
Atque Orientis opes, & mundi grande tributum,
Materiemque dabunt inopum causamque rapi-
Si Proavûm gazas consumet dira Nepotum (næ;
Ingluvies; si post Siculos adlata subactos
Signa Syracusis & splendida vasa Corintho,
Græcorumque Artes, atque accersitus Athenis
Artificum numerus, pergræcandique Ministri,
Et Latii Regum superantia fercula census,
Victorem populum capient, & sicca Quiritum
Exhaustis penitus rellinquent ossa medullis,
Ipsaque nudatæ lacerabunt ilia Romæ?
Scilicet hæc solida est & quâ Respublica summè
Indiget una salus, civem regere atque maligno
Luxuriæque & Avaritiæ defendere ab ictu:
Hac instas, Auguste, viâ, longeque minori,
Quam fuit Alcidi præscriptus, temporis orbe,
Mon-

Monstrifero Arctoas purgas à semine terras,
Imperii & quodcunque tui corrumpere possit
Commoda, deprênsum dum tollis inutile pondus
Aut succo meliore facis mutare venenum;
Quos titulos optare velint possintve mereri
Terrarum Domini, tu, nomina rite Parentis
Indutus Patriæ, longè post terga relinquis,
Jamque Atlanteum sustentas fortior orbem,
Postquam humeros sacro, Christiano more, per-
Regales oleo voluisti, & sumere vires (ungi
Inde, unde & dudum Cœlestia nomina duxti.
At quo me mea vela ferunt? sit scribere vitam
Historiæ, Rex Magne, tuam; me sola diei
Gaudia detineant unius & auspice Cœlo
Quæ peragenda dies, limes mihi Carmini sesto.
Adspice jam quacunque intrat, CHRISTIANE, fenestras
Aureus auratas, illustratque intima Phœbus,
Exteriora tui pateant ut jugera Regni;
Adspice quos fœcunda tibi fert Copia fructus,
Quæque colonorum disrumpent horrea messes,
Adspice quæ tibi flava Ceres, quæ mille colorum
Flora Parens totidemque ferax & Mater odorum,
Producant Domino Codanæ munera terræ;
Dum tibi ridet ager, grato dum murmure Rivi
Lætitiæ dant signa suæ, dum stagna lacusque
Respondent non voce suâ, & circumflua Tellus
Testatur commune bonum, dataque otia Regi
Fert gaudens accepta suo, lapidumque remota
A Lare, quem reddis præsens, Auguste, beatum
Pæne trium spatio, geminum qua vindicat æquor
Hellespontiacos similans Orsunda meatus,
Provocat Agnatam ad solennia gaudia Balthen,
Dumque repercusso sonitu & clangore tubarum
Ip se

Ipſe tuas laudes, & nomina concinit Aër
Auguſta, & multa jactat ſe taurus in herba
Inque tua exſultat ſilvâ fera, piſcis in unda,
Plurimaque hæc circum volucris, Rex maxime, tantam
Lætitiam metire oculis atque auribus hauri
Quam terris Regniſque tuis Deus ipſe dediſti.
Mox at ad Hafniacam quà te via deferet urbem,
Hinc Paſtor calamis hinc cultor Ruris avenâ,
Ille ſub umbroſæ conſiſtens tegmine fagi,
Ille viam propter gradiens in gramine campi,
Dicere te laudeſque tuas actuſque ſtudebunt. (ca,
Tunc Veteres Scialdros imitans tibi carmen opa-
Qua præterveheris, frondator ab arbore ſparget,
Quod capita attinget meritorum ſumma tuorum
Perque tuos levibus modulis volitabit honores.
Tunc ſimul accurrent Iuveneſque, Senesque Patreſque
Geſtanteſque uterum Matres, & ab ubere natas
Pendentens pueroſque manu non paſſibus æquis
Ducentes Comites, illius ut ora tueri
Et ſpeciem poſſint, quo ſuſtentata juventæ
Robore Codani revireſcit gloria Regni.
Hi ſibi quod tuto liceat, quacunque lubebit,
Ire redire viâ, quod rura habitare quietè,
Jamque foris ſaturare greges, jam pellere paſtos
Securè potoſque domum, jam vertere aratro
Pingue ſolum, jam ſparſa ſolo committere verſo
Semina, jam tectos maturis meſſibus agros
Exonerare, graveſque imponere fruge maniplos
Extenſis Plauſtris, & in horrea ferre ligatos,
Jam Lare ſub proprio Cerealia dona labore
Culta ſuo, frugi & læta conſumere cœnâ
Quæque ſuperfuerint dimenſo alimenta neceſſo Ruricolis

Ruricolis parcis, urbi advectare propinquæ,
Atque ibi permutare suas vel vendere merces;
Denique quod vivant, valeantque, & pace fruantur,
Cuncta ferent accepta tibi, longamque vovebunt,
Quæ Jovis ætati possit certare, juventam.
Tunc ager, & Pratum, nutansque cacumine Silva,
Tardius & solito labentia flumina motu,
Grata Colonorum Domino præconia dicta
Excipient patulo gremio, & referente susurros
Agrestes aurâ repetet resonabilis Eccho,
Ipsaque CHRISTIANI titulos arbusta sonabunt.

---

(5)

Serenissimo Celsissimoque Principi

DN. CAROLO LUDOVICO

Principi Palatino & Bavariæ Utriusque Duci Electori S. R. I. & Archithesaurario &c:

CAROLE Teutonici Septemvir Maxime Regni,
Cui famulas gaudet subdere Rhenus aquas.
Fortunæ Melioris Apex Domitorque Sinistræ
Sortis, & Adversi Bellipotentis Obex.
Cui Mentem Doctrina regit, Prudentia vires
Suggerit, & Virtus pandit Amica vias.
Suscipe, quâ totum præfulgens allicis Orbem,
Fronte Serenata, quod Tibi se dat Epos.

Quod

Quod licet haud tantis dignum se Vultibus offert
Doteque Doctrinæ nobiliore caret,
Sæpe tamen parvo superatis Munere Divis,
Posse Tibi credit Velle placere suum.
Quin igitur tenui deductum suscipe filo
Obsequii fultum sed Pietate Melos.
Sic Tibi quæ Nati thalamis sua Fata Sorores
Deducunt, Vitæ candida Fila trahant!
Sic dent Te, Dio qui Nestora pectore vincis,
Hunc annis ipsum vincere posse Senem!
Mox Titulos implere Novos, Grataque Nepotum
Prole auctum Patrio jungere Nomen Avi!
Et Genus Antiquo dimanans Stemmate Regum,
Unde fluit, Fonti reddere sæpe Suo?
Nec Tua quæ decorent, desistant, Culmina, Myr-
Litore Codano ritè diuque frui! (ti

Felicissimam Imperii vitæque
perennitatem
p.
JOH. HOPNERUS.

---

(6)

Serenissimo Celsissimoque Principi

DN. CAROLO

Principi Electorali Palatino,
Bavariæ utriusque Duci &c:

CAROLE, Magnanimi Soboles Patris Æmula, Celsæ
Progeniem Stirpi mox genitura Novam.
Magne

Magne Palatinæ Decor & Dux Inclyte Terræ,
Electoralis Spes benè fida Domus.
Dum Tibi Subjecto resonant è Monte Camenæ
Et Patriæ referunt vota soluta suæ,
Ipseque Nectareis exsurgens Collibus Evan
Cum sibi Vicino dat bona verba Deo.
Festus & Agnatos ciet ad Solennia Rivos
Undique Gratantis Murmura Rhenus Agri.
Excipe, quo Phœbum gestis æquare, Sereno
Et Vultu Luci conveniente Sacræ
Trans Mare ab Arctois veniunt quæ Carmina Rè-
Adque Tui tendunt Gaudia Sancta Tori. (gnis
Carmina quæ jussit provolvier Amphitrite
Baltica Lætitiæ Fons & Origo Tuæ.
Jamque piè Boreæ, Clemens ignosce, sequenti
Cum plausu sidus per Tua Regna suum.
Et fac Hyperboreum fausto modulamine Vatem
Inter Apollineas concinuisse Lyras.
Sic Tibi perpetuum pergant ridere Benigni
Devincti Thalamis Dîque Deæque Tuis!
Exemplumque aliis præeat, sua Nomina Sponso
Quæ Tibi jactari hic discupit, Alma VENUS!
Sic Tibi inocciduis Radiis dotata Marita
His simili studeat Prole beare Lares!
Primus & expletis nascatur Mensibus Infans
Qui Patris & qui sit Nomine Dignus Avi!
Mille suo Thetidi jam fas dare basia Rheno,
Et, totidem hinc illinc reddere nolle, nefas.

Æquam Celsissimo Conjugio
Venerem

O.

JOH. HOPNERUS.

(7)

VENUS PALATINA

Ob Sereniſſimam Danorum, Norv. Vand. Goth. &c: Principem hæredem

VILHELMINAM ERNESTINAM

Sereniſſimo & Celſiſſimo

PRINCIPI ELECTORALI PALATINO

CAROLO

Duci Bavariæ &c:

Connubiali fœdere conciliatam Literario donata proxenetico

a

J. H.

1671. Diva

Diva ſali terræque potens, dum forte citatis
Huc illuc Paphiis perluſtrat oloribus orbis
Circuitum, quacunque patet, Nataſque Regentum
Percenſet Regina Cypri, formaſque Dearum
Et decora Aularum quæcunque pererrat ocellis,
Viderat Arctoi cœleſtia pignora mundi,
Progeniem, FRIDERICE tuam: Quin ſiſtimus, inquit,
Hic oculos greſſuſque ſimul; quid tendimus ultra
Arctoas ſudare plagas, fruſtraque diuque
Quærere, Codana quæ repperiemus in Aula,
Et decus & numerum, bona queis præſtantior inter
Terrarum Dominos non eſt qui floreat. O Te
Felicem, FREDERICE, nimis, plus terque beatum,
Qui collecta tenes reliquum exſpectanda per ormbém
Munera, pergratis & cœlo debita votis!
,, Quin furias Bellona ſuas, quin ſæva jugales
,, Martis agat quocunque volet, tua prole beata
,, Perſtabit, Rex Magne, Domus, numeroſaque poſtquam
,, Torpentes ſtimulos Dea dira ejecerit iræ,
,, Sibila jactati ridebit vana flagelli.
Hæc, memini, quondam ſummi decreta Tonantis,
Perpetuum manſura ſimul tibi ſtamina nentes
Tunc triplices cecinêre Deæ, cum rite Maritum
Te SOPHIÆ feſtivus Hymen clararet in illo,
Cui valido fortuna dedit ſua nomina, Caſtro;
Jamque dies prædictus adeſt, qui vellere fuſi
Deductus niveo ſolvet promiſſa Sororum.
Jam ſocerum te Saxo cupit; jam natus eadem
Qui tecum de ſtirpe præeſt confinibus Albis,

Ex Genitis, Auguste, tuis optare secundam
Gestit & agnato de sanguine poscere Sponsam.

Hæc Venus, atque utriusque sagax quos Principis æstus
Ante inflammârat, tandem spondente Parentis
Connubia & Genitas Augusti voce, suisque
Facârat thalamis, aliasque relegerat oras;
Cum rursum nova cura subit per nubila vectam:
Sic geminæ nupsêre Deæ; sed nobile restat
Par, ait, & nullâ virtute prioribus impar;
Huc igitur concede Puer, cui pectora Regum
Atque ipsos toties Divos læsisse voluptas
Summa fuit, jam chare, faces accende, tuisque
Regali Sponsa condignum Heroa, sagittis,
Nate, feri, quocunque potes tetigisse morantem,
Aut dabitur reperisse loco. Vix ista loquutam
Aggreditur tali Genitus sermone Dionem:
Non nescis veneranda Parens, quam sponte paratus
Sim monitis parere tuis, nova namque supersunt
Obsequii documenta mei; nec Dresda silebit,
Me reticente, sui quæ vidit Principis ictu
Vulnera facta meo; similes neque dicere flammas
Sclesvicensis ager Gottorpensesque penates
Cessabunt; mihi nec manibus considere mos est
Compressis, mihi nec, binos vicisse, triumphus.
Ergò novos, qui me poterunt ditare trophæis,
Verso dolos; noscisne Ducem quem Rhenus adorat
Atque Palatini venerantur culmine montes?
Sic ait & volucri diverberat aera pennâ,
Electoralis donec fastigia sedis
Occupat & fausto subitum conamine cursum
Heidel-

Heidelbergiaca ſiſtit tener hoſpes in Aula.
Jamque ſuum permenſus iter, loca cuncta per-
errat,
Auguſti penetrans penetralia quæque Palatî,
Externoſque aditus, cuſtoditoſque receſſus.
Jamque ubi ferventi ſeſe exercere Palæſtrâ
Suetus erat forti juvenis certamine Princeps,
Arma ſub attonitis vibrans diverſa Magiſtris;
Jamque ubi ſaltandi, creſcentes corporis artus,
Præſcriptis vegetare modis, & membra ſolebat,
Ad numeros agilis, motu firmare decoro;
Jamque ubi, concomitante manus oculoſque
pedeſque
Mobilitate pari, ſeſe amplexante, volantem
Ludus erat jactare pilam, lapſumque minantem
Tollere humo, rurſumque fugæ committere,
nervo:
Jamque ubi bellatoris equi conſcendere dorſum
Moxque manu, moxque inde genu, nutuque
rotandum
Cornipedem verſare levi, mollique ferocem
Doctus erat tactu, atque umbrâ compeſcere
virgæ; (arces,
Denique per ſaltus, per rura, per æqua, per
Veſtigare Ducem ſtudet, & ſi forte vacantem
Momentum ſineret flammante ferire ſagittâ
Matris ad imperium: verùm ille laboribus ictus
Non ſemel aſſiduis ſubterfugiſſe paratos
Fertur & intentum luſiſſe Cupidinis arcum.
Tunc ſecum Puer Idalius; fruſtrante ſagittas
Apto meas? ſic vibro faces? hocne illud opimum
Quod mihi promiſi ſpolium præpoſterus Augur
Venturique nimis ſecurus præco triumphi?
Sic verò egregios referam Genitricis ad aures

Victoris titulos, me morigerumque probabo,
Postquam me reducem Mater perspexit inanem:
Quin ego: sed præstat, paulum cessisse labori,
Temporaque his nostris mage commoda quærere technis.
Jam me detineas, mox ipse tenebere, Princeps.
Nec mora, sermones varios cum Patre serentem,
Sermones Macetum quales habuisset uterque,
Forte videt, visumque ferit. Subitò ille calorem
Sentit, inexpertasque sibi sub pectore flammas
Miratur. Sed nescit adhuc vel quid sit amare,
Quæve placet; placet illa tamen, nec displicet illud:
Et veluti Conjux, tunc cum turgescere cœpit
Atque uterum fœcunda gerit, res anxia quærit,
Antè ea quas temsit, vel fastidivit, & optat
Ignorata diu tandem sibi nomina tradi:
Et velut ille lapis, per quem miracula mundi
Naturæque occulta patent, licet abdita, & alto
Condita Telluris gremio quæ pondera nunquam
Attigit ad sese, tamen attrahit. atque latebris
Extrahit arcano devinctum fœdere ferrum:
Sic cupit haud visam, sic quam non attigit unquam
Ducitur à Gemma, sic illum deperit ignem,
Cui sua ceu Domino cessit præcordia, Princeps;
Moxque Patrem linquit, repetitque cubicula,
Et dulci promtus se commendare quieti: (lecto
At frustra lecto, frustra mandare quieti
Se tentat, quem versat Amor: nec lumina prosunt
Nunc exstincta iterumque accensa, ut fallere tempus
More queat solito, & Majorum volvere gesta,
Nocturnoque ipsam depellere Apolline noctem.
Denique

Denique in hæc tacito se effundit murmure verba:
Quid sibi vult hæc cura recens, quæ sensa perer-
Et mea non solitâ vexat præcordia flammâ: (rat
Non animum torquet quæ sollicitudo regendi
Dividit in partes hos quêis obtemperat Orbis:
Vivit enim, vivatque precor! Pater optimus, illo
Non mihi jus fasve est tetigisse superstite Regna.
Non superimpendet nostris ceruicibus ensis
Hostilis, non castra rego, non tento coronis
Non urbes circumdo dolis, non agmina duco,
Non aciem pugnamve paro, licet has quoque nunquam
Quantum suspensis licitum decernere signis,
Artes deserui, tamen haud hic pectora nostra
Et tamen urit Amor, qui nescio qualis anhelum
Occupat & totum victore Cupidine ductat.

Dixerat ista; vocatus adest & talibus infit:
Ille ego jam dictus necdum tibi cognitus adsum
Pronus Amor. cui concedes supereminet hostis,
Hostis at incutiens placidos sine cæde furores.
Ne metuas tentesve fugam fuga nulla patebit
Cui fuga non unquam placuit; quem non metus unquam
Commovit, ne turbet Amor. Ne viribus obstes,
Viribus immensus queis dudum subditur orbis;
Huic potius concede libens, cui cedere nunquam
Erubuere Dii, cui Jupiter ipse volenti
Non renuit veteres habitus posuisse, novasque
Morigerus, sed quantus jo! sumsisse figuras;
Cui paret quacunque patet Natura, solumque
Cum pelagi cœlique plagis, & machina mundi
Tota gerit morem, sed non invita, nec alti

Immemor antiquique chaûs, me vindice, pulsi;
Huic quoque ne dubites te dedere, sensaque nostro
Submisisse jugo, sed quod mage libera mollit
Pectora quàm frangit, nisi cum violentius urat,
Si quod habet robur circum præcordia, monstrum.
Rideo, quas dixti, Mavortia ludicra, pugnas,
Hæc decorant, non tutantur, si tela Cupido
Strinxerit, & nunquam frustrantem intenderit arcum:
Et licet interdum, nunc hoc nunc temporis illud
Cedendo spatium, soleo differre paratos,
Non intendo tamen, si contendo, irritus ictus,
Majoresque accendo, fero quos lentior, ignes.
Tu quoque testis eris; tibi nec quòd fortè peper-
Atque tuos sivi præterfluxisse labores, (ci,
Quosque Maritales nondum Majoribus annos,
Cæsare teste, tuis habitos fert alta Vetustas,
Arguit imbellem memet tua serior ætas.
Quin age, qui fulges aliis exemplar, ab annis
Sume tuis, Patriæ quod debes, fœnus, & almæ,
Quàm cupias seram, commonstra pignore Genti.
Quin tua quàm tenui pendet Domus, adspice filo;
Hæc licet immenso per centum brachia nexu (las,
Continet Europam totidemque amplexibus Au-
Ecce tamen, quà recta subit, quàm linea rara est, (nis
In solo te spemque locans, longumque peren-
Stemmatis exspectans a te & durabile syrma,
Ne tibi forte, tuos quæ mansit, gloria desit,
Gloria prognatos quoque permansura Nepotum,
Ni culpâ immatura tuâ sefiniat in te:
Cumque Virûm populus non ultra tendere fines
Unius

Unius ætatis valeat, fuge cœlibis actus,
Naturamque imitare Ducem, Dux ipse futurus
Inde aliis, populisque tuis ostende, juventus
Quam tibi displiceat sterilis, quam deinde seque-
Humano generi nimium damnosa Senectus. (tur
Ergo tuos annis age des venientibus annos,
Et tibi propositum sit & immutabile centrum,
Quam metam posuere Dii mortalibus unam,
Posteritas; hanc, nonne vides, ut propter & undæ
Sulcantur, coliturque solum, nullusque labori
Parcit ut heredi possit prodesse futuro
Quo sine res non salva diu stat publica, & uno,
Non sine naturæ gemitu, se terminat ævo.
Adde quod imperium stabilit transmissa potestas
Ordine in Heredes directo, & prævenit omne
Agnatorum inter Cognatorumque tenaces
Propositi cujusque sui indelebile mentes
Dissidium. Ne te per longa exordia ducam;
Neve externa tibi conquiram exempla, loquantur
Annales Patrii, quantas Patrimonia Ditis
Landshuti quondam Domini procudere lites,
Verbaque post rixasque datas, valuere nefando
Atque intestino Rhenum turbare tumultu,
Inque Palatinas de toto accersere sedes
Circuitu Imperii, metuendas nomine turmas
Cæsareo, excitosque Duces infundere terris
Vicinis, Bavarasque unà discerpere vires.
Bella Perusino quondam celeberrima vati; (lus
At quorum memor & nimis heu! stat conscia tel-
Patria, nec persensit adhuc oblivia cladis,
Usque adeo sese veteris vestigia flammæ
Rhenano impressere solo: nec deinde sequuta,
Per sex lustra, vagi cinis hic incendia belli
Neglexit prisco redeunte fovere calore,

Scintillisque novis, superingestaque recenti
Materie reparare faces, & sæpe renatum
Lernæâ objectare caput pollentius hydra,
Et sata Cadmea fatalia semina dextra
Armato simulare sinu. Te, Maxime Princeps,
Ergo Palatinus Populus sine vulnere vulnus
Obducat, præeunte, altum. tu pande salubrem
Et cupidis ostende viam, qua crescere possit
Cultor agro, Pastorque gregi, rurique Colonus
Plebsque urbi, Patriæ populus, populoque Regentum
Stirps & non mortale genus. Non cæde paranda
Prisca salus, non ense iterum resecanda cicatrix
Ut cöeat; sed basiolis &, basiolis qui
Esse solent comites, amplexibus: illa medendi
Si cupias præscripta sequi, quam protinus ipse
Ostendi faciam, ostensam stet ducere Nympham,
Illa VILHELMINÆ, mea nec præsagia fallent,
Nomen & omen habet: Genitos dabit illa Nepotesque,
Hactenus & rami foliis cognominis arva
Tecta, suis referet Dominis, & prole superstes
Fœderibus titulos vacuis extrudet inanes.

Vix ea fatus Amor; cum se suavissimus infert
Somnus, at insomni similis, nec amara sopori
Altiùs imbuto langvore papavera spargit,
Sed nimis obscuro paulum nudatus amictu
Effingit simulacra suas imitantia formas,
Ostentatque simul mores, sensusque jacentis
Ante Ducis sistit gratissima Virginis ora,
Virginis at, qualis coeuntibus aurea Phœbe
Cornibus effulgere solet, cum littora Ponti
Linquit, & astriferos supereminet ætheris orbes;
Huic similem Oceani vix surgere CAROLUS undis

Vide-

Viderat, insigni radiantem lumine Nympham,
Cum simul amplecti cupit, amplexaque potiri;
Jamque ter extendit, sed ter quoque decipit ul-
Se tamen oblatâ vix sentit imagine lusum: (nas
Mox quoque, somniferis ubi se subtraxerat undis,
Prosilit è stratis, necdum se credit inani
Deceptum nebulâ, nec spem desistit hiantem
Conspectâ lactare umbrâ. Jamque inde salutat,
Mane Patrem, narratque ipsi toto ordine totam,
Quæ vigilata sibi rapuere, insomnia, noctem.
Ille Deûm suetus monitis. gnarusque futuri,
Quin, ait, ô dilecte Diis, quin fata sequamur
Quo nos cunque trahant; nec enim dubitanda be-
Signa olim fulsêre poli. documenta favoris (nigni
Ætherii, ne quis dubitet, majora supersunt
Fortunæ incrementa tuæ. Sat grandinis arces
In nostras misêre Dii; pacata rogantem
Numina respexêre Domum: meliora Sororum
Promittunt jam fila coli; nec vana per umbram
Luminibus monstrata tuis effulsit imago,
Nec nihili quæ dixit Amor præsagia. nosco,
Nosco Deam, quæ fluctivago dum surgit ab alto,
Exsuperat formâ Phœben, cunisque Dionen.
Est hæc Arctoi Proles veneranda Monarchæ,
Cujus ad imperium moderatur Nereus undas:
Hinc visa est prodire Salo. Sic denique fiant,
Quæ fieri placuêre Diis! sic denique nostram
Cimbrica Progeniem rursum amplectatur origo,
Unde suum Proavi duxerunt stemma genusque
Cimberni Comites, ipso quoque nomine fassi
Antiquum remanente decus! quin ergo decenter
Mittimus à Magno Natam Genitore petitum
Legatos, qui connubii tibi vincula nectant,
Æternoque ligent affines fœdere Gentes.

Talia dum se inter Princeps commiscet uterque
Et magis atque magis rata vult consulta, probat-que
Quæ superi decreta velint; Cytherea peractæ
A Genito jam gnara rei, jam certa futuri
Fœderis, atque spei conceptæ plena, Penates
Codanæ repetit rursum venerabilis Aulæ:
Dumque VILHELMINAM cernit Dea blanda sedentem
Implentemque suæ vario subtemine telæ
Stamina, diversis nitidè sociata figuris
Insertoque auro, condensantemque parato
Pectine, ne pateant post fila obducta, meatus;
Inde adstans propiùs fœcundæ jugera Terræ
Texta videt, Cererisque vagis undantia donis,
Ast illinc silvas velatâ fronde virenti
Castaneâ aut juglande graves; hinc vitibus altos
Vestitos montes, vites turgentibus uvis;
Et, superimpositas, fulgentia culmina, moles
Regali structuræ, infra spectantia Fluctus
Lene susurrantes, tumidas aut Civibus Ædes.
Illa stupet, licet haud, stupeat quas æmula primas
Corporis ingeniine, valet discernere, dotes.
Inde micat roseo faciei mista rubore
Virgineæ nix. inde patent gestusque, laborque,
Et picturatâ viventes arte colores.
Nec jam vel se ipsam, vel cui contendit Arachne
Pallada miratur, postquam præsentit utramque,
Seque simul, meliore manu & conamine vinci;
Et licet, assiduo cingi quæ suevit amore,
Immodicâ nec bile tumet, nec pectoris æstu,
Haud tamen invidiæ stimulos ignorat, at inter
Attonita hæc volvit tacite præcordia: quid jam
Quid superest Cytherea tibi? jam desine formæ
Osten-

Oſtentare decus, jam deſine colla manuſque
Et digitos monſtrare leves, manuumque labores.
Hic ſuperata tace. nec te Natalis origo
Tota manet Ponti, bona ſunt communia, ſoli
Non poſthac tribuenda Tibi. Cum talia quondam
Conſpiceret Pallas, Pallas mutabat Arachnen;
Talia cum quondam Phrygio ſub judice victa
Spectaret Juno, jam tunc fera bella minaſque
Verſabat pelagi, tempeſtatumque furores: (ſtas
At Venerem, in Superos ipſos cui Summa Pote-
Nedum homines, ſupereſt, ſuperari impune licebit?
Sunt Veneri ſua tela, ſagittiferæque cohortes
Ad nutum parere pares; quin proferat arma
Arma Cupidinibus geſtari ſueta; nec illis
Difficile eſt alias aliis mutare figuras, (res.
Inque novas formas hominum convertere mo-
Illa VILHELMINÆ transforment pectora, & ipſos
Virgineos mutent habitus roſeumque ruborem
Pallidiore genâ, ſectoque ligamine zonæ,
Artibus occultis, reddant de Virgine Matrem.
Sic quanto Veneris præit æmula ſanguine Ara-
Tantò nobilior fiat mutatio Nymphæ (chnen,
Haud media de plebe ſatæ. nec plura ſilenti
Ore premens, labiis reſeratis cætera profert:
Quid juvat, ô Soboles Regum, æmula Virgo Dearum, (bem
Quid juvat his tempus ſtudiis conſumere, & or-
Optatis privare bonis? veſtigia quæ jam
Rite premas, majora vacant; exempla Sororum
Prælucent imitanda tibi. Quin pectinis artes
Cerne tui, textuſque manus quos inſcia fecit.

Hæc fati ſimulacra tui. Spectaſne paratos
Hinc Cererem Bacchumque tibi, hinc Fluvioſque Deoſque (meatus
Montanos, quoſque inde Nicer, quoſque inde
Rhenus amant? Tibi cuncta patent, tibi cuncta, Serenam
Ut Dominam venerentur, amant ridere ſerenâ
Et qualem exſpectant, facie. Quin talia dudum
Fata tibi duxere Deæ, poterisque videri
In telam induxiſſe tuam data fila Sororum.
Namque, ut aperta loquar, rerum iſtarum unicus Heres
Amplexus cupit ipſe tuos, & ſanguine Princeps
Cæſareo prognatus, & Heros inclytus altis
Corporis ingeniique bonis, utque omnia paucis
Complectar, te dignus. eum dignare merentem
Adfectu propiore tuo, qui quærit id unum,
Ut ſponſus dicique tuus fierique Maritus,
Atque tua poſſit Genitor de prole vocari.
Quin cupidum amplexare Ducem, Heredemque ſequentes
Sponſa Palatinas Dominæ ſub nomine terras
Ingredere, & præſens oculis metire receſſus,
Quos manibus ſimulaſſe juvat, contentaque (tela
Et ſpatia & tot rura tuâ, propiore beata
Numine redde tuo, Genioque tuere benigno.

Dixerat iſta Venus; vix hæc repreſſa pudore
Verba VILHELMINA, & ſaltem, exquirenda voluntas
Eſt Genitoris, ait, cujus ſententia nunquam
Non ſanctè obſervata mihi, ſemperque probanda eſt.
Tunc iterum Cytherea: Patris tibi jure voluntas Sancta

Sancta venit ſervanda, ſed hæc jam flexa decenti
Interceſſorum Legatorumque rogatu,
Et votis ſuperata proci; tua vota requirit
Conſenſumque. at plura Venus cum vellet, en ipſe (nit utramque:
Magnus adeſt FRIDERICUS & his compo-
En ſuperum tibi, Nata, fero decreta, Ducíſque
Vota Palatini, noſtros poſcentia nutus
Amplexuſque tuos, & connubialia vincla
Fœdere connectenda novo. ſed talia poſtquam
Numinibus placuere, tibi parere relictum eſt.
Me cœli cum poſcit amor, nunc accipe voti
Summa mei: Sint fauſta tibi, ſemperque perennent
Candida, Fatales implent quæ ſtamina Divæ:
I felix quò fata trahunt, Rhenique peragra
Fœcundum fœcunda ſolum, populiſque regendis
Suffice Rectores, totidemque accreſcere ſeclis
Stemma Palatinum fac, quot deſcendit ab annis.
Sic mihi jam, ſponſo te deſpondiſſe petenti,
Sit colophon operum, ſupremaque meta labo-
Hæc ubi divino dederat præſagia Magnus (rum:
Ore ſenex, tandem cumulis auguſtus honorum,
Regnandi vitæque ſatur, conſcendit Olympum;
Inde ſequuturos, luctu cedente, ſuorum
Viſurus plauſus feſtivaque ſacra Nepotum,
Morigerumque ſua de ſtirpe Regentibus orbem.

Sponſus at interea gemino jam ſaucius ictu
Hinc obitu Magni Regis, rituque Parentis
Lugendi exequiis, hinc ſponſæ captus amore,
Ut ſaltem minuiſſe velit ſibi mentis edaces,
Tollere cum nequeat, fluctus, & pectoris æſtus
Diverſos animi placido componere freno,

Externam ſibi quærit opem, terraſque calentes
Sole peregrino peragrat, ſimul inde Penates
In Patrios iterum, varias collecta per Aulas,
Summa relaturus pretioſaque pondera rerum,
Queis Martis, quêis Pacis honos accreſcat, & olim
Et tumidæ lauri, & gravidæ reddantur olivæ.
His animum recreare ſtudet dum nobilis Exſul,
Exſilium non novit Amor, non unda, nec Aer,
Nec regio mutata valet Sociumque fidelem
Aſſiduumque viæ comitem mutare calorem;
Quin quoties magnis ſtupeat ſpectator in Aulis
Virgineos vultus, ſcintillanteſque Dearum
Miretur formas, mox amplectatur ocellis
Dulce VILHELMINÆ decus, abſentiſque nitorem
Conferat anteferatque ſimul præſentibus aſtris.
Hinc quoties videt amplexus amplexibus addi,
Baſia baſiolis, & connubialia geſtu
Gaudia miſceri licito; perrumpit in illos
Sæpe ſonos: O quando dies erit illa, beatos
Lætitia ſimili quæ nos quoque reddet, & altis
Delitiis tandem cupidos ſaturabit Amantes!
At veluti cuſpis, navem quæ dirigit alto,
Huc illuc agitata licet moveatur ab undis
Inſidiiſque ſali, nunquam non reſpicit Arcton,
Si ſemel altricis libaverit oſcula Gemmæ;
CAROLUS haud aliter, quaſcunque objecerit artes,
Quaſcunque induerit circum dederitque figuras,
Et gnaros tardare modos, peregrina Voluptas,
Ille VILHELMINÆ ſolius reſpicit ora.
Hæc videt in ſomnis, vigil hæc noctuque diuque
Circumdat geſtatque ſinu, nec preſſius hæret
Ulla maritato vitis conjuncta corymbo

Quàm

Quàm Sponso sua Sponsa. Sed intervalla locorum
Quò distensa magis, magis invidiosa crepantur.
Hæc igitur removenda mora est. Jamque extera linquens
Exteriora petit, semper proclivis in Arcton,
Dux, ut ibi propior præsensque fruatur amatæ
Alloquio adspectuque Deæ. Jamque orbe peracto
Temporis atrati, Domini redeunte Sacrati
Auspiciis Boreæ facie meliore, nitorem
Exacturus adest noti jam nominis Hospes.

Dic, mea si Patria es, dic Hafnia conscia rerum
Istarum, dic summa Ducis, dic maxima Sponsæ
Gaudia, Regali convivia festa paratu,
Mutatosque Deûm commutatosque Dearum
Dic habitus. Seu Reginæ Genitricis in Aula
Sponsus adest gremioque cupit deducere Matris
Desponsam, jam jamque suam; dic ora petentis.
Sive iterum reperit Regales inde penates
Hospitiique lares, Sponsamque a Matre petitam
Ad Regem Fratremque vehit, dic Hafnia ludos
Nomine ab Hospitii notos, jamque Hospitis ergò
Instructos, dic &, Princeps ut, more sueto
Principibus solitoque joco, dum mutat amictus
Personamque, Ducem novit, non novit Amantem
Dissimulare, suo subito quin proditur igne.
Ne memores alios, quorum stas testis, aperti
Principis, Heroi sed qui sunt roboris, actus.
Sive tui perlustrat Eques munimina valli,
Et tantum miratur opus tam temporis arcto
Productum spatio, tituloque explorat amussim
Portarum fossæque sinus, tectosque meatus

Lene

Lene fluentis aquæ, & ſurgentia collibus altis
Et diſtincta legit pede propugnacula certo.
Sivè tuas claſſes videt æquoreoſque paratus;
Principis adventum longè reſonante tonitru,
Qua globus excuſſus creber cum murmure pon-
Tranſilit altiſono, tormentorumque boatu. (tum
Sive Eques haſtatus fervente in pulvere Circi
Verſat equum, curſumque citat, volitatque citato
Ad medium, quem mox, ſonitu clangente tubarum
Et populi plauſum referente, intercipit orbem.
Sive Suburbanos geſtit luſtrare receſſus,
Dum rapido Regis ſatagit veſtigia curſu
Pone ſequi, longe ventoſque feraſque volatu
Præcelerans, Regique uni ceſſiſſe paratus.
Sive alias pandit mentiſque & corporis artes,
Unde ſui pateat Generis decus, altaque retro
Nobilitas, priſco merito & virtute recenti,
Et geminâ ſic laude virens & ubique decora.
Illa tace quæcunque tubas Mavortia poſcunt
Ludicra majoreſque ſonos. Tu principe miſſo,
Hic Sponſo Sponſæque vaca. placet iſte Dione
Qui Venerem levitate refert, riſumque jocumque
Aſſimulat numerus, neſcitque aptare cothurnos.
Præcipue amplexus memora, & refer oſcula mille
Supremo finita vale, nondumque ſupremo
Quæ finita vale; ſed dein mandata ſigillis
Literuliſque & muneribus comitata decoris,
Tanta brevi ſpatio ſpatia evicêre, ſuæque,
A Domini abſentis ſuaviſſima nuntia labris,
In Dominæ crebro rediere manuſque ſinuſque.
Dic & cum Galeata diem, quo Regis in aula,
Hinc

Hinc fratrum illuſtri, Reginarumque Sororisque,
Unà accumbentum circùm ſtellante nitore,
Hinc Procerum & Comitum circumſtipante coronâ
Atque omni famulante Aulâ, prandebat, & inde
Vota ſalutantum ſponſa excipiebat, & Arcis
Totius lacrymas, ſuſpiranteſque voventum
Linquebat gemitus: cum Civibus ordine longo
Diſpoſitis per utrumque latus, quacunque plateas
Tranſiret Regale Genus, tot pone ſequentum
Tot præcedentum Procerum multo agmine ductis
Curribus, & turbis famulis comitata, per urbem
Regali mediam pilento invecta, videret
Undique Matronis Matronarumque refertas
Prole domus, domuumque imas parteſque ſupremas
Cerneret innumeris ſpectantum undare catervis;
Ante oculos ipſum Regem Fratremque Miniſtrosque
Et Fratrum Comites alacreſque, ad tympana pulſa
Clangenteſque tubas, capita inceſſumq; moventes
Alipedes, & quemque ſuo Seſſore ſuperbum.

Hic fuit ille dies, pluvio quo plurimus ore
Jupiter ætheriis iterum deſcendit ab aſtris,
Dia VILHELMINÆ, Danäes oblitus, ut ora
Omine fœcundo luſtraret, cætera Magno
Intemerata Duci linquens, atque omnia Sponſo
Commendans. Iter at reliquum thalamoſque jugales
Conſperſaſque nuces, & tædiferos Hymenæos,
Et vacua epoto cava dolia nectare Nicri,
Heldelbergiacis fas ſit celebrare Camenis.

(8)

Magnificum Patriæ Academiæ Rectorem Illustre Totius Literarii Orbis Decus

D. THOMAM BARTHOLINUM

I dextro, me a Musa, gradu, pete prona Lycei
Rectorem Patrii Præsidiumque sui. (cingit
Hoc satis est, nam noscis Eum, quem Purpura
Et quem, non primum nunc data, sceptra manent.
Tempus erit, cum Scripta viri memorabis & Acta
Et quantum meritis Patria debet iis.
Et, sua si novit bona Patria, Patria tecum
Tota dabit mentis debita signa piæ.
Nunc, quantum valeas, orna tua munera verbis,
Res tibi cum magno sed facilique Viro est.
Hoc & age, ut, postquam te non nihil esse putavit,
Deceptus nimio ne sit Amore tui.
Inde tibi gratare, nec unquam postea nesci,
Quid sit, non tanto displicuisse Viro.

adituro Atlantiadi suo
JOH. HOPNERUS.

(9)

ATLANTIADES

Sereniſſimi Danorum Norvegorum Vandalorum Gothorumque Principis Hæredis

FREDERICI NATALIS

Primus in Octobri poſt decimum orbe dies
Feſtivos inter quosvis
Hominum Rerumque
Applauſus & Strepitus
Celebratus

à

JOH: HOPNERO

Anno M. DC. LXXI.

Quo

Chriſtiano Quinto Quinquennia Quinque peracta
Magna celebrari ſibi Quinquennalia poſcunt.

Quisqvis adHafniacum, (namque hæc commercia poscit
Dis sacranda dies) lassatis pondere bigis
Ruris opes fœtusque Forum, vel merce vel ære
Inde domum rursus rediturus ditior, adfers;
Ut primum ad clausam, (nec enim munimina portæ
Miles adhuc pandit) propius perveneris Urbem,
Siste tuos gressus, & contrahe cautus habenas;
Ne, dum non, solitum micat undique & undique fulgur,
Et resonant Urbana alterno Valla tonitru
Regiaque altisono respondet murmure classis,
Fortè tui bijugi perculsi aut lumine capti
Mox juga discutiant, laceratique impete facto,
Tale nihil, linquant, speranti, fragmina currus
Et maculent privo data publica gaudia damno.
Cætera securus, tua libera ad Æthera tolle
Lumina, & Arctoæ Statorem supplice Gentis
Corde cole, ex toto diffundens pectore grates.
Audiit omnipotens cœtu quæ verba frequenti
Et prece solenni Septem trans astra Trionum
Missa, recluserunt summi penetralia Cœli.
Illa dies nam Fausta venit, quam Dania votis
Optavit toties, toties quoque Nerigon astris
Proxima Sidereo precibus deduxit olympo.
Illa dies, cujus similis Majoribus ulla
Non visa ex illo quo primum tempore Dani
Conditor Imperii regnandi sumsit habenas.
Illa dies nunc instat, & illud nobile nomen
Quod patrios olim signabit murice Fastos,
Immistosque sui, Festis, Natalis, Avitis
Regali roseaque nota decorabit honores.

Ne

Ne mirêre ſuis ſubductis ipſa quod aſtris
Æthra laboranti ſimilis modò cernitur, hæc eſt
Cauſa rei; quod Hyperborei dum parturit Orbis
Regina, ingenti ſimul effingatur Alumno
Cœleſti niſu Secli melioris Origo, (bis,
Quæ, ſplendens melioris amor dum gignitur Or-
Quicquid adhuc ſupereſſe Chaus queat, omne
Ergò, ubi vitali donandas ocius aurâ (repellat.
Enixa eſt famulas Natura puerpera vires,
Mox nitidum adſpicies patefacto limine cœlum,
Et ſimul urbani reſerato omni objice clauſtri,
Ipſum ſpectabis roſeæ majore decorum
Luce ſalutiferum pompæ procedere Phœbum.
Interea exſultans bona mecum verba profare,
Menſibus exactis Princeps dum naſcitur infans,
Spes ingens Patriæ, Magnum Patris Incremen-
(tum.
Naſcere parve puex: Suboles optata Parentum
Naſcere parve puer: Gemini lux altera Regni
Naſcere Dux Patriæ, Patriæ dum naſceris Hæres,
Et Princeps audi quam primum audiris, & illum
Ore refer, quocum profers gratiſſimus ortus!
Ipſe olim qui Phœbus eris, dextraque jugales
Felici Moderator ages, nunc alter ab ipſo
Diſce poteſtatis merita & Majoris honores.
Naſcere parve puer, quo cum Genitricis in alvo
Creſcente, Arctoæ creverunt munera terræ,
Et fœta innumeras produxit Copia dotes
Quas ſecum in ſua tecta Ceres cellaſque recepit.
Naſcere & ut quondam Genitor tuus auxit amo-
rem
Veris, ut ad votum Patriæ contingeret Æſtas,
Sic ortus comitanſque tuos Autumnus, & anni
Dimidium reliqui certet duxiſſe ſecundum,
Et

Et placidas hiemes, & tempeſtate carentes;
Totus ut Annus eat nullâ non parte beatus!
Naſcere parve puer, qui ſi quis computet illos
Qui te certarunt perfectum reddere menſes,
Ipſe novi Secli & Donum memoraberis Anni.
Naſcere parve puer. Quis eò proceſſerit audax,
Ut neget in Magni Divino Nomine Patris
Numen ineſſe tui? Num quis felicius unquam
Auſpiciove pari Patribus Populoque Quirini
Pacificus ſua templa Deus reſeravit? Honores
Anne tuæ merito poterit ſuperaſſe videri,
Jane, poteſtatis, ſua dum ſacraria pandit,
CHRISTIANUS, reddatque ſuos ut Pace beatos,
Te Pacis, FREDERICE, creat memorabile No-
Et pignus cœleſte parat, quo tuta procellas (men,
Patria ſurgentes primo proſternat in ortu?
Quid priſci jactant adeò cunabula Divum
Atque fidem referunt vix invenientia Vates (ſtas
Quin volvant huc, quicquid avet finxiſſe Vetu-
Cum Jove naſcentes Fluvios, cum lumine Phœbi
Exorto auratam Delum, Bacchoque Paternum
Cum rumpente femur rutilantem protinus Her-
mum,
Et quicquid Superum mirandos efficit ortus,
Heroum aut geneſin ſecernit origine plebis: (tæ
Cuncta tamen, FREDERICE, tuæ concedere vi-
Principio, debentque uni tibi linquere palmam.
Ecquis enim dubitet, Naſcentem ut prona beni-
gno
Te excepit Natura ſinu, modò noverit, ut te
Inſolitis fœcunda bonis adfecerit alvo (tem?
Matris adhuc clauſum, nec dum orbis luce fruen-

Vix cutis induerat perlucida tegmina corpus
Molle

Molle tuum, teneroque ſuas velamine partes
Cinxerat, inque utero ſeſe Genitricis adeſſe
Signa levi motu dederat; jamque ipſe Tonanti
Sic reſupinârat dilectus *Aqvarius* urnam,
Nectareoſque manu nitidâ diffuderat imbres;
Sic ſua, conjunctâ fulgentes luce, Gemelli
Pergrata fuerant moderati frigora *Piſces* (mam;
Temperie, pluviaſque hiemis glaciemque ſupre-
Ut ſimul Herculeo firmatas robore venas
Lene tuas currens aleret non noxius Humor:
Ecce novos *Aries* Phœbo Phrixeus honores
Pandit, & indulget ſplendentia vellera Veri;
Quem nitidâ inſequitur *Major* dum *Victimæ* fronte,
Omniparens adſurgit Humus, ſimilemq; ſerenæ
Conjugis ætherii gaudet ſumſiſſe figuram.
Mox *Geminifratres*, nimbos pellentia cœlo
Sidera; præmonſtrant communia gaudia Fratrum (terna
Hinc Patris, hinc Patrui, ſubolem exceptura, Pa-
Ora relaturam pacataque Nomina Avorum.
Et jam quinque tui Menſes feliciter Orbis
Implêras, Auguſte puer, ſubitò ecce Mariti
Omnipotens Germana ſui, dum tenſa rubeſcunt
Igne ſed innocuo Lernæi brachia *Cancri*
Immemor Alcidæ, melioris præſcia dextræ,
Cumque ſuo nunc orbe videns augeſcere tanta
Quæ totum implerent Borealem protinus orbem
Lumina, Purpurei ſic pandit limina Menſis,
Ut niſi quod Regale foret, nîl cerneret Arctos;
Et ſecum tacitè: Quin Dani hæc tempora Faſti
Semideo Clauſo non jure minore dicabunt (runt
Quam quondam hæc eadem *Fidio* ſacrata dede-
Romulei. Iamque illa inſtat, ſex Solibus actis
Septeno

Septeno insignis numero, Lux alma, *Reversæ*
Quæ *menti* delubra refert. hæc prospera Genti
Reddet Hyperboreæ, finito in tempore luctu
Funere ab Augusto, sensusq; animosq; Viriles,
Quicquid & atra dies, & inexorabile Divæ
Impediit Fatalis opus; *Fortunaque* Mensis
Quæ partem haud minimam Melior sibi vendicat hujus
Accedet votis Populi cœptisque secundas
Adferet immutata auras. rata Lucifer ortu
Dicta Deæ roseo reddebat, & inde secutus
Ore nitens omni Titan sine Nube sereno.
Tunc verò ingenti perfusa est summa Dearum
Lætitiâ, cum rore tuus cœleste madescens
Et modò Regali, Genitor vestitus amictu,
Reginæ Matrique tuæ, FREDERICE, coronam
Obvius imposuit, diadematusque beatam
Esse una jussit. Cui, quod tibi, contigit ante
Infanti, Puer alme, decus, Genitricis in alvo
Tectus ut exciperet Patre imponente tiaram?
Talis odoriferum, quacunque incedit, Apollo
Purpureus cupidæ Telluri instillat olivum
Atque, ubi procedens vires indulsit opimas,
Mox Sacer attactus cuncta immortalia reddit
Attactus Phrygii superans miracula Regis.
Talis & excelsi Conjux pulcherrima Cœli,
Divino æterni succo donata Mariti
Et latè fulgente comas redimita Coronâ
Vesta domos refovet, Servatrix Maxima, Divûm.
Sic Genitor, FRIDERICE, tuus, sic Optima Mater,
Sic utriusque una studium solenne parabat,
Et Domus & Tellus, quâ Patria posset & Arctos
Cimbrica perpetuo viridi florere, juventam.
Vide-

Viderat hoc Juno,&,fauſtũ,quod contigit,Omen
Cedat, ait, dignoſque rei creſcentia fructus
Ipſius excipiant Gemini faſtigia Regni (rem!
Continuum à propriis Dominis ſumtura vigo-
Iſta quidem Regina Deûm. mox omne, To-
nantis,
Concilium, ad nutum, firmaverat omnia plauſu.

Eſtis Jo Superi! nec enim præſagia fallunt
Veſtra, nec à veſtro diſcedunt Fila Sororum
Decreto, æterno quodcunq; adamante notatum
Vidimus, ô Divi, certiſſima tempore ab illo (eſt.
Signa poteſtatis veſtræ; patefactaque cœlo
Aſſiduè precibus ſonuerunt templa profuſis:
Nec noſtra in ventos abierunt vota, ſed aſtra
Aſtra ſuper Superum tetigere altiſſima ſenſus.
Interea reliquos duxerunt proſpera curſu
Signa pari Menſes: Juba nec criſpata *Leonis*
Flammiferi radiis ſurgentes læſit ariſtas:
Nec gravidæ telluris opes & culmina frugum
Igne *Deæ incertæ* facies torrente peruſſit:
Cuncta ſed ad votum fulſerunt fauſta Coloni,
Donec & in cellas & in horrea Ruris amator
Iret agens, Autumne, tuam, ditiſſime, meſſem.
Tu mihi nunc, Auguſte, refer gratiſſime Menſum
Cunctorum, tu namque *Spei*, tu namque *ſalutis*
Sacra ſoles aperire, refer gratiſſime ſolem,
Celſa triumphali quo ſedit AMALIA, curru,
Utq; duplex præfert nomen celebranda Virago,
Pallada veſtitu, Jovis at fœcunda Maritam
Cætera præſentans Populo, talemque tuentum
Vultibus exhibuit ſe unam Regina videndam,
Qualis de cunctis formari poſſet imago,
Si Junonis apex, Veneris decor, arma Minervæ,

Donaque quæ reliquis cessit Natura Deabus,
Antè quidem sejuncta, uni collecta darentur:
Talis in aurato cum spectatissima curru
Propositum CHARLOTTA sedens certamen ini-
Quod viridis Rex ipse sui pro laude coloris (ret,
Jusserat institui; qua dexteritate gerebat
Ipsa manus, oculosq; & quam vibraverat hastam,
Impete cum bijugum volucri raperetur ad illum
Quem subito in summa referebat cuspide Victrix
Orbiculum, & quamvis superaret Amazona ge-
stu? (Matris
At quis erat, FREDERICE, tibi, tunc Sarcina
Haud onerosa tuæ, quis erat tibi, Parvule, sensus,
Tympana te quoties inter sonitusque tubarum
Inter & assiduo spectacla frementia plausu,
Pulvereâ fervente viâ, cursuque citato
Et nunquam titubante, sinu Genitricis in ipso
Gaudentem ad crebram veheret Victoria pal-
mam?
Tunc aliquis, vulgo sed plus catus: adspice, dixit,
Quam benè præludunt venturis cuncta trium-
phis, (tum,
Quos Patris auspicio, veneranda sub ora Paren-
In viridi quondam Patriæ Dux ille Juventæ
Flore aget ætatis, cujus nunc fingitur ætas,
Prima sed incipiet Fastis signanda, prius quam
Orbe bis exacto repararit cornua Phœbe.
Dixit; &, elapsis aliquot post solibus, illa
Augurium asseruit majus præsagia Vatis, (pôsta
Commeruitque fidem. quis enim non mente re-
Illa tenet memori, medio quæ plurima turba
Intuita est ostenta die: cum murmure multo
Hafniacæ circum strepitans exercitus arcis,
Fortunatum examen Apum, fastigia, dotes
Prin-

Principis Arctoi præsignificaret, ovansque
Mella, salutiferum teneris Heroibus omen,
Mella Jovi quondàm data nutrimenta sub Ida
Monte, brevi orturo posset jam velle videri
Apportasse Jovis celsa de stirpe Puello?

Jamque tibi faustis avibus cursuque secundò
Absque mora tempus reliquum, FREDERICE, fluebat
Quod tibi degendum Matris restabat in alvo;
Jamque Jovis jussu Fatalia vellera *Lance*
Phœbus inaurata libraverat, unde Sorores
Fila tuæ jamjam traherent prosperrima lucis:
En procedit jo! dextram impositurus opellæ
Cœlesti extremam, summumque *October* hono-
Cæsaris October nomen qui triste recusat, (rem:
(: Nomen & Heroo quod non fas tangere metro,
Et vix illustris recipit gens Flavia gestis:) (ultrò:
Hic nomen, FREDERICE, tuum complectitur
Primaque ab undecimâ stat nocte Aurora parata
Ut Matrem, Puer alme, tuam queat alma levatam
Regali Partu, madido ipsa levata cubili
More prius solito, totum cantare per orbem.
Prodi parve Puer. Prodi puer optime, prodi.

Favit jo! Lucina: & prodit Regius infans.
Salve parve Puer. Salve Puer Optime. Salve.
Salve Auguste Puer. Pueris cynosura coævis.
Arctoæ Exemplarq; aulæ Princepsq; Juventæ.
Salve utriusque tui verissima imago Parentis,
En tibi sunt præsto, quæ cunque objecta beare
Grata tuos poterunt vario certamine sensus,
Et partes mulcere omnes. Tu namque rubenti
Quam primum ex utero dimitteris, ecce Dearum

Exciperis gremio, roseisque illaberis ulnis,
Et, nisi purpureo, non ullo tangeris artu.
Mox Pater accepto, meritas præfatus Olympo
Pro dono Ætherio grates, dat Nomen Avitum,
Quaque licet, speciem sibi reddit & ora Parentis.
Quocunque adspicias, oculos Cœleste moratur
Atque tuum, FREDERICE, Genus. Stat utrinque parata (men.
Quam noscas aviam. SOPHIÆ gerit utraq; no-
Scilicet, ut, Diæ quæ sunt tibi semina vitæ
Sint quoq; virtutis; dumq, altera porrigit haustus
Nectaris Ætherii, tibi porrigat altera Morum
Ambrosiam, nullaque sua SAPIENTIA spectet
In primo introitu lucis te parte carentem.
Naribus at sua tura tuis dat Prima Dearum
Regalis Pietas. hæc dum quo jure Deorum
Sacra colas, vitæque tuæ venerêre Satores,
Ritè aperit; non grata minus volat altera nubes
Urbis ab Hafniacæ rutilo progressa fragore
Civilique accensa manu, clangore tubarum,
Templorum & sonitu alterno comitante volantem. (res,
Iste fragor, Puer alme, tuas dum personat au-
Et studium Patriæ & Patris testatur amorem,
Illa quidem, veterum nisi sint mera somnia Va-
Illa Jovi quondam fuerant exordia vitæ: (tum,
Haud tamen omnimodis. Nullâ tu namq; Dea-
Nasceris invitâ, nullo ringente Deorum, (rum,
Ast ope communi cunctorum, & utrinq; parata.

Salve Auguste puer. Salve puer Optime Salve.
Hinc Patruus salvere jubet. Stat Avunculus illinc
Hæc eadem ingeminans. Amitæ nec omittitur in-
Adstantes optans omnem vox fausta salutem. (ter

Illa

Illa quidem referens unâ plus dote Minervam
Virgo, laboratos Divino pectine cinctus,
Atque illo netos auro, quo splendida promto
Lance Jovis Lachesis ducit tibi Tempora vitæ,
Porrigit. hos habitant Veneri quæ cingula quondam
Finxerunt Charites, partesque amicire tenellas,
Accelerant FREDERICE, tuas, & corporis artus.
Mox aderunt Proceres, Equitumque novissimus Ordo,
Ordo tua sumens radios ab origine primos,
Palladii Antiqui, *Crucis*, hic sanctissima signa
Palladio ostentare novo, tibi gestiet, inde ut
Prima tuæ ducas tibi fundamenta salutis,
Unde salus olim Patrii certissima Regni
Contigit, hostili latè occumbente paratu.

Jamq; Deum interpres, sumtis Cyllenius alis,
Huic sacer est hic ipse dies nec charior alter,
Spargit Atlantiades totum festiva per orbem
Gaudia Regalisque domus disseminat Auctus;
Utque magis possit celeri properare volatu,
Ipse citis Boreas agiles accommodat alis
Submittitque leves pennis stridentibus aures.
Et merito. quis enim Boreâ felicior omni
Ventorum ex numero? Boreas fumantis amomi
Et super impositi Divum Aris turis acervi
Participes gestit bene olenti flamine Fratres
Reddere, & occursu grato inspirare remotis
Ignibus è festis surgentia munera Ventis:
Excipiunt illata, & qui hinc adsurgit Eous
Eurus, & opposita Zephyrus qui regnat in ora,
Et medius quicunque capit bona sibila mitis
Germani, placidisque una gratantur eunti

Auſpiciis. Jamque omnis jo! ſonat Angulus Orbis,
Omnis IO FREDERICE! ſonat, tantiq; Parenti
Infantis, CHRISTIANE, tibi ſua vota remittit.
Cœlicolæ aſt ipſi, queis illa patentq; placentque,
Natalem, Puer alme, tuum quibus ilicet ornent,
Unanimes ſua dona parant. Te bellica virtus
Gradivo donante teget; tibi Robur & Ætas
Quæque poteſtatis currus armare Tonantis
Vis ſolet, à Superum Rectore dabuntur. Apollo
Ingenium, docilemque animum, lumenque per omnes
Regnandiq; artes arcanaque quæque Regentum
Concedet penetrare valens. Nulluſque Deorum
Digna tuo Genio non promptus munera mittet.
Jamque tuos Caſtor votis amplectitur annos,
Ut tibi percupido gyros præmonſtret Equeſtres,
Quæque decent Regem rigidi præludia Martis.
Ante alios omnes exempla domeſtica magnus
Præbebit tibi crebra Parens. Dabit ille regendæ
Ipſe tibi præcepta, dedit qui exordia, vitæ.
Dumque alius diſperſa foris tibi ſemina quærit
Tu diſces collecta domi. Seu Bellica mavis
Argumenta, tubaſque, atque exornata trophæis
Limina, ſeu placidæ gratiſſima Symbola Pacis;
Cuncta tuis oculis imitanda tuendaque Virtus
Objiciet cognata tibi; Dîs cognita Virtus.

At tu, quæ pridem caput inter nubila profers
Hafnia, quem toties meritò ſervata vocâſti
Majori nunc jure voca, gratata, Parentem.
Quis neget? Eſt Geſtis Superûm contermina Virtus,
Pro Patria voluiſſe mori vitaque Parentum,
Et Gentes ſervaſſe duas. Hinc Civica quanquam
Præmia jam dudum rutilant, tamen hiſce ſuperſunt
Ma-

Majora. hæc nunquam benefacta Oblivio nube
Ulla sua tanget. Divos nam reddere ademtos,
Et fati invidiæ cedentia Numina terris
Restituisse suis, Orbique ostendere, Reges
Cimbrorum non posse mori; sunt gesta perenni
Non nisi Cœlicolûm manibus pensanda Coronâ.
Hafnia, ne tantos actus patiare sileri,
Et, vel me præeunte licet non passibus æquis,
Lætitiæ des signa tuæ. Ne portio nulla
Sim tibi, jam postquam Dio prælustris Alumno
Contingis Superum cognato vertice sedes.
Nec Genius tuus ipse negat, lic et ille Maronis
Jure tubam poscat Natalis, cujus adorat
Pone sequens par luce suâ cunabula Vates;
Non Genius tamen ille tuus, data tura minoris
Despicit, aut renuit, dum sint pia, munera, tur-
Sume triumphales iterum, mea Patria, Vestes (bæ,
Sume refulgentes hostili sanguine cinctus
Et lauris redimita comas, te confer ad Aulam
Unde novi totam radii sparguntur in Urbem.
En tibi quem possis Genium præferre Deorum
Natali cuicunque loco. reptabere Alumno, (lus,
Tu modò sparge rosas, qualem nec tangere De-
Nec potuit, toties licet effert, Creta Tonantem
Et studet Arcadiæ magnum subducere Partum.
Hinc, tibi quos Eos transmisit Danica odores,
Et quæ multa tuæ sudârunt succina Fossæ,
Collige, & impositis, præsagæ munere Terræ,
His, aras accende Deum; demissaque cœlo
Cœlicolis accepta refer. Jam rure receptos
Cæde Boves. hæc digna dies cui tota sacrentur
Armenta & quot non numerasset Bucera Pastor
Thessalicus, pluresq; olim quam Divitis unquam
Japetionidæ tondebant pascua latè

Tensa, Greges. Jam quæ vigiles Capitolia quondam
Servarunt volucres, Vigili convivia donent;
Sat Civis perspecta tui est, nec egena volucris,
Excubiis adsueta, Fides, tu Fercula Festo
Digna para, cumulosque dapum. Quin spumet Iacchus.
Namque decent pleni Jovis incunabula rivi,
Aridaque Arcadiæ jucundis Prata fluentis,
Ut placeant, mergenda, Deo, percussaq; eburno
Enixæ montana Rheæ fundamina sceptro
Omina præbebunt tenero fœcunda Tonanti.
Et mox Fama feret totam pennata per Urbem,
Inde Metalliferas latè exundasse cavernas
Viscera proclivis quâ Nerigon infima spectat;
Inde cavam festis colluxisse ignibus Heclam
Qua veteris secli superat miracula Thule:
Danica jam nimiæ dirumpunt horrea messes.

---

(10)

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

Augustissimo Regi

CHRISTIANO QUINTO

Ex itinere Cimbrico reduci.

1672.

Pande tuos Urbs Celsa aditus, quasque explicat amplo
Flora sinu tot Veris opes, per compita, vicos,
Augu-

Augustum quacunque suam via ducit ad Aulam,
Eja agili consperge manu. quin plausibus Æthram,
Thure focos, festisque vias concentibus imple,
Atque suo dignos Domino tua pulpita latè
Fac certent resonare modos, votivaque gestis
Plectra pari movisse lyrâ: Vice ritè Parentis
Defungens redit ille tuus, redit, Hafnia, Stator,
Optatumque absolvit iter venerabile Regni
Sidus, Hyperborei Magnusque Salutifer Orbis.
Ipse suos vegeto Titan molimine cursus
Dum peragit, Juvenis stupet æmulus ore quadri-
Principis, & tanto submittens lumina Regi, (gas
Sic vinci se posse cupit, moderamine uterque
Dum satagit fausto, non intolerabilis orbi
Luce licet geminâ, gratum certamen inire,
Quis melior terris valeat reparâsse decorem,
Humanumque situ Genus absolvisse vieto.

Ergò habeat sibi Persa suas Oriensq; latebras,
Per quas subductus Populi languescit ocellis
Atque gravi Assyriæ discit torpere veterno
Majestatis apex, privo dum pariete clausus
Fœmineas inter solum lucere cathedras
Novit & angustis radios adstringere claustris.
Non manet Ætherias Superûm hæc sententia Mentes
Desertum incertis ut linquant casibus orbem
Humanumque Genus; quorum mortalia pœnis,
Si subjecta forent, furerent sine lege modoque
Atque in se ruerent tererentq; Elementa gementem
Et demum æternâ tegerent caligine mundum.

Non ita non Paſtor, niſi ſit maleſanus & ultrò
Interitum Gregis ipſe ſui protrudere tentat,
Fungitur officio. Soli ſi fidat opellæ,
Cui res ampla ſubeſt, alienæ, ſentiet antè,
Cernere quam ſerò ſapiens incœperit, illas
Quas regimen nequeat Servile rependere noxas.
Scilicet & vitulis & lac ſubducier agnis.
Hinc morbum vexare pecus Dextram inde rapa-
Jamq; ſuis nuper turgentia pondera ramis (cem.
Non gremium petiiſſe ſuum. jam vitibus uvas
Non ſibi ſat fidâ decerptas, dolia cellaſque
Impleviſſe aliena, manu. jamque horrea rumpi
Fruge externa ſuâ; paleamque ſibi eſſe relictam.
Talia quiſquis avet ſubterfugiſſe peculî
Damna ſui, non hic fugiat tardetve ſagaci
Metiri adſpectu quæ dein ſine lite tenebit.
Sic neque furtivis audebunt horrea Mures
Aut, ſibi non cœci, complere cubilia talpæ
Aſtutè occultata bonis; nec inania culpâ
Infidæ ſtabula alta manûs vacuâſſe feretur
Aut lupus aut Serpens, aut noxius ungue volucris
Et quidquid ſolet eſſe rapax: Sed ovilia longè
Denſior extendet ſoboles, majoraque preſſis
Sub Domini intuitu lactis manantia mammis
Ubertim implebunt ſpumantes flumina mulctras.

At quis eum laudet ſi quem torpedo Magiſtrum
Et tantus tenet uſq; ſopor, modò fluctibus alnum
Ut quam committet, vilis committere nautæ
Contentus ſtudio, non carbaſa vela ſinumque
Et latus & fundum & quidquid ſervare carinam
Sufficiat, curet, nec ubi jam ventus in altum
Evocat, & terræ portuſque urbeſque recedunt
Et vaſtum navem æquor habet, nec, ut aura ſe-
cundet Com-

Commutetve vices, nec, ut uncta male antè Ca-
Contrahat aut laxet rimas pontive resistat, (rina
Concedatve minis nec ut inde vel inde petatur
Viteturve maris scopulus vertexve profundi,
Sollicitus, curas quasvis dimittat & artes
E manibus deses, vel ei rellinquat habenas
Qui rudis alterius spernit flexisse carinam.
Anne hic exitium quæritque subitque profanus
Sponte suum, immeritoq; Deos accusat & undas?
Anne, ubi nox & hiems tonitruque & aquosus
Orion
Insurgunt, rapiuntq; diem cœlumq; recondunt,
Se videat cuivis vendi toleretque Charybdi?

Jam quis eum frugi dignetur nomine Patris,
Cui genitos ingens est exposuisse voluptas,
Cui desolatos est deseruisse Penates (re leges,
Ludus, &, hinc Superum, Naturæ hinc temne
Quas etiam servent, rationis egentia quamvis
Nec nisi ducta vago cœcoque animalia motu.
Quos tandem hic, Diræ jam percutiente flagello,
Quos, ubi res angusta ferit, curvæque Senectæ
Urget hiems, ubi membra Tremor Maciesque
Rigorque
Officio fungi prohibent, vinctumq; triumphans
Morbus agit, quos inveniet, queis fidat, Amicos
Qui sprevit fidisse suis? quos ille vocare,
Ausit in auxilium propriæ qui proditor Aulæ?
Tunc, cujus Faber ipse fuit, Sors improba, & illa,
Viribus intentis ultro quam accivit, Egestas
Ludibrio exponent populi vulgique cachinnis,
Traductumque per ora hominum sannasque
Jocosque
Omnimodis miserum, nullo miserante, tenebunt,

O maneant meliora animos consulta Poten-
Et pereat potius Genus exitiale, salutem (tum!
Regnorum quodcunque studet subducere curis,
Mentibus & fœtus spurios supponere Regum,
Quam perimat Terræ Dominos lethale venenum
Et pateant diris adeò Serpentibus Aulæ!

Notum est, in cunis ipsis gestata Potestas
Regia quid valeat, Majestatisque tenellæ
Non temnendus honos Populi patefactus ocellis
Pectoribus quantos infigat & augeat altis
Non exstirpandos stimulos. Patet illud Amoris
Fortius innumero bellatorum agmine Castrum,
Quod fovet unanimes interni corporis artus
Externosque arcet motus à limite Regni;
Scilicet egregii, maneat quem summa Potestas,
Alloquium adspectusq; Ducis. Satis illa superq;
Fulget in historiis, & quovis notior exstat
Palladio, toties quæ compressitque rebelles,
Submovitque reos, animosque labantibus inde
Subdidit, hinc ultro cursum currentibus auxit,
Opportuna sui frons & præsentia Regis.
Talibus exemplis cum sit veneranda Vetustas
Plena, quis invisos velit his præferre recessus
Otiaque infestis magis evitanda colubris.
Nos facilè hîc, aliæ quæ jactant maxima Gentes,
Linquimus, & potiùs vel in ipso limine Fasti
Nomina quæ laudant Regum veneramur Aviti.
Nondum torpet enim, nec adhuc defessa remittit
Officium *Skioldi* nulli subducta roganti
Et cuivis expansa manus; tamq; ampla, benignæ
Virtutis Geniique sui testata decores,
Ritè premunt Succedentum vestigia gressus.

Te

Te Patriæ, ô Auguste, Gubernatorq;, Parensq;,
Et Deus, & Pastor, seu quicquid convenit amplæ,
Quam latè Ætherii CHRISTIANUS Nominis imples,
Mensuræ, dum Vernus agit vigor ille Juventæ,
Qui per inexhaustum nescit flaccescere motum,
Quis potis est celebrare satis? Tu, ne qua Maleæ
Aut rabies Scyllæa voret, bene prospicis, orbem,
Ereptamque feris monstrorum faucibus alnum
In fida statione locas. Tu Numinis instar
Non modò pacatos cupidis offerre rogatus
Et placidos vultus, sed & indulgere benignam,
Suprà quàm poscatur, opem. Tu Castore majus
Et Fratre Oebalio, quoties in vota vocaris
Annuere & proferre jubar. Tu visere tractus
Imperii quoscunque tui, munimina, portus,
Litora, rura, urbes, ipsosque invisere Cives
Privatosque Lares, humilesque subire Penates
Et simul exaudire preces. Tu fortè Colonum
Si grave presset onus, subitò erexisse ferentem,
Atque ita mox Pacis moderari & pondera Belli
Nullius ut Lassata jugo aut labet obruta cervix.
Huc quoque, dum fortis jam tractat Miles aratrum,
Inq; vicem dum cultor agri rotet arma lacertus,
Quod gemino induret manus adsuefacta labore,
Pertinet, & binas eadem quòd calleat artes
Queis quondam inconcussa stetit totiesq; triumpho
Roma peregrinis acto caput intulit astris.
Omnia sic ductu sic non absente reguntur
Auspicio CHRISTIANE tuo; nec, ut impleat annum,
Orbe licet Titan in utroque affulgeat Orbi,
Se tamen arctato vult circumscribere gyro,

Ulterius ſed tendere avet, perque omne meatu
Diſcupit haud laſſo Signum Cœleſte vagari.
Sic, licet, Hafniacam cum clementiſſimus Arcem
Rector habes, radii reliquas ſpargantur in oras
Inde tui, cunctiſque ſuum decus explicet Aula,
Non ſedes tamen una capit vel continet illum
Fructiferum cunctis ſatagis quem pergere cur-
Jamq; foràs moliris iter; non quale Neronis (ſum:
Illud erat Tiberî, ſua cum procul ora ſequentem
Rejiceret Populum, Capreas quærentis & umbram
Quâ tegeret mentis tot diſſimulata profanæ
Hactenus, at deinceps unà fera monſtra latebris
Eruptura ſuis; nec Cajus quale peregit,
(Cui dedit in caſtris Caligæ cognomina Miles)
Æterna ingentis daret ut veſtigia luxûs
Urbibus excitâ late ſibi plebe viarum
Pulvereum verrente ſitum; ſed quale Vetuſtas
Docta Poëtarum venienti fingit Amori
Tunc ubi, jam longè Squalore Metuq; fugatis,
Quà vehitur, decore ipſe ſuo lætatur, & unà
Attrahit arcano mortalia pectora vinclo.
Nuper enim, cupidum cum ſe proferret ad Albim
Splendor, inocciduâ decorans ſua climata luce,
Regius, ô quantum fudit, CHRISTIANE, nitorem
Ipſa ſinu Mater, cunctarum Maxima rerum!
Sive quod exortum, poſtquam ſic juſſit Aprilis
Cui ſacer ille Dies, voluit celebrare Tui, Rex,
Natalis, venerande, jubar; ſeu, Vere caniſtros
Narciſſis violiſque & purpureis Hyacinthis
Et reliquo Pratique Hortique implente paratu
Excitos cinxit vario, ſua Numina, flore
Ornavitque Deos, vultumque effinxit ad illum
Cujus

Cujus ab arbitrio viridantique ore Juventæ
Cunctorum demissa Salus tot spirat odores, (tem
Ut digno exciperet Dominum sua Regna tuen-
Lustrantemq; choro: quid enim non illa meretur
Quæ duo Regna fovet Genii Cœlestis Imago?
Præsentisque Dei nullos mentita colores
Effigies, quid non decoris? non Numinis adfert?

Cimbria summorum Genitrix fortissima Regum (Alumnum
Quo quondam hunc ipsum, Cybele par Mater,
Fovisti cultu gremii, nunc excipe Regem
Et Dominum devota tuum: simul adspice Florem
Cui victas dare prisca manus non Roma negaret,
Adspice, cui vellent Marii cessisse, Juventam;
Cujus & in fulvo vultus simulacra metallo
Antè tui coluêre Lares, jam cerne micantes
Te coram radios, Majestatemque, reclivi
Culmine dum tua tecta subit privosque Penates
Elevat attactu, merito venerare profatu.

Fallor? an ipse Parens Zephyrus, Regale Mini-
Et comes hoc sectatus iter qui læta benigno (ster
Prata pererravit circumfuditque meatu, (crum-
Veris adest, cantusq; refert quibus omne Volu-
Gavisum est certare genus, quà vidit euntem
Cunctaque præsenti moderantem Numine Regem?
Tunc ubi fœcundæ dispergens semina terræ
Cultor agri, longè solito jam certior Augur
Omina concepit suetis majoraque vota;
Et, veluti Delphos cum præsens lustrat Apollo,
Mox horrore Sacro Silvæq; Amnesq; replentur,
Certaque dant ipsæ doctæ præsagia Rupes,

Adfla-

Adflatu propiore Dei sic percitus ille
Inter Agri curas, menses & totius Anni
Arsit inoffensum Vates prædicere cursum,
Arboribusque satisque ferax promittere cornu.

Felix quæ frueris tam fausto, Cimbria, Phœbo!
O tibi perpetuum, sola hæc nam vota supersunt,
Præsit! &, occiduo dum non lavat astra profundo
Arctos, & excelso, quos Nerigos incolit, alti
Æthera non cessant pertingere culmine montes,
Dumque tua adlambens non litora deserit illa
Maxima quæ Danos amplectitur æquore Tethys,
Non tibi, non Boreæ, CHRSTIANI, & origine ab illa
Sanguinis orturi Regalis copia desit!

---

(11)

PROPEMPTICON

Reverendissimo Clarissimoque Viro

D N. J. PICARTO

Relictâ Hafniâ

Post ibi impensam Astronomicis, in iisque novissimi Cometæ, observationibus hiemem Lutetiam revertenti.

1672.

Diique Deæq; omnes, quibus est pelagiq; soliq;
Temperiem curare labos, atque æeris alti

Jam

Jam cohibere minas, jam dilatare frementum
Ventorum rabiem, conspirantumque procellas:
Si vos thura movent, Pietas nec nomen inane est,
Huc promtas adhibete manus, vicibusq; parati
Concordes certare statis, conferte secundas,
Quantis quisq; valet, placido moderamine vires.
Scilicet, Arctoas Patriis commutet ut oras,
Et jubeat Boream septemque valere Triones,
Ille plagis cœli vobisque vacare PICARTUS
Suetus, Hyperborei post tergum climata Regni
Linquit, & Hafniacas sensim decrescere cernit,
Non semel ante suo superatas lumine, turres.
Hoc faustum procedat iter! satis ampla favendi
Materies & causa data est. ostendite tandem,
Quid bene de vobis possint sperare merentes.
Sic, caput hoc postquam dignè servâstis Amici,
Rite Parisiaci vestris altaria flammis
Collucere Lares videant, permistaque votis
Munera partiri nitidos sine fine vapores!

Tu quoq;, qui profugis intercipis otia Musis,
Qui cum vere novo venturis tristior annis
Per mare telluremque & littora nuncius erras,
Europamque omnem fatalibus induis armis,
Miles habe tua tela tibi. Cui mitis Orion,
At cœli pars quanta! studet; cui parcere Mavors
Ipse cupit; cui sponte favens Tritonia Pallas
Commodat insignem, sibi quam prætendat, olivam;
Denique, cui si sancta potest quid gratia Regum,
Principis Arctoi radiante adamante notatum
Nomen, inocciduæque nitens lux alma coronæ,
Pectora condecorat, sortemque avertit iniquam,
Ne noceas, periture, cave. Non ille Sinonis

Infen-

Infensos in corde dolos, technasve volutat
Queis sibi fidentes studeat perrumpere muros.
Fallaci non ille sinu læsura recondit
Incautos mandata Ducum. Non ille, Magistro
Arte Syracosio licet haud cœleste secundus,
Pro patria haud vetito satagit pollentior astu
Marcelli lusisse minas. procul horrida leni
Ingenio sunt bella Viri. procul arma rigorque
Quidquid & insonti resecat commercia mundo.
Si tamen, unde & quo? solito de more requiras,
Advenit ex istis Hospes venerabilis oris,
Quas sibi natales habuit de Gente Brahea
Cœlicolis ipsis pridem peramabile Sidus.
Causa viæ, non illa lucri vesana libido,
Haud sine naufragio toties quæ cogit avaros
Astra quidem peregrina sequi, sed sæpe profanam
Figere humi totam luteo cum corpore mentem.
Longè alia excelsos ad se rapit ignea Virtus
Sustentatque animos & tollit ad astra capaces,
Hæc quæ Pythagoram olim Diumque Platona,
Hisque pares alios Heroas linquere glebam
Compulerat Patriam, præclara cupido sciendi.
Hic Cœli indefessus amor, hic ardor Olympi,
Gemma velut tacito suevit Magnetica nisu,
Ad radios cognata suos præcordia traxit.
Si dubites, nostris firmaverit Hafnia dictis,
Testis ad indubitata, fidem: nec conscia rerum
Atque ibi Doctorum coram transacta Lyceo
Ipsa tacebit Hiems, quoties sua frigora temsit,
Posset ut Ætheriis pernox recalescere flammis,
Qualis & astriferum gaudet Jovis armiger axem
Et Superûm tentare vias, sic lumine dio
Sidereos propius radios haurire, facesque
Seu totum per inane vagas seu denique fixas,
Ingenio

Ingenio fervente ſequi, ſtudiove morari.
At quoties curis intentum Phoſphorus iſtis
Repperit, & quoties iterum ad majora paratum
Heſperus offendit molimina, & occiduus Sol,
Illaque Tychoni quondam gratiſſima ſedes,
Jam vero Uranie poſtquam relliquit inanem
Cui nimiùm quantùm vultus mutatus, Huëna
Ad ſua vix priſci ruta cæſa relicta decoris
Inſtar Abydeni vidit contendere Amantis,
Conſtabit melius, cum magna Lutecia civem
Ceperit amplexu reducem, reduciſque labores,
Et vigiles noctes ſubductaque tempora Somno,
Æterna & nunquam perituræ luce bearit. (ræ
Tunc properæ inq; vices concedent dulcibus ho-
Colloquiis hinc inde ſatis; ſeu forte Satelles
Ipſe jovis mileſque Poli luſtratus utrique
Præbuerit parti doctis ſermonibus anſam;
Sive animo ſteterit Divino haud vana futuri
Æthere ab inſolito deducere pondera belli.
Dumque ita Primores Druidas, claroſq; Penates
Regalis triplicisque Arcis, Socioſque ſuorum
Sacrorum Myſtaſq; Æthræ, velut alter Achoreus,
Non tantum Patrias ſed qui tamen hauſerit au-
Sole ſub externo ſibi viſa notataque, mente (ras,
Edoceat memori cupidos miracula rerum,
Detineatque lubens vario ſermone volentes;
Hinc aliquis, faciles dederint cui carmina Muſæ,
Votivo Magni reditum celebrare PICARTI
Geſtiet, & Socium ſtudiorum extollere plectro.

Ut veniat tam fauſta dies, jungatque locorum
Longo intervallo jam nunc dirimente remotos,
Si ſapis, ô Miles, tantum violare caveto, (iram,
Per ſe equidem placidum, ſed ſi commoveris
Fulmine

Fulmine munitum Jovis & vibrante Deorum
Armatum terrore Virum. Ne forte cruenti,
Cujus habet secum fumantem sulphure crinem,
In caput ipse tuum cieas portenta Cometæ.

---

(12) *EPICEDION IN*

CATHARINAM NANZENIAM DN. PETRI GRIFFENFELD Dilectissimam Conjugem

Decimo septimo Puerperii sui Mensisque Maji Die, Proximè Festum Ascensionis Christi sequuto, Primævo in Ætatis Vernique temporis Flore defunctam. 1672.

Cernitis ô Proceres fragilis divortia vitæ
Gaudiaque ut subitò maxima quæque labent.
Quid juvat in summos apices adscendere rerum
Et loca terrarum proxima quæque Diis?
Quid juvat illustris specioso in corpore Virtus,
Illaque diversis Fors cumulata bonis?
Quæ GRIFFENFELDÎ modò felicissima Conjux
Visa fuit celsi spes diuturna tori;
Nominis umbra sui frigenti impôsta feretro
Heroæ en linquit munera tanta Domûs;
Atque tribus totis condigna Puerpera seclis
Ante diem effertur, post tria lustra, suum.
Exequias quotquot, Proceres, ut eatis adestis
Cernite Fortunæ quæ sit habenda fides.

Ni

Ni manet æqualis meritis post funera Famæ
Et gratæ functos Posteritatis honos;
Quàm brevis & nihili est, magni licet esse pute-
Aura & gloriolæ bulla caduca vagæ! (tur,
Dum reserare suos gestit Natura paratus,
Quàm subitò infensis sternitur illa Notis!
Dumque avidos nasci protrudit Flora decores,
Quàm facilè in nisu frangitur illa suo!
Quod sumus, ah miseri! fas sit rem dicere, flos
Tam leve vel prodens gleba soluta decus. (est,
Nullaque in humanis solida est constantia rebus
Hanc præter dubias quæ rotat ipsa vices.
Heus, ubi candentis Violæ gratissima pompa,
Illeque primævi Veris odorus Apex?
Heus, ubi nunc ille est mediis pulcherrimus hortis
Qui modò Narcissi luxuriabat honos?
Quive Juventutis tenerâ moribundus in herba
Cessit Amyclide, Flos, Hyacinthe, tuus?
Anne, ubi jam vestros, Proceres, voluistis ocellos
Pascere, vidistis nil & inane solum?
Anne ubi quæsîstis fluxæ vestigia Plantæ,
Vidistis Plantæ vix superesse locum?
Ut, nisi donâsset pereuntis semina Formæ,
Tam foret ignotum nobile Veris opus.
Sic quoque mortalis quoniam fallacior undâ
Spes, Proceres, Vitæ, nullaque certa mora est
Tendite, Fatali dum parent omnia ludo,
Tendite præsenti temporis orbe frui.
Dum nitor est summus, nitido ne fidite fuco,
Purpura, nescitur, quàm citò vestra cadet.
Quàm citò, nescitur, tristissima Noctis imago
Tam lætos claudet subripietve dies.
Ipsa hæc invisis circumdata Vespera flammis
Heu! nimiam dictis fert gemebunda facem.

Quos

Quos modò pullato tectos ſpectatis amictu
Undique funereo pæne rigere gelu,
Intrarat nuper niveos Lucina Penates
Exciperet reducem ut Prole benigna Patrem.
Quàm tunc longè aliis fulsêre illæ ignibus Ædes,
Et quæ ſe induerant fronde virente Fores!
Quos non ſenſerunt dulces ea tecta tumultus
Dum pia turicremis conſonuêre focis!
Quas non gratantum cepêre ea limina voces!
Quæ non votivis carmina fuſa lyris!
Ipſe ego quantumvis pars exiguiſſima tanti,
Neſcio quæ volui plectra movere, chori.
Sed nimis hei! noſtri titubantia vota dederunt
Fallaceſque nimis concinuêre modi.
Atropos albatos quid quod deponere cultus
Juſſit, & exutam fronde ſilere chelyn.
Jamque fere excuſſo Vatum præſagia naſo
Suſpendit Populus ludibriumque vocat.
Scilicet eventu qui comprobat omnia ſolo,
Nec meminit Fatis cuncta ſubeſſe ſuis.
Eſt tribus, eſt pridem, quid enim vetat illa fateri
Momento quovis quæ docet ipſe Dies?
Eſt tribus & durat Germanis tanta poteſtas,
Mutari ut nequeat quod ſemel hiſce ratum eſt.
Sæpeque Cumæum dum ſe protendit in ævum
Spes noſtra, hanc ipſam de tribus una ſecat.
Dumq; ſuos meritis bene diſpenſamus honores,
Quæ dare deberet, præmia Parca negat.
Accidit hinc toties, quòd fallat opinio luſos
Ante diem ſeſe præcipitante colo.
Culpa tamen Vatum nulla eſt, quos credulus Er-
Decipit, & juſto non bene fultus Amor. (ror
At nimium eſt quantum reliqui ceſsêre, Sorores,
Eſt nimium vobis quod tribuêre Dii.

Munera

Munera dent Superi quæcunq;, & Jupiter annos,
Summa equidem Mors eſt linea, ſera licet.
Et tamen eſt aliquid ſaturatum denique vitæ
Tædia & exuvias depoſuiſſe ſuæ.
Quis verò arboreas tentat ſuccidere ſtirpes
Germina cum ſucci prima dedere ſui?
Sit nomen tacuiſſe nefas. Secat Atropos omne,
Nec curat, quod fas ſit ſupereſſe, decus.
Illa modo ſine fila ſecans & Pharmaca Phœbi
Ridet & omnigenam trux medicantis opem.
Hoc volupe eſt, Libitina, tibi. tibi creditur ingens,
Rebus in humanis ludere poſſe, jocus.
Tu, metitur quodcunque, rapis. tu funere gaudes
Innumero umbriferam poſſe replere ratem.
Proh! Superi tantum cur conceſſiſtis aventi
Crimine perpetuo ſe maculâſſe Deæ? (dem
Cætera mortales maneant quæ incommoda tan-
Conſilio aut vinci tempore poſſe datum eſt.
At quoties Dea ſæva furit, non temporis ullâ
Se patitur flecti conſiliive morâ.
Quaque ruit vitrix, ſexus cadit omnis & Ætas,
Haud genus, haud Virtus effugere ulla valet.
Nec bona quæ ſuperant, ſortis monimenta ſe-
cundæ,
Immitem quidquam quo remorentur habent.
Nec libet huicci tiusplebis ſpoliare tabernas
Primorum excelſas quàm vacuare Domos.
Omnis huic flocci eſt nullius & ordinis ordo
Omnis in extremo Rexque Clienſque loco.
Vidimus excubiæ quam nil valuêre Potentum
Quæque ſtudent Procerum protegere arma
Lares.
Ille etenim à cujus dependent Agmina nutu
Quo Duce Cimbrorum Gens ſua caſtra movet,

Ille

Ille ſua ante oculos vigilante ſatellite fruſtrà
Non ſemel addidicit pignora poſſe rapi.
Vidimus ipſorum quàm non penetralia Divûm
Eſſe queant tantis intemerata malis.
Ille etenim arbitrio cujus, ſic Rege jubente,
Se & ſua committunt Phœbus & ipſa Themis,
Nonne ſuæ tantum dilectæ Conjugis oſſa
Extulit atrato ſquallidus antè ſitu?
Et cui poſt Patriæ Patrem Dominumq; Trionum
Parceret abreptum Parca cruenta Lari?
Te, GRIFFENFELDI, tandem quoque noxia te-
Impetit & credit jam ſuperâſſe ſuis; (lis
Dum tibi divellit ſociatos Conjugis artus
Dimidiumque animæ rumpit acerba tuæ.
Non tua te Virtus, Magni non ille tuetur
Regis inoffenſus, quo fovearis, Amor.
Quo minus & Sortis vires patiaris iniquæ
Læſus & humanas experiare vices.
At quis ſis, Vir, Celſe, doce, nec cede dolori,
Fortunamque animo perfer utramque pari.
Hoc te ſumma rogat mentem Doctrina capacem
Quæ ſupra vulgus tollit in aſtra tuam.
Illa animo te te caſum hunc tolerare virili
Pectore & invicto diſſimulare jubet,
Ne, fruſtrà Uxorem nil proficientibus optes
Si reducem votis, litus inane ſeces,
Aut dicta effundas quæ cedant irrita ventis
Merſave Letheis diſſolüantur aquis.
Eſt, fateor, magnum quod alis modò pectore vul-
Major at eſt tantò, non cecidiſſe, decor. (nus,
Ampla ſatis quam Fors verſat documenta dediſti
Surgentis Rector quàm potis eſſe rotæ.
Reſtat ut infragilis dubiæ molimine perſtes,
Totius ut Dominus ſis Domitorque Deæ.

Culmine

Culmine donavit quo Te Prudentia Regum
Nôsti, secretum plebe tuere gradum.
Plebis enim sors est, ubi personat Æthra fragore,
Jamque suum Pontus ferre recusat onus
Spem posuisse omnem, moxque insurgentibus (undis
Mobile ceu lignum se tolerare trahi.
Ille, gubernandi sed cui commissa potestas,
Qualemcunque fovet spem, retinetque ratem,
Fortuitusque licet rapiat sua pignora fluctus,
Non artem idcirco aut deserit ipse locum,
Publica privatis sed præfert commoda curis
Fortiter & luctus fert reprimitque suos.
Quid quòd id exempli est, quodcunq; hic incipis,
Præscriptique ferè creditur esse tenor. (instar
Quisquis enim huic simili posthac de fulminis
Tactus erit, mores induet ille tuos. (ictu
Utque refers profersue pedem sic vincere tete
Auctore aut vinci quisque paratus erit.
Hac fuerit ratione tibi, Vir summe, decorum,
Ne noceant, planctus attenuâsse tuos.
Non nego, difficile est, rapidas quibus innatat un-
Tota domus siccis sustinuisse genis. (das
Dumque suis Matrem ingeminat vagitibus In-
Ad teneros adeò conticuisse sonos. fans
Utque Maritales vellet quis ponere luctus,
Hîc tamen esset opus deposuisse Patrem.
Ipsa sed en Pietas niveo velamine præsto est
Cincta, tuis lacrimis impositura modum.
Illa refert: quæ cura tibi, mœstissime, sensus
Pectus & in partes funditùs omne trahit?
Quid quereris cœlebs quem Dii fecêre Parentem?
Cui defuncta Uxor parte superstes adest?
Funereæ myrtos sed dem cessisse cupresso,
Dem meliore sui parte vacare torum;

Si tibi depositum repetat quod credidit Æther,
Quo sua poscenti jure negare queas?
Quam gemis, Ætheriam tua sponte hoc orbe re-
Non invita tenet Nupta reducta domum. (licto
Utque fuit toto vitæ celeberrima cursu,
Sic quoque supremâ commemoranda die.
Namque Salutiferum, in terris cui semper adhæ-
Susceptum in cœlos ponè sequuta Deum; (sit,
Cœlicolas inter Christi venerante triumphos
Proxima conspectu concinit ore sui.
Non, queis turbinibus tellus, obnoxia rerum,
Sed stabili æternùm salva locata polo.
Hæc bona nè invideas post cœtera summa fruenti
Quæ maneant animas non peritura pias;
Te quoque, sed vitæ post stamina longa, Nepotes
Cùm fueris jussus linquere serò tuos.
Quin igitur caveas illos onerare querelis,
Queis sedet haud te unquam destituisse, Deos.
Hæc, Vir Summe, comas vittata ab eaq; profecta,
Quam luges, Pietas cominus ipsa refert.
Et laudata simul lacrimanti lumina tergens
Lugentis fletus parcius ire jubet.
Adde quòd illa Salus Patriæ hoc Regnique Borei
Vult, tibi quam Patriæ credidit ipse Pater.
Quique status rerum, dum perstrepit undiq; Ma-
Pro Domino poscit te vigilare suo. (vors,
Nos etenim reliqui tibi quæ solatia demus,
Qui cupimus vultu vivere posse tuo?
Non tibi lugendi tentamus scribere leges,
Non lacrimis metam constituisse tuis.
Jamque ut in antiquos cuncti penetrare recessus
Indeque vellemus protrahere omne Sophon;
Quid tamen inde tui non pridem pectoris hau-
Possemus memores accumulare sinu? (stum

Quin

Quin tibi te, nam cui melius? permittimus ipsi,
Extra quem scimus par superesse nihil.
Hoc tantùm, Vir Magne, modò concede roge-
Tam benè perceptis te patiare regi. (mus;

---

(13)

Illustri Fugientium Musarum Statori Patriæque Academiæ Rectori Magnifico

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,

Post doctissimos suos in CELSUM Commentarios à Mulcibero interceptos,
Sententiam Romani ejusdem Hippocratis de ACIA à RHODIO defensam & denuo illustratam edenti.
1672.

CELSUS, Apollineâ celeberrimus arte Machaon,
Romanâ Grajos ausus prævertere palmâ,
Cœperat infensis Morborum opponere technis
Consilia, & læsæ solatia commoda plebi
Et faciles adhibere manus, & quicquid inanes
Vulneris adversi compingere posset hiatus:
Ipsaque, quò possent melius succedere, *Pallas*
Præbuerat fomenta, & hianti *linea* plagæ
Fila. nec eventu poterant caruisse secundo,
Quæ dextro fuerant incœpta peractaque Phœbo.

Rem sed agi *Libitina* suam rata, colligit iras
Et tandem malesana, suum quò virus in unum
Evomat, Auctorem benefacti corripit ipsum;
Nondum gnara satis, nec non post funera *Celsum*
Doctrinam proferre caput; frustraque moveri
Insidias illis, dudum quos Fama per orbem
Vexit ad Ætherias tuto molimine sedes. (vum,
Quin potuisset & hoc, valeant quid Numina Di-
Discere ab Exemplo, mala nî caligine lævâ (ne
Mens, si mentis habet quidquam, gauderet in om-
Præcipitem se inferre nefas, hominumq; perenne
Commeruisse odium. Rabidæ sed plena veneno
Invidiæ, atque urgente simul stipata catervâ
Morborum, numero quorum non sufficit orcus,
Concilio infausto, strepitu non absque querelæ,
Quo sua res stet adacta loco, furibunda fatetur.
Et jam CELSE, tuum quoties audire coacti
Nomen, ad infernas Pallorque Metusque cruorq;
Et macie quotquot diuturno aut vulnere gau-
Licet adsueti fuerant remeare latebras. (dent,
Ergò adeo Stygiæ Nomen Fatale Paludi,
Si non evertisse licet, stat tingere probro,
Quodque sibi superest, mendaci involvere fuco:
Unus & è mediis *Error* mox prosilit umbris
Arbitrioque suo rem tradi, discupit. inde,
Ut facile incautum capere est & mobile vulgus,
Horrenda invadens mortalia pectora fraude
Quid dubitatis ait, tantaque ambage, remotis,
Vos extra, attrahitis longinqua Oracula Delphis,
Hic propior, quum sensus adest, quo verba Magi-
Sunt vestri capienda? mihi confidite: *Ferrum*, (stri
Ferrum vult festina Salus. Medicina nec ulla
Efficit ut melius coëat dispansa Cicatrix.
Nec rudia hic Chalybis rigidi nec fragmina ferri

Ægrotis

Ægrotis adhibenda reor. *Subtilia* laudo
Atque laborati tenuissima *fila Metalli*
Hisce cicatricum divulsa reducere labra,
Et penitus veteres obducere posse recessus,
Quam facile est! saltem redeat sua gloria CELSO,
Arsq; vetus, nec inepta manus, quæ cuncta guber-
Vera sed ah! *Acia* cur se subduxit egenti (net,
Materies solumque orbi relliquit inane
Nomen & indicium decoris delebile prisci?

Talibus his prima Specie illudentibus ausis,
Eloquio ficto simulato & callidus ore,
Implicitas hinc inde Scholas abduxerat *Error*
Per sua fallaci vestigia lubrica filo
Et propè funesto Mandati armaverat usu,
Humani generis cum cura subiret Olympum
Præque aliis tangens inprimis *Pallada* Divis
Cogeret hæc miserantem indignantemq; profari,
Heu præceps *Erroris* Amor quo pectora Suades
Proruere Humana & proprias accersere clades?
Tuque Genus Mortale nimis miserandaq; Turba
Præcipites, vel te absq;, colos celerare quid audes,
Et vix credibili Fatum prævertere nisu,
Atque ubi non opus est, ferro dirumpere vitam
Quod potius velles Magico vel demere cantu?
Dura quid increpitas Parcarum vellera, nondum
Ferrea si traxere tuos hæ *fila* per artus?
Tu fati Faber ipse tui, quò dira voluntas
Et Genio seducta malo deducit, eundum
Dum tibi proponis, nulla revocabilis arte,
I, quod te sibi captet, iter, post terga saluti
Præcludens aditus. vel, adhuc dum forte supersit
Spes, alias insiste vias, monitisque supernis,
Cætera si temnas, cave ne parere recuses.

Dixerat hæc offensa Dea, & mox plura, disertis
Doctorum repetenda choris; èque omnibus unis
At quo nec melior nec erat tunc doctior Alter,
Commendat causamq; suam, præscriptaq; *Celsi*,
Atque salutiferi decus insuperabile *Lini*.

Par erat his, Latio pergratus, RHODIUS, Hospes,
Dania sed quo se nunquam non jactet Alumno,
Non oneri non monstro ulli succumbere suetus
Alcides, dignusque, sui quo nomina CELSI
Vindice ab injectis starent immunia telis.
Hic opus aggressus nulli violabile *ferro*,
Dum *leni* insontem reparat medicamine turbam,
Et studet *Errorum* divellere funditus *hamos*
Viribus & totis CELSI defendere famam,
Quot sibi doctorum hinc meruit bona verba, tot illinc
Strenuus indoctæ stimulos confecit inanes
Invidiæ, pressitque retro impenetrabilis ictus;
Donec ad extremum Diis immortuus ausis
Præclaro Priscis obitu nullique timendo,
Nil nisi depositas victæ concederet hosti
Corporis exuvias; meliori parte superstes.

Inde tamen CELSUS Latio emigrare coactus,
Nec dum perfecto donatus munere dextræ,
Quas potius peteret Patrias quàm Vindicis oras
Atque solum natale sui? quosve inde Penates
Præferret, BARTHLINE, tuis, cui Nomen utrumque
A teneris junctum fuit irresolubile nexu,
Et studii communis amor, decreta Latino
Prisca nec obscuro Medicorum efferre profatu?
Hospitio tanti dignè susceptus Amici
Satque expertus erat, benè quid latuisse sub istis,

Quæ

Quæ Musæ unanimes habitant penetralia, tectis;
Venturæ sortis nimium cum nescius, illos
Jam sibi gauderet rursum succrescere vultus,
Quos Tiberi quondam spectarant Regna gerent-
Quo simul illustris viguit Scribonius ævo. (tem,
(: Hanc tulerat BARTHLINUS opem sordes-
que supremæ
Tollere quas RHODI manui per Fata negatum,
Depulerat Veteres, viridesque reduxerat annos:)
Ecce novos casus & non sanabile vulnus!
Mulciber, instinctune suo causaque Metalli
An suasu, *Libitina*, tuo? commotus, acerbâ
Eque animis nunquam periturâ clade Nepotum;
Irruit, heu pergrande scelus! non hostis aperti
More, sed occultò profugi Latronis in ædes
BARTHLINI absentis; diffusoque ocius igne
Occupat inclusos CELSI RHODIQUE labores;
Et velut, hospitii ne quos jus texerat unà
Secernat commune Malum discrimine facto,
Sollicitus, simul involvit sanctissima fumo (dro
Scrinia BARTHLINI, & condigna volumina ce-
Æternâ in rapidis satagit glomerata favillis
Tollere ad Ætherias doctâ caligine nubes.

Hic ego flagitium dirum *Ignipotentis* iniqui,
Ni BARTHLINE, tibi vulnus resecare puderet
Obductum, exciperem diris, Minöe vel ipso
Judice, commeritis. Nec te, *Libitina*, vererer
Condignis agitare modis; quæ criminis hujus
Auctor & Hortatrix, tua ne tibi funera deessent,
Hei nimium siceis, mundo pereunte Medelas
Tollier intuita es, careas nisi lumine, ocellis.
Ecce tamen, rumpare licet, Stygis atra Caterva
Et fœde polluta cohors; conamine tanto

Quàm nihil effectum! quàm non periêre perenni,
Quæ calamo ſubnixa volant per docta Virorum
Ora, nec à veſtris metuunt incendia flammis,
Vindice BARTHLINO. quem, nî, *Libitina*, pudorem
Excuſſiſti omnem, tandem irreverenter habere
Devicta abſtineas, caveaſque attingere noxâ
Candida Parcarum longævaque fila merentem.

Lenia quiſquis amat Prudens medicamina, RHODî
Decreto facilis vota manuſque dabit.
Linea ſed ſi quis Rigidus, ſeu mollia temnat,
Poſcat is Ætnæos *ferrea* vincla Fabros.
Vos placidè interea Manes requieſcite Amici,
Vindice BARTHLINO, haud, quod metuatis,
Ille ſupra ſortiſque vices Fatique locatus (erit.
Ter data *Rectoris* munia ritè gerit.
Illius in niveum, privatæ incendia paſſi,
Publica confugit Bibliotheca ſinum.
Quique tenet Latium totumque Helicona capaci
Mente, tuas ridet *Celſior*, Ætna faces.

---

(14)

Regiæ Hafnienſis Academiæ
Magnifico Rectori & Profeſſori
Honorario
DN. D. THOMÆ BARTHOLINO
Commentarium ſuum de Morbis Biblicis edenti. 1672.

Ante Soporiferæ ſi quem medicamine Virgæ
Perculit injectus Somnus, & ala potens,

Adami

Adami hic altam ſcrutetur mente quietem,
  Fictaque miretur prodigioſa Dei.
Si veterum luctaſque catenataſque Palæſtras,
  Si ſtupet unctorum membra retorta Virûm,
Angelico Jacobum proſtratum robore cernat
  Herculeâ pluſquàm diriguiſſe manu.
Miratur Daphnen Phaëtonteaſve Sorores
  Aut propero Aglauron diriguiſſe gelu?
Uxorem Lothi potius miretur, &, illam
  Quæ abſumſit, ſtatuam congeriemque Salis;
Inque ſinu Moſis cunctâ ſine labe repôſtas
  Extractas ſubitâ tabe nitere manus;
Miretur radios diffuſaque lumina Vatis,
  Ut jubar his cedat vile, Latine, tuum.
Cœtera quid memorem docto miracula Libro
  Paſſa, meis longè nobiliora modis? (pum,
Terra vale nimis arcta. petit BARTHLINUS Olym-
  Indigetem ut referat hac quoque parte Patrem.
Ille ubi te vigili luſtrarat lumine totam
  Quæque amplo edideras pignora fœta ſinu;
Ut tibi perpetuum prodeſſet, in Æthera ſcandit
  Geſta piè penetrans ſenſaque quæque Deum;
Quoſque olim acceptus, nec tunc novus, Incola
  Mature cœpit Sanctus adire locos. (haberet
Æmula non aliter, ſummi Genitoris Imago,
  A Patre tentatum Filius inſtat iter,
Poſtque exantlatos puerili ætate labores,
  Qui juvenes poſſent quique tenere viros,
Poſtque pari deinceps ſuperata ſequentia niſu
  Luſtra nec annorum ſe revocante morâ,
Pergit, &, æterna ut Patriæ ſua ſecula ducat,
  Summa ſenex nondum, præcipit orſa Senum.
Jamq; animo ſublimis humum relinquit, & inter
  Sidera Divinis inſerit ora choris;

Quoque beet Mortale Genus Cœleste refertus
Nectare dat nostræ pocula plena siti;
Sic quoque præveniens sanctè, quæ pensa Sorores
O Utinam cano non nisi lenta trahant!
Desine jam Majâ Genitos jactare, Vetustas,
BARTHLINIS Pietas pandit ubique viam.

---

(15) AD DOMINUM PETRUM COMITEM DE GRIFFENFELD Panegyricus 1673.

Post Superûm cultus revocataque nomina Olympo,
Proximaque his famulas moderantia Numina (terras
Stat Comites Regum Regumq; extollere Amicos!
Et prius his quem plectra sonent, decreta Paren-
Quos Patriæ jussere coli; quos ardua Famæ (tum
Gloria jam pridem turbam linquentibus alis
Secretos provexit humo; quosque intulit Astris
Ambitione carens & cæcâ spretor honoris
Sorte dati Virtutis apex? meritone frequentis
Evehitur populi radians per compita plausu,
Post data, ab instanti terras servantia clade,
Fidaque communi Gentis consulta saluti,
Cui digitos gemmis, humeros Ægyptius ostro,
Pectoraque insigni Princeps circumdedit auro
Subjecitque suos, Regalia munera, currus
Ilacidum hæc curante Deo? non amplior ulla
Materies, non causa dari, vel judice Momo,
Justior ulla queat titulisve decentior istis,
Per quos ire juvat. Faveas modo grande Borei
Præsidium sidusque soli, quodque ante dedisti,

Si

Si cervix, si forte labet, cedatque tuarum
Virtutum laudumque strui, dignere volenti
Dexter & optatum bonus indulgere favorem.
Non mihi Pierios sine te fas tangere currus,
Ætheriasque vias rutilo quas tramite sulcas, (sto
Quodq;tibi jus pandit iter, postquam omine fau-
Æquus & haud temere tibi credidit aurea Phœ-
Imposuitque suo prudens tua frena jugali; (bus
Ergò veni, qui carmen eris, & cardine ab alto,
Celsus ubi suetum moderaris Grypha, serenus
Respice, & innocuis radiis admitte tueri
Ardentem propius molimina maxima Vatem.
Sive etenim per prima tuæ fert limina vitæ
Mens dubium, quæ prima canam? Charitumne paratos
Te excepisse sinus & adhuc de Matre rubentem
Certantes lavisse manus? triplicine Sororum
Pollice candentis fatalia vellera lanæ
Ducta, nec adtactus metuentia fila sinistros
Clarisonis sociata modis? an nescia vinclis
Membra diu latitare suis & aventia gestu
Liberiore frui, paucisque imitanda sequentes
Ante horas promtos vestigia figere gressus?
Seu pueri teretes & maxima scire capaces
Percurrisse juvet, meritoque stupentibus ipsis
Transactos propere sub Præceptoribus annos;
Quis non a teneris Patriæ te prodidit urbi
Unguiculis virtutis honos, rumore secundo
Diffusum Genitis serisque Nepotibus olim
Credula quem possent, spe se gaudentia falli,
Ostentare suis imitandum vota Parentum?
Jam tunc ludus erat, nullo non parta labore
Quæ steterit reliquis, fandi miranda facultas
Scribendique penus, tibi sive effrena placeret,

Aoniis seu vincta modis: jam voce disertas
Par Platanos movisse tuâ Frontonis & hortos
Stellarumq; domos, & quidquid publica Regum
Nobilius dein cura dedit; jam rostra Quirini
Par steteras ductâsse Fori, magnumve Senatum
Traxisse, aut dubii suffragia flectere campi:
Eloquii vis illa tui. Sed latiùs ingens
Ingenii se extendit honos, nec passa locorum
Limite se claudi Cœlestis Adorea mentis.
Illa Remi se infra longè jam plebe relictâ,
Altum surgere ovans, nil non comprêndere cap-
Ipsa ignara capi, jamque ardua quæq; subire (tu
Aularum & veterum penetrare palatia Regum,
Quidquid & antiqui molitur pagina secli.
Illa per Assyrio deperdita culmina luxu,
Medorumque vices, &, post sua secula, Cyri
Tradita sub ductu Persis moderamina Regni,
Lumine constanti vigilantique impete ferri.
Illa per internis concussas motibus urbes
Grajugenûm, intenti sese immiscere Philippi
Artibus, & magni mirari præmia cœpti.
Jamq;, duæ summi dum se inter pondera jactant
Imperii Gentes, rapidi vestigia Regis
Illa sequi Macetum cursu non impare, & altâ
Vincere, sed victis quoque parcere, mente parati
Regis adhuc Dominique sui; fugisse sed auro
Hostili cultus & iniquâ cæde suorum
Fœdatos probrisque Deûm. Babylone relictâ,
Pastorum è limo provectos scandere colles
Martigenûm, legisse Duces, formasse Senatum,
Postque Italas gentes & lata indagine clausum,
Quidquid Alexandri cædes dissolverat, orbem,
Ipsam, sub vario Dominam moderamine rerum,
Cæsaris unius lauris submittere Romam.

Inte-

Interea alterno ſeu ſe Mavorte fatigant,
Seu, rata Legatis mandantes fœdera, fixæ
Regnorum invigilant per juſſa ſalubria curæ,
Pacatoque domi flectunt conamine Cives;
Mens, primæva licet, Magnorum compita Re-
Ire redire Comes, iſtique adſueſcere primis (gum
Temporibus, ſtabili cui dein maturior ævo
Concreta hæreret penitus radice, Favori.
Illa ſagax Clito jam tunc tumidoque Philotæ
Vellere præcluſas, loquerentur parcius, auras,
Oraq; adhortari, magis ut reverenter haberent,
Anceps unde necis flueret vitæque poteſtas.
Illa Togæ decora ampla & firmæ robora Pacis
Seligere, &, quantum Labeo jam diſtet Atejis,
Jam Mæcenati quid ſit quod jungat Agrippas,
Rimari; jam quæ vitam commendet Aſinî,
Quæve probet mores Meſſalæ, intendere nor-
mam.
Jamque inter dubios partiri tempora Burrhos
Inter & Annæos, vigileſque impendere noctes
Conſiliis, Aulæ queis ſterni lubrica poſſint
Ne ſubito incautos evertant Atria caſu.
Sic pueri in tenera, quos vinceret indole & auctu
Floridior, canis vis primitus hæſerat herbâ
Arcaniſque ſenum; nec adhuc impuberis anni
Deſierant, doctâ quateres cum publica voce
Pulpita, ſubtili priſcos ratione Magiſtros
Exſuperare potens, & veri ſolvere nodos,
Inque tuas quævis raperes ſubſellia laudes, (tro
Seu numeros Vatum, vel adhuc concluſa ſub An-
Paupere commenta, aut ſapientum effata Prio-
Queis fuit antiquo Sophien deducere curæ (rum
Sæpe neceſſe tamen medio rellinquere cœlo,
Seu data diverſis paulatim Nomina ſectis

Et ſignis mandata novis præcepta parabas
Ad veri explorare modos, nullius ab ore
Dependens, ſed ubique tuus, dignoſcere cautus
Quid ſolidum fractumq; crepet, quid protulit al-
Publica cura rei, vel quid per compita ſparſit (tæ
Ambitio ramoſa ſcholæ nec nobilis umbra:
Non te ſtoa gravis, non ſuſtinuiſſet abundans
Fronde nemus, barbaque cohors ſociata Lycei:
Omnis at attonito poſt fixam lumine terram,
Poſt ſolitos riſus, poſt tempóra longa ſilentî,
Turba manum unanimis tibi porrexiſſet & her-
bam.
O quoties tantum, quem dein cultura Patronum
Iret ovans, meritis Academia Patria alumnum
Plauſibus amplexans, dimiſit & inclyta voce
Divina inſtantis ſonuit præſagia ſecli
Quo memorandi inſtar te Mæcenatis haberet!
Sed Patria ignoſces, Boreæ ſi rite relictâ
Sede, ſub externo jam ſole calentibus ardet
Seſe inferre plagis, quem demirabitur orbis
Totus & haud tantum genitum ſibi ſentiet Ar-
Scilicet, inſigni ſi patria Velleris auro (ctos;
Donanda eſt, linquenda parum eſt, nec ſemper
in Antro
Dilecto quamvis, quamvis non mente repôſto
Immemori, Magnus teneatur, oportet, Jaſon.
Tu quoque, Flos juvenum, ſed quem ſibi vindi-
cet aula
Non metuat Reducem, non invidioſa propago
Principibuſve odioſa tuis, cui gratia Regum,
Gratia cum ventis non mutatura tenorem,
Magnum pandit iter, vario ſub ſidere mores (di,
Perluſtrando hominum & melioris rudera mun-
Quas non Europæ peragrâſti providus urbes?

Non

Non equidem infensos, & justâ lege Laconum
Arcendos, Patriæ præceps inducere ritus,
Qui nimis heu! quantum mos occæcaverit istos,
Queis nihil Ætherii circum præcordia limi,
Queisque prius Phœbus sed mox sua vita pudori;
At tibi, cui melior formavit corda Prometheus,
Ornavitque favens large indulgentia Divûm,
Non placuit, stolidi quod habet vestigia vulgi
Perdita, iter, sed rara Viros quæ semita ducit,
Per virgulta licet centumque pericula rerum,
Heroas, positasque facit super ora profanæ
Plebis adorandos dextrè contingere metas.
Qualis & Ægypti quondam bene Legifer oras
Ipse Laco fertur prudens peragrâsse Lycurgus,
Sollicitusve Solon, vel si quis inutile tempus
Nescivit trivisse Plato, quo dignior unquam
Non fuit auditu Mundique capacior hospes,
Cæsaribus si danda fides; vel qualis in horum
Confluxit patriam septeno colle relicto,
Quæ regeret rerum Dominam, vel in æra referret
Sculpta reportatas tabulas, Romana propago.
Sic quoque de Nili non tantum fonte vel imis
Si quid habet rerum tectum penetralibus, alma
Cunctarum natura parens, præclara sciendi
Intentum te duxit amor, sed & ardua quosvis
(Artis adhuc majoris opus, multisque negatum,
Unde sed in Patriam melior remeaverit unda)
Lustrandi mores pernoscendique lubido
Trans mare trans terras clarum te protulit orbi
O patriæ prælustre decus, quosque illa recepit,
Summe Virum! Jamq; ipsa cito prævecta volatu
Fama, licet nondum reducem, monstraverat Ar-
Dignaque prospiciens radiis convexa futuris(cto,
Magnamini Regis te commendaverat Aulæ.

Vix

Vix etenim Hauniacæ sospes bene redditus urbi
Adtigeras natale solum, cum maximus orbis
Arctoi Patriæque Parens, contingere dextram
Sponte daret lateriq; favens, clementius unquam
Quo nil terra tulit, gaudentem hærere juberet.
Jam pridem Augusti donârat summa Palatî
Palladiis Rex ipse sacris, & celsa dicârat
Rite suæ Musis Dominus fastigia sedis;
Huc satagens magno Regis conscendere jussu,
Et tanto comes ire Duci, quam læta secundo
Omine prima tuæ tetigisti limina Sortis!
Huc, velut antra Jovis nono memorabilis anno
Fertur adîsse regens centenas Arbiter urbes,
Regia mens, consorsque poli, se sæpe solebat
Conferre, & Diæ promsisse oracula Sedis,
Hinc populis reddenda suis. Tu Mysta sacratis
Præficeris Laribus, per te cortina recessus
Expandit, Vir magne, suos faustumq; remugit.
Seu Super humanas animus, comitante Magistrâ
Relligione, vices positisque ascendere turbis
Altius immuni labis circum aëre septus,
Vellet, & unius triplici sub nomine Numen,
Cui mare, cui tellus, cui vastus serviat Æther,
Mirari sublime Dei, veroque profanis
Dissidiis longè semotum agnoscere cultu,
Amplectiq;omnem quod dudum amplectitur or-
Sive creatarum per tot miracula rerum, (bem;
Astriferosque globos & ab his pendentia tectâ
Æquora vi, gravidæque sinum per viscera terræ
Iret, & abstruso quidquid natura recessu,
Abdidit, ætheriâ proferret luce reclusum,
Donaretque suis nascentia singula causis,
Quâ Regi penetrasse datum est Sapientia cunctas
Cui reserat sternitque vias; seu denique magnæ
Queis-

Queis teneant cœtus hominum ſub legibus urbes,
Unanimos placentve feros, domitentve rebelles,
Perſpiceret, ſenſimque ſuis mutabile formis
Diſcuteret, reliquiſque Deo conforme regendi
Præferret priſcumque genus, Ferrique, Togæq;
Reddere quæ cives valeant cum Rege beatos,
Carperet e longis prudens Annalibus artes;
Tu Comes aſſiduus ſacer interpreſque Deorum
Colloquiis Auguſta tuis mulcere paratus
Pectora, tu curas niveæ ſubducere Menti
Sollicitæque Ducis requiem præbere ſenectæ.
Tu quoque, præſentis ſi ſecli poſceret Acta,
Confirmat quæ cuncta, manus, tibi credita ſolers
Excutere Archiva & Tabularia quæque repoſtæ,
Optata ut Regi referas volviſſe papyri,
Tantarum o longe cuſtos meritiſſime rerum!
Hic quanquam haud tua cura ſtetit majora merendi,
Nec ſtetit hic Regalis amor. reſponſa per ora
Hinc tua legati capere, hinc ſolatia cives
Supplicibus quæſita libris; tibique intima credi
Auguſti, tua tanta fides, Arcana ſacrari
Et Domini ſecreta tui, ſeu fidus adhæres
Cultor in urbe Duci, peregre ſeu juſſus euntem
Subſequeris lectuſq; Comes. Tibi limina pandi,
Quamtumvis juveni, cani veneranda Senatûs,
Inque gravi, ſummo quo nil ſub Rege Boreo
Majus in orbe cluet, Superûm vel gratius ulli,
Concilio loca digna dari. Sed quanta malignæ
Cerno Deæ infenſâ turbari gaudia dextrâ!
Scilicet exaucti toties jam muneris Auctor
Tollitur, & lata miſeras caligine terras
Involvunt ſævæ, quæ volvunt penſa, ſorores,
Nec dubitant tantum FREDERICO orbare Miniſtrum?

Hen

Heu Scelus! heu diræ tentamina noxia Parcæ!
Ipse ſatur vitæ nî Rex & abire paratus
Antè tuos Genito, cum cuncta relinqueret uni
Mandaretque vices, quoq; tranſmiſiſſet honores,
O meritò dilecte Aulis! Nec fallitur Hæres
Proximus e cœlo qui Nomina ducit, & ipſis
Implet jo! cognata Diis, Cenſore probatum
Dum refovet tanto commendatumque tuetur
Immemor haud Genitoris apex. O quanta gra-
Ille tuis nitens humeris ſolamina curæ (vatæ
Senſit, & in tete dum fixum haud mutat amo-
Paulatim in melius mutari cuncta renident (rem,
Miratur gaudetque ſuis hæc otia naſci
Auſpiciis ductuque tuo! Tu, cognitus ante
Devotuſque licet, juratæ pignore vocis
Manſuram obſignare fidem, teſtemque vocare
Cernentem pia ſenſa Deum; ſed & inde præire
Exemplum reliquis, & te præſtare, futuri
Quem ſecura duûm fovit fiducia Regum
Et finxit præſaga, Virum. Tu nocte dieque
Pectore anhelanti collectum evolvere robur,
Et gemini quidquid valeat prodeſſe ſaluti
Imperii, Dominoque unà, cui juncta duorum
Regnorum indiviſa ſalus. Tu, blanda profatum
Cui dedit omnigenæ proles Cyllenia Linguæ,
Gratari Arctoo miſſos vel fœdera Regum
Continuare Duci, nova vel ſancire rogantes,
Sic Ducis exceptos prudens dimittere ab Aula,
Ne quid amicitiæ Regum, Dominive decori
Decreſcat, fideive tuæ, quodque expetis unum
Communi patriæque bono. Tu pondera rerum
Præcipuos inter Proceres librare, tuique
Non ſoli ſenſus præſenti pandere Regi
Conatuſque animi, ſed lecto teſte Senatu,
Sub-

Subnixos ratione, tuos proferre labores. (gnæ,
Hinc tibi major honos. hinc omnis ademta mali-
Maxima quæq; sequi quæ suevit iniqua, potestas
Invidiæ. Quid enim, vecors quod carpere possit,
Livor habet, melius cum nil producere possit
Dirumpat licet usque sinus? cum judice causa
Acta æquo damnatus abit? quin sæva lacessant
Murmura pejoris metuendaque sibila linguæ,
Si qua Tigellinos Ars detestanda Neroni
Insinuet; Tiberî Flaccos si dira palato
Commendet pernoxq; fames; si Principis aulam
Conterat, infernis subito quem trusit ab oris
Non castigata præceps audacia fronte,
Ambitiove procax speciem mentita decori,
Quæve sitit, medium licet immergatur in Her-
Torrida avarities & lucri insana cupido. (mum,
Hos ruat Alecto, ruat hos quæ prima Megæra
Ubera fomentumque dedit. Te, cura Deorum,
Ducit amor recti circumcingitque frequentum
Virtutum sociata cohors. Tibi blanda severos
Perfundit, fuci non gnara, Modestia vultus
Et vitiis intactus honos. Tibi munit honesti
Conscia firmato Constantia pectora vallo
Et preciis invicta Fides. Tibi roborat artus
Derivatq; animi maturum in membra vigorem
Temperies, suctumque facit Patientia corpus
Regali par stare strui. Sed lumine multo,
Dedita ceu Delubra, tenet præcordia pollens
Intima, quæ cunctos Prudentia dirigit actus,
Mirandoque omnem tibi digerit ordine vitam.
Hinc quoque densa Deum, queis, vir lectissime,
cordi es
In te dona fluunt, meritorumque undique gratos
Condecorat creberque sinus replet imber hono-
rum. Hinc

Hinc tibi quod ridente Jovis venerabile vultu,
Cum tibi ſerta Venus, tibi cum Socialia Divûm
Nexuerat Genetrix pulcherrima vincula Juno,
Gratia dona ferens adpendit pectoris aurum.
Hinc tibi cœleſtes impendens Mulciber artes
Quæ GRIFFENFELDÎ (ſic longùm fauſta perennent)
Finxit ad Auctoris faciles Inſignia nutus
Protenditque tuo cognomina maxima Phœbo.
Hinc tibi, quâ Pietas ſuccurrit ab Æthere Danis,
Crux bicolor (ſtat priſca rei Valdmaria teſtis)
Nunc Equitum ſancte ſummo cognata gerenti
Nomina ſtatori devincit pectora Regi.
Sunt duo quæ gemini ſuſtentant Numina molem
Imperii, vireſque Ducis qui temperat Arcton,
Hinc Pietas, hinc alma Themis. dedit utraque munus
Diva tibi, dedit illa Crucem, dedit altera clarum,
Grande, Elephanta, decus, decus at quod ſolà merentum
Rectorum ora ſubit; variæ pernobile ſignum
Virtutis Geniique tui, cui digna paravit,
Quæ dat cuiq; ſuum, perſolvere præmia morum.
Namque hoc ſeu patriæ, ſeu juſti nomine tanto
Comprêndatur amor, Decoris ſeu caſta cupido,
Seu cultus Superum, & reverentia debita Terræ
Numinibus, Gratamq; decent quæ munia mentem, (ris?
Quem petat hoc potius quàm te geſtamen honoris
Seu velit, adverſus virus lethale Draconum,
Taurorumque truces & ſævæ Tigridis iras,
Quoſq; immane æſtus Vitiorum projicit agmen,
Immortale odium conjunctaque pugna notari,
Hic tibi conceſſus debetur jure triumphus.

Vidit

Vidit & hæc, qui cuncta videt, quique inſpicit omne
Compenſans meritum, nullumq;relinquit inane,
Arbiter imperii, & Borealis ſignifer Aulæ;
Ille manu, latas Boreæ quâ flectit habenas, jor?)
Quos propriis pendebat onus (quæ gloria ma-
Detraxitque humeris gemmati inſigne decoris
Impoſuitque tuis, &, quæ ſibi proxima florent,
Conſtituit tecum communia nomina Regni;
Æquatumque iſtis, queis primis cingitur aſtris
Ipſe ſua Sol luce nitens, Comitumque ſuorum
Præcipuo & Celſè-Natorum inſcripſit honori.
Et, velut ingenti, quâ concutit omnia, palmâ
Cœlicolum Rector, quoties ſibi grata tuetur,
Spargentem radios demittit ab Æthere flam-
mam; (manebunt,
Sic, quem Regna manent longumque Arctoa
Tot tibi quæ dudum fixere in pectore ſedes
Dona Deum læto, ſibi ceu cariſſima, nutu
Auxit, & illuſtri rata præſtitit omina Signo.
Et jam quæ Regio, quà late extenditur Arctos,
Ad Domini non rite ſui contendere nutus
Adproperat? quæ juſta tibi præconia ceſſat
Solvere & Auguſti gratari munera Regis?
Hinc populi communis amor, raroque probantis
Succeſſus Procerum, Procerum tamen æmula
In decus omne tuum ſuffragia didita vulgi. (votis
Hinc ea, quam toties exceptas fronte ſerenâ
Invitaſque etiam circumcurſaſque, benigni
Ut pateas cunctis laudabile ſideris inſtar,
Turba cliens, tibique alta uni ceſſiſſe parata
Nobilitas, quæ miſta tuam concurrit ad Aram,
Quæq; tuos ſupplex non fruſtra prenſat amictus
Lætior inde means diverſi nominis ætas,

Jam

Jam vero unanimi prædicit gaudia voce
Quæ dabit hæc (ò detq; precor tecumq; senescat
Candidior!) tam fausta dies, qua surgit adaucta
In commune bonum meritis tua fulta potestas.
Macte bonis tantis! quem non levis impete cæco
Instabilis Fortuna rotæ protrusit in altum,
Sopitumque sinu vexit gliscente, cacumen,
Verum emensa moras passu non deside justas
Et cunctos permensa gradus, dedit ordine virtus
Regali propius propiusque accedere dextræ,
Continuoq; frui geminum prope Numen amore,
Et dabit ulterius. Pylii sic Principis ævo
Orbi CHRISTIANUS præsit redeunte Boreo!
Intersisq; unà, qui cum Duce secula condis
Tanto, Celse Comes, &, quanquam maxima jam nunc
Stas meritus, tamen usque velis majora mereri!

---

(16)

Experientissimo Excellentissimoque
Omnigenâ Eruditione Viro
DN. D. OLAO BORRICHIO
de Hermetis Sapientia
Elegantissime doctissimeque disserenti.
1674.

Quæ via, quæ tandem BORRICHÎ impervia curæ,
Quà rapitur docti Mens generosa Viri,
Quave Virum ducit solers Industria totum
Orbis inoffensum per melioris iter?

Astro-

Aſtrorum patuêre ignes. patuere receſſus
Oceani, & quidquid ſervat Amica Sali.
Nec latuit, quidquid Genitrix ampliſſima rerum
Aut tegit aut vario prodit aperta Solo. (bores,
Adde quod Herculeos poſt, Monſtraq; victa, la-
Agminaq; è Patriis Morbida pulſa plagis,
Se levat, & Latio gaudet Romana Vetuſtas,
Ipſeque, ſi ſapiat, Barbarus, ore loqui.
Ne, Lector, mirêre. novem cui ſponte Camenæ
Ceſſere, & Dii culmina celſa jugi;
Se dedit, en! reſerare data eſt cui cuncta pote-
Arbiter Eloquii, Progenieſque Jovis. (ſtas,

---

(17)

Incomparabili ANATOMICO & ARCHIATRO Regio

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,

Rectori Academiæ Hafnienſis Magnifico & Profeſſori Honorario, ANATOMIAM ſuam quartâ jam cura auctam edenti.

1674.

Sic capit Oceanus nec reddere ſegnis, eaſdem
Gurgite continuo fundit & haurit aquas.
Sic indefeſſus Titan Luſtrator Olympi
Perpetuum Ætherias itque reditque vias.
Sic rerum Natura Parens non deficit ullam
Qua beet Humanum dote benigna Genus.
Tu tantos, BARTHLINE, Duces imitaris & Orbi
Sufficis æterna luce perenne decus.

Quaſ-

Quasque recepisti fœcundo pectoris alveo
Non nisi cum grandi fœnore reddis opes.
Et citius sese Natura, unaque relinquent
Gramina Humum, Oceanum Fluctus, & Astra Polum;
Quam tua destitui Mundum patietur hiantem
Mentis inexhaustæ prodigiosa Penus.
At justas, Vir summe, tibi quis solvere grates
Et vel pro meritis verba referre potis?
Post Donatoris miracula prima supremi
Atque creatricis Munera Dia Manus,
Cui nulla in nostro non se pars corpore debet
Compagemque refert Machina tota suam.
Huc ades ô quisquis propius te nôsse laboras,
Et quidquid Pectus subtus & intus alit!
Turpe, alio sub sole sitas percurrere terras
In Patria degas si peregrinus Humo.
Quid juvat extremas immensi invisere metas
Orbis & haud proprium visere velle sinum?
Collige Regales sumptus, Miracula Mundi,
Piscinas, thermas, templa, theatra, vias,
Et quæ cinxerunt septem Palatia Montes
Rostra, Fora, & ductos per loca mille Lacus.
Quidquid & externis accitæ latius oris
Artificum innumeræ composuere Manus.
Cuncta diu cum contuleris, concedite Moles
Quas minima immensas vincit opella, feres.
Non ebore, aut saxo, variove expressa Metallo,
Non ceræ & digito debita Forma levi.
Effigies sed Cœlesti quæ Pollice facta,
Quæque Creatorem monstret imago Deum.
Nil sibi Phryx, nil inde Libys, nil Dalmata possit,
Nil queat inde Lacon dicere jure suum.

Nec

Nec Polycleteos huc Phidiacosve labores,
Lysippive vocem Praxitelisve Decus.
Nil unde Antipater, Calamisve, Acragasve, prior-(ve
Mentor habent laudis, nil trahit unde Myron.
Sive quis Auctoris mirari discupit artes,
Materie seu quis nobile censet opus.
Sensibus hîc longe lassatis, denique captum
Complecti discat nil potuisse suum.
Attamen ætheria ut monstretur origine, summâ
BARTHLINI hîc Curâ Fabrica tota patet.
Hoc reserante suos aperit Natura recessus,
Naturæ & reliquæ totius instar, Homo.
Quidquid & arcanum fuit ignotumve Priorum
Ingenijs, præsens explicat omne Liber.
Quin Rivos sequor ipse meos & mille meatus,
Memet ut ex ipso noscere Fonte queam.
In cute quis lateam, doceant hæ rite Tabellæ,
Et, quas progenuit quæque Tabella, Notæ.
Cedite Apelleo ductu formata Deorum
Oraque mendaci reddita clara Manu.
Quos Venus & Mavors, quos Ira, Metusq;, Dolor-
Cernimus hîc amplos incoluêre Lares. (que,
At simul inspicimus, Pietas sociataque Virtus
Purgatas possent quas habitare casas.

---

(18)

Amplissimo Celeberrimoque Viro

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO,

Dilectissimos Nepotem Oligerum Jacobæum, *Genitosque* Casparum & Christophorum, *in exteras Regio-*

nes dimittenti gratissimos Reducum Amplexus vovens.

1674.

Hactenus æternum victuris Fama libellis
BARTHLINI excelsas stravit ad astra vias;
Illa Patris docti Genitique legenda per orbem
Quæ laudaturum tot monimenta tulit:
Nunc aliud molitur iter; quæque antè disertæ,
Jam dat fœcundæ pignora certa Domus,
Ardua magnanimæ dum per vestigia stirpis
Sanguinis Agnati dux rapit ipsa gradus,
Dumq; sinus, toties quos scripta habuere satorum,
Hospitibus pandit consociatque novis,
Non jam depictis sed vivis vultibus implens,
BARTHLINI intrârit quotquot imago, Lares.
Macte bonis, BARTHLINE, tuis! qui vivere per te
Post te victurum das memorande Genus!
At tu, Magnorum Soboles Generosa Parentum,
Unde sata es, nunquam dememinisse velis,
Utque per externos Alphëi provida ritu
Tot pelagi fluctus, nec temeranda, mees,
A Patrio nunquam deflectas sidere vultus,
Vix alia huic lumen par Cynosura dabit.

---

(19)

Excellentissimo illustrissimoque Heroi

DN. PETRO Comiti de GRIFFENFELD. &c:

MAGNO Sacr: Reg: Maj: Dan: Norv:
CANCELLARIO &c:

Bonum Felix Faustumq; quod in se recepit
Musarum Themidosque Patrocinium!

1674.

En,

En, tibi quas Comites, COMES acceptissime Regum,
Candida jam pridem Fata dedêre Deas,
Præside nunc tutas, quo quondam scimus Alu-
Venturi certas exseruisse caput, (mno
Tunc Tibi cum primos formarent protinus an-
Et cupido altrices ubera pôcla darent. (nos,
En Tibi, quæ tenero Fatorum conscia Phœbo
Nectareos haustus Ambrosiamque tulit,
Quæq; prius, quàm Phœbe dares Oracula Delphis,
Sorte tulit sacrâ Gentibus Auctor opem
Nata potens Cœli, Solio dignata Tonantis,
Natarum Genitrix ipsa verenda trium,
Quas tibi nunc secum, Custos sanctissime Legum,
Commendat, sociâ Nomina nexa fide.
Illa per os Responsa Tuum Regalia pandens
Pandet in Arctois secula prisca plagis,
Qualia tunc fluxisse ferunt, cum libera Virtus
Iret, & in terris huic Comes iret Honos.
Illa aderit, Justi cum tu moderator & æqui
Huc satagens summi flectere vota Fori,
Jus dices, victor quod cum laudaverit insons
Carpere convictus nesciet ipse reus.
Quin age, Magne COMES, ultro amplexare vo-
Et quo cœpisti perge fovere sinu; (lentes
Sic illæ invicto certent te vincere nexu
Nec Patriæ tentent deseruisse solum!
Nec sola est cum Prole Themis. Ter terna Soro-
Pallade cum decimâ Numina juncta vides (rum
Hæ tibi se Teteq; Duci, COMES Alme, Trionum
Perpetuâ exoptant jungere lege Deæ.
Hæ, bene ne desint Actis sua præmia, pro mtæ
In laudes plenis Artibus ire tuas.

Jamque harum jussu tua signant Floribus Horæ
Nomina, mansuris commemoranda notis;
Illa dabunt veris hominum solennia votis
In Pylios fundi Mygdoniosque dies.
Illa dabunt, olim cum te revocaverit Æther,
Æternum à grata Posteritate coli.

---

(20) Nuptiis

Nobilissimi Amplissimique Viri

DN. GERHARDI SCHRÖDERI

Lectissimæque Virginis

SOSTRATÆ SVANINGIÆ.

Stat sua meta Moræ. Liquidò sociantur Amantum
Vota, nec ulterius dissociatur Hymen.
At tu Sectator nimis importune secundæ
Fortunæ, ô quantum, Livor, inane tenes!
Sic est; si certes Livor (rumpare vel ultro
Ringere) Dii superant. Cedere disce Diis.
En meliore comâ tandem se Phosphorus effert,
Dumque parem votis tendit inire viam;
It comes illa dies niveis imposta quadrigis
Quæ sua virtuti præmia digna vehit.
Subsequiturque Soror, Soror exspectata Diei,
Mox Summam optatis impositura manum.
Et Facibus jam cuncta patent, quas ventilet inde
Hesperus & præpes ventilet inde Puer.
Quin fuge Livor iners. Vincat quem prævia Virtus
Ducit, & à Superis, qui bene pendet, Amor.

His

His titulis SCHRÖDERUS ovat, nitidumq; popelli
Invida fluctivagi fert super ora caput;
Dum, post sub vario superatos Sole calentes
Tot tractus, solo gaudet Amore trahi,
Hinc Patriæ hinc socio prælustris Amore Puellæ;
Jamque potens voti gestit utroque frui.
Dumq; prius cunctata licet luctataque multum;
Paulatim adsuevit jam dare, Virgo, manus;
Quosque ante invisos à se procul arcuit, ignes
Victa verecundo cominus ore pati.
Dicite Jo! meritoque Duci bona verba Sodales;
Dicite, nam Festo hoc Sole triumphat Amor;
Subque jugum Domitorque hominum Domitorque Volucrum
Mittit OLORINI pectoris omne decus.
Hæc erit, hæc SCHRÖDERE tibi vectura, nec ulli
Hac mage contigerit pompa venusta Deo.
Neu tibi quis jactet tot ficta Animantia Vatum
Seu Jove seu reliquis nobilitata Diis;
Quæ Venerem te blanda rapit, SCHRÖDERE, Vo-
Sed quâ nec fingi pulchrior ulla queat (lucris,
Lustretur licet omne decus, quod stagna Caystri
Quodque vehant resoni limpida Stagna Padi,
Tum quidquid Tanais tum quidquid jactitat Ister
Et celebris quidquid Strymonis unda tenet.
Digna equidem, conferta petant quam vota Procorum,
Junctaque prætensis carmina crebra plagis:
Sed tantum ut pateat, quanti mox unus habendus
Et quo se voluit præda cupita capi.
Hoc soli SCHRÖDERE tibi contingere, Phœbo
Jam dedit & Musæ Parca benigna tuæ;
Quæ longæva tuæ ut deducat stamina vitæ
In tua tam faustam retia ducit Avem.

Augurium te extra non eſt tibi, Sponſe, petendũ,
Namq; ſinum volucris tam petit alma tuum;
Amplexuſque tuos ulnaſque foventibus alis,
Sic tibi fœcundos diſcupit ire dies;
Ergò age tam pulchrâ digniſſime Conjuge Myrto
Sat lauro adſuetum, cinge, Marite, caput,
Jamq; triumphales ſatagens conſcendere currus,
Dum tacito condis gaudia tanta ſinu,
Dum populi plauſus, varii dum frondis honores
Excipis, & Floræ verſicoloris opes,
Hoſce tui fuſos ſtudioſo è pectore, feſtæ
Conſimili luci ſuſcipe fronte modos;
Quique tuis non rara ſoles dare tempora Muſis,
His quoque Momentum da breve, quæſo, locis;
Sic male ſit cunctis, ter Sponſe beate, Maritam
Qui tibi non propriam hanc perpetuamque velint!

---

(21)

Ampliſſ: Conſultiſſimoque Viro
DN. ERASMO VINDINGIO
Nuptias Dilectiſſ: Filiæ Generique
ANNÆ VINDINGIÆ &
DN. PETRI HIORT
in vicinis
Conjunctiſſimi & Amicitia & Adfinitate
ſecum Viri Nobiliſſ: & Excellentiſſ:
D. THOMÆ BARTHOLINI
Ædibus Die IV. Cal: Novembr:
Celebranti.

Unde

Unde BARTHLINI novus hic Penates
Occupat fervor, fidiumque gratis
Cum modis certans Chorus is, frequens qui
Verberat aures;

Quid sibi cursus celer & recursus
Vult adornantum Charitum paratu
Dona tam Lecto? vario quid auctæ
Pondere mensæ.

Quid Lucernarum feriente flamma
Major Argenti decor, & nitenti,
Simplici plusquam rutilans colore
Fulgor in auro.

Anne mutantes Helicona Musas
Cernere est duci meliore pompâ
Præsidem Phœbum cithara vocantem
Sponte secutas?

O Domus FINCHI Generosa Proles
Perge firmato pede, perge crebro,
Et virescenti sine Lege, ramo
Spargere florem.

Sola tu tantis radiis, nec extra
Te quid accersens, potis es perennem
Hac tua Insigni populosa Gente
Fundere lucem.

Nosco, nam nosco celebris Diei
Festa solenni cumulata luxu
Et maritandâ modo gloriantes
Virgine flammas.

Hespere ô felix niveis notande
Inter albentes merito lapillis!
Quos enim non hoc superas superbus
Lumine soles?

Lacteo felix mage sed Soror quæ
Fratre nox gressu sequitur procaci
Imbui poscens roseo tuoque,
Sponsa colore.

Sponsa, Matronas numeranda jamjam
Inter, î faustum cupidis ave dic,
At vale innuptis, hodie & supremum
Dicere Virgo.

Quid times? Daphnis patulas in aures
Non, ait, luctus gemitus nec adfert,
Sed dat insontes & amat Choreas
Tæda Jugalis.

Si metum quondam posuitque Virgo
Celsa Phœnicum, placidique amore
Capta mugitus tulit ambientis
Oscula Tauri,

Justior tete moveat Cupido
Quem suus Mensis stimulat procantem
Perciti ut cedas socianda CERVI
Ritè cubili.

Illius, quo non fuit olim amari
Dignior Thirrhi Genitæ ferus, qui
Præbuit belli titulum sagittâ
Ictus Juli.

Quid times? sunt, si cupias doceri
Quæ tibi monstrent, temerè hic Pudori
Jam locum reddi, id doceant tibi alto
Sanguine junctæ.

Illa, quæ haud pridem fuit his iisdem
MARGARIS, nôsti, Patriis relictis
Uxor abducta ad proprios Penates
Prole beandos.

Ecce

Ecce Materno decorata cultu
In ſinu gaudet tibi poſſe leges,
Quas tibi poſthac violare non fas,
Ferre Maritas.

Sunt & hinc Conſulta Aviæ tuæque
Matris, utramvis rogites, negabit
Neutra ponendum ſimul exſolutâ
Veſte timorem.

Ipſa, quâ major Cybele Deorum
Non poteſt fingi Genitrix, ſequendum
Præbet exemplum, Generis tuique
Nominis, ANNA.

Hæc, licet multâ ſubole coruſcans,
Spe tamen creſcentem inhians tueri
Matre te factâ cupit Abnepotem am-
plectier ulnis.

Hujus unius titulos fac æques,
Queis tibi major ſtimulus nec extat,
Sic dehinc longâ ſerie Nepotum
ANNA perennes.

Nunc age ô Liber venerande Thyrſo
Huc ades. non terrigenæ domandi,
Sunt tibi, non ſunt fera jubjuganda
Colla Gigantum.

Sed tuos ne Socratici liquores
Diluant, inſta, Sapientiamque
Tetricam rerum Dominam benigno
Subde triumpho.

Hic dies poſcit bonus hoſce mores,
Æquori rugis Boreæ & relictis
Ne Cato quidquam vereatur incon-
ſultus haberi.

Inde BARTHLINI niveum patebit
Pectus abs omni vacuum rigore,
Inde VINDINGI Gravitas avebit
Dia resolvi.

Non eum suetis studiis tenebit
Quæ solet totum sibi vindicare
Deditum noctes comitans diesque
Ampla Vetustas,

Hunc nec ambages Themidos morari
Audeant jam longè alio obligatum,
Nupta quod poscit sibi jure Nata
Munere fungi.

Scilicet cunctas cupit hic fugari
Hesperus curas, sibi soli & optat
Per tuum munus venerande Liber
Quemque vacare;

Ergo VINDINGI dubias Reorum
Voce defensas moderante causas
Sive convivis volupe est & udæ au-
dire Coronæ

Sive BARTHLINI celebri quid ostro
Contigit rari, tua pocula inter
Incidit sermo, stimulatque fervor
Corda sciendi;

Mox tuum Lenæe, erit id cavere
Talibus ne solliciti retardent
Debitas tantum tibi transvolantis
Temporis Horas;

Nec quid in Grajis geritur, Philippi
Dum Leo Magni metuit, Superbus
Fascibus quondam, domitusque nondum
Sustinet iras;

Dum-

Dumque Libertas animam trahendo
Colligit rursum reficitque vires
Exteras contra insidias, sit ulla
Quærere curæ.
Una sit, suavi Genio vacare
Et tibi junctæ Veneri jocoque
Temporis partes dare singulas, &
Sola voluptas.
Vos sed illustris nitidæ columnæ
Gentis, haud ullâ nece separandæ
Par gerens Tellus Pylios in annos
Jactet Amicum!

---

(22)

De Obitu Reverendissimi Doctissimique Senis JOANNIS DALLÆI ad Clariss. DN: JO: DALLÆUM F. Elegia.

Heu! mihi quos DALLÆE refers tristissime casus
Quæ memoras Magni Funera acerba Patris!
Nuper ubi demtis tetigi tua munera vinclis
Divini vultus Effigiemque Viri,
Credideram, sed enim quoties Spes fallit Amantes?
Illa mihi vivum sistere Dona senem.
Tunc ego: Sic DALLÆUS agit. Sic ora genasq;
Sic decus ingenui pectoris omne gerit.

Seu ſpuria à veris & ficta volumina Libris
Diſcernit, Veterum qua legit orſa Patrum;
Seu modò facundos demittit ab ore profatus
Queis Populi, valeat ducere corda ſui;
Sic oculos frontemque gerit, ſic mellea labra,
Quidquid agit ſic hoc denique totus agit.
Hæc ego. Sed preſens quis neſcio Phœbus in aures
Attoniti tacito murmure, *geſſit*, ait,
Geſſit, ait, poſuitque iſtos quos conſpicis artus,
Et ſibi ſat vitæ jam ſatur, *egit*, ait:
Egit, ait, quæcunque viden? doctiſſimus Index
Additaque extincti poſthuma Vita refert.
Nec mora. Tranſmiſſas avido dum lumine char-
Perluſtro, heu! video verba Suprema cani; (tas
Qualia Mæonius, Fatis urgentibus, Ales
Funeris effundit carmina Præco ſui.
O mihi quàm vellem non hæc DALLÆE dediſſes
Dona, licet nequeant his meliora dari.
Illane vox, vox illa ſilet, quâ Sidera tangi
Quâ flecti irati ſe voluêre Dii?
Illane Lingua riget, toties quam magna ſonan-
Pacatis ſtupuit Matrona raptus aquis? (tem
Reginam toties quæ excitam ſedibus urbem,
Milleque ſuſtinuit paſcere melle Lares?
Ah! quoties licuit, ſpatioſa Lutetia, plenas
Egrediente tuas cernere plebe vias!
Ah! quoties ſpectare rotis hinc, Sequana, ripas
Hinc tua tot ratibus tota fluenta tegi.
Ad modulos ſed cuncta tuos, DALLÆE, cieri
Threicii Vatis ceu præeunte Lyra.
Non mage liquerunt properi tentoria Graji
Non ita veloces deſeruêre rates,
Neſtoreas quoties cupidiſſima Concio voces
Et peteret Dii dulcia verba Senis;

Tunc

Tunc cum Pergameæ capienda ad mœnia Trojæ
Turba Decennales ferret Achiva moras.
At postquam elinguis languentia deserit Orpheus
Culmina Silvarum, concidit omne nemus.
Ipsaque, si qua fides, tua flumina, Sequana, Fonte
Hoc tibi sublato, torpor inanis habet;
Oeagri qualis Musis adstantibus Hebri
Cum gemitu, languens protinus unda stetit.
Nil igitur, nil prisca Fides, nil candida Morum
Temperies, animi nil valuere pii.
Quin jaceas nimium quantum mutatus ab illo
Qui poteras nutu cuncta movere tuo?
O semper venerande Senex, Doctissime Calchas,
Et populi Vates commemorande tui!
Heus ubi nunc illa est quæ me Facundia nunquam
A sese exceptum sivit abire rudem
Seu tu Mœonium, me defendente Maronem
Contrà tollebas acer ad astra Senem,
Et docti adversus quondam nudata disertos
Vibrabas alacer Cæsaris arma sonos;
Seu, Cyrrhæ interea rellicto colle, petebas
Aoniis gravior Scripta soluta modis;
Jamque Oratorum Veterum plenè ipsus Achivi
Eloquii intrabas abdita Sacra potens;
Donec ad adsuetos ferres vestigia Rivos
Sæpeque Priscorum pota Fluenta Patrum,
Hîc mihi tu gratum placidus dispergere rorem
Hic mihi nimborum fundere major aquas.
Hæc ipsis Superum Mensis æquare, superque
Efferre ætatis pabula sancta tuæ.
Hic sua distinctis per lustra æqualia Scriptis
Nulli non meritas adtribuisse notas.
Jam Basili laudare genus subtile profandi,
Mistaque suaviloquis Regia verba sonis.

Ambrosii jam dulce Sophon; Sapiensq; cothurnos
Os Hilarî, & noti prima Metalla Senis;
Cœteraque elapsi conferre undantia Secli
Flumina, & ad Fontes cuncta referre suos.
Quà mihi non notas te dignabare sequenti
Semper honorandus Dux aperire vias;
Perque vetustatis quosvis penetrando Recessus
Et raris pansum sedulitatis Iter,
Talibus haud rarò totas sermonibus horas,
Interdum medios exsuperare dies;
Et dare primævo tunc delibanda palato
Pascere quæ possent olim alimenta Virum.
Illa tui at posthac quoties occurret Imago
Tam bene de nobis commeriti, Alme Senex;
Quis, mihi solvendi si debita adempta facultas
Cuncta sit, obstricto conteget ora Pudor?
Nî, tibi pro tantis meritis æqualia nulla
Quum longè his impar dona referre queam;
Pro parte ut possint cupidi jam reddere grates
Hosce sinas fungi munere ritè levi,
Qui modo dejectis passim, DALLÆE, capillis
Ad bustum satagunt adproperare tuum,
Mœrentes Elegos. qui si non digna tulisse
At pia dicantur justa parâsse tibi.
Hæc quoque jam Pictura, Manûs quam munus
Amplector, vultus relliquiasque tui, (Amicæ
Musæi Simulacra mei venerabilis inter
Semper honorato more coletur Apex,
Excipietque istas, tumulum queis Fata negârunt
Heu! nimis amotum spargere posse, rosas,
Hîc ubi nostra tuos Cœlo supposta Boreo
Hoc præ aliis jactat Bibliotheca libros,
Quantum vera sciat, quod distent æra Lupinis
Et superent sapidæ mucida frusta Dapes.

At tu, dilecti clariſſime Muneris Auctor
Effigies Magni certior ipſe Patris:
Deſine fruſtrato gemitu lugere peractum
Quem, quod jure potes & facis, ore refers.
Sit lacrimis curiſque modus, ſit meta querelis
Ne nimiâ offendas relligione Deos.
Crede mihi non illa volunt ſuſpiria Manes,
Non ea jam Divus, quem gemis, ipſe Parens.
Qui manet in memori nam poſteritate Superſtes,
Defleri elatum ſe, vocat ille nefas.

---

(23)

De Effigie plurimum reverendi Clariſſimique Senis

JOANNIS DALLÆI.

Quiſquis in antiqui defixus imagine Secli
Mirator Veterum colligis ora Patrum;
DALLÆI hos annos venerandoſq; adſpice vultus
Et circumſperſas per caput omne nives (ſtas
Luminaq; hæc, cuncta eſt quibus illuſtrata Vetu-
Labraque Cecropiis tota referta favis.
Exactæ ingenuos vitæ teſtantia mores
Nec niſi Supremi munera rara Dei.
Ætheria humanos ſibi ſi mens ſuaſerit artus
Induere & cupidi tecta ſubire ſoli
Dic mihi, Siderio ſic circumfuſa Sereno
Quo queat ornatu ſplendidiore coli?
Attamen in ſola hac ne ſpiret Imago tabella,
Eminet in Scriptis clarior illa ſuis:
Hic ſtudet Artificum vis ſiſtere poſſe, ſed iſtis
DALLÆUS ſeſe præſtitit ipſe Senem.

CHRISTIANUS AUGUSTUS.

Potentissimo

Danorum Norvegorum Vandalorum Gothorumque

MONARCHÆ

CHRISTIANO QUINTO

Avitum & Merum

Hæreditariâ auspicanti successione

Imperium

dicata panegyris

JOHANNIS HOPNERI

1670.

Quid veteres præferre cupis præsentibus annos
Roma? quid à Jano, sua quod consortia Regni
Saturno dederit, labentia secula laudas? (uno
Hic JANUM sibi CHRISTUS habet sociataque in
Nomine bina suos ostentant Omina fructus.

CHRISTUS jo regnat. nec ineluctabile Fatum
Multiplicem feriens geminato verbere culpam
Grande licet vulnus peccanti intenderit Orbi,
Omnia disjecit. Sua seu conamina Mavors
Explicat adversus, sua seu Mors spicula torquet
Contra utriusq; ictus stat inexpugnabile fulcrum
Gentis Hyperboreæ. nec Bellipotentis iniquæ
Nec, Libitina, tuæ, stantem evertere columnam
Imperii fauces, postquam exorata Potestas
Ætheria avertit cuneos clavosque trabales
Fortunæque minas. Sic surgit ad Æthera rursum
Dania, sic Superi Borealia vota secundant:
Dum Deus è cœlis Arctoaque sceptra tuetur,
Ducentemque Heroa suo de nomine nomen,
Auctorem reliquis superaturumque priores
Regali variaque ornat Patriaque Corona.
Siste tuas igitur, Pia Patria siste fluentes
Luminibus lacrimas, squalentesque exue luctus
Atratosque habitus, sumtosq; in funere summo,
Queis tuus incessit Populus pullatus, amictus.
En meliora parant, post nubila, fila Sorores,
Velleris & nivei promittunt stamina Parcæ:
Sume Pares cultus Cœloque animosa faventi
Pande fores, gratisque Deûm penetralia donis
Accumula, ornatasque frequens provolvere ad aras (fani,
Cœlicolum; procul hinc sontes, porcul este pro-
Vos at adeste pii, quotquot de nomine CHRISTI
Gaudetis, Patriæque boni fidique vocari
Magnanimi Regis cives, & dicite grates.

Gratia sit CHRISTO! Deus est qui gaudia nobis
Hæc fecit, Deus est. quid jactat Osirin & Isin

Nu-

Numina Niliacus? quid præ se extranea spernens
Inde tamen mendax mendicat Græcia Divos,
Et sibi statores deducit turba Quirini? (thenis
Nos colimus te, CHRISTE, Deum. nec notus A-
Romulidis nec certus eras, quo Vindice stamus.

A CHRISTO mihi principium, mihi finis in ip-
Ille salutifero dispellit Numine nubes, (so.
Ille pium Patriæ solatur sidere luctum
Optatis votisque pari. Deus ille gemellum
CHRISTIANO summi mensuram nominis actu
Implenti dum tradit ebur, simul omine firmat.
Omina tanta sequi fas est: discedere ab illis
Grande nefas,& crimen atrox,& morte piandum:
Et jam quemque pius cœlesti in nomine dignas
Ardor agit laudes. namq; est hæc civis honesti
Debita sors, pro Rege suo persolvere vota,
Obsequii dare signa pii. vel sola voluntas
Sufficit in tantis. vitium sed turpe silent?,
Cum se cunctorum certent diffundere voces,
Rectoris Patriæ merita in præconia. cumque
Omnigenum Regale decus dispandere sermo
Omnis amet, sive ille merus, seu ritè ligatus,
Difficile est non velle loqui. Si tanta facultas,
Quanta recensendis Regis virtutibus esset
Et generi par Divino, modo desit aventi
Conamen proferre pium; tu Maxime Regum,
Qui mihi carmen eris, talem dignare favore
Defectum supplere tuo; dignare serenâ
Fronte pii cœptis Augustos addere nutus.
Non tua dedecorant Vatum diademata lauri;
Nec tibi Regales deturpant serta tiaras
Parnassi decerpta jugis; queis tempora florent
Heroum semperque vigent: seu vescitur aurâ
Vitalis

Vitalis compago ſua, ſeu cedere fatis
Jam reſoluta parat, manet iſta fronde perenne
Inque dies cunctos decus indelebile Regum.
Majorem hac fateor, poſcunt tua robora Muſam
Haud tenui tentanda lyrâ, nec carmen in unum
Confido me poſſe tuas conquirere laudes,
Totque meas longè ſuperantia pondera vires:
At quis eò ſpirare auſit, licet entheus, actus
Ut credat ſe poſſe tuos æquare canendo?
Non ille effigie quondam decoratus ahenâ
Claudius, & queis Smyrna viret, queis Mantua, Vatum,
Judicio ſummi votum firmante Senatûs
Cæſareo, æquatus Geniis, ſi poſſet eundem,
Quidquid habet Stilico, vel quicquid Honorius ambit,
In cumulum conferre, tuos ſimilaret honores;
Non, cujus toties Romam dulcedine cepit
Thebais, ingentis magnus laudator Achillis;
Non qui Piſonum fudit præconia; non qui
Meſſalæ ſtuduit titulos intexere chartis;
Aut quos Auguſti concivit gloria, Vates;
Non hymnis celebrare Deos adſueta Vetuſtas
Semideumve Sacras per grati idyllia cantus
Docta cohors augere faces, revocata ſub auras
His tua ſufficeret, quas poſcit ſplendida Virtus,
Jure ſuo laudes: nam quantum Regia major
Conſule Majeſtas & quantum fabula vera
Diſtat ab Hiſtoria, tantum ſupereminet omnes
Priſcorum genios fulgens tua gloria, Vatum
Et ſuperat captus: nec quæ Suprema Poteſtas
Legibus haud ſubjecta jacet, numeriſve modiſve
Carminis includi ſe fert pedibuſve teneri.
Me tamen audacem Pietas facit illa, timentem
Erigit

Erigit & pergit dubitanti in carmina vires,
Perque tuos titulos ſtudioſo pectore euntem
Ad ſibi præpoſitam perducit prævia metam.
His, Auguſte, tui cœptis clementia vultus
Si velit annuere atque auram præſtare faventem,
Quæque dedit Pietas albeſcere tempora vittis,
Si radii luſtrare tui dignentur Apollo
Certus adeſt, qui me tacita producet ab umbra
Ad loca quæ pandent mihi per tua nomina fa-
(mam.
Qualis ab Oceani ſurgens Sol aureus undis
Extendit ſpargitq; jubar, mox dimovet umbram
Sedibus Ætheriis radianti luce, tenebriſque
Implicitam clare perluſtrat lumine terram:
Inde repercuſſis radiis ſplendeſcere montes
Inde pruinoſæ ſenſim revireſcere valles
Totaq; mox tellus madidum dimittere fumum
Cedere cunctarum juſſa caligine rerum:
Talis ab exceſſu Patrio, Rex maxime, Divis
Et ſummo cognate polo, conſurgis & aſtris
Ore pari Superis radians longeque coruſcans
Nubila deterges Patriæ luctumque reſolvis
Atque madeſcentem lacrimis manantibus orbem
Arctoum reficis venerando lucidus oſtro.
Progeniem tantam voluit Cœleſtis origo
Prodigiis monſtrare ſuis, quaſi diceret; Hic eſt,
Quem terris genuere Dii; quo gaudet Olympus
Præſide demiſſo Borealia ſceptra benignis
Confirmare aſtris & Danica Regna fovere.
Vix etenim Patrias tangebas juſtus habenas
Hæres, cum ſubito triſtes decreſcere noctes
Et læti rurſum ſeſe producere Soles;
Dumque tuos fauſtus Titan ſuperingeris ortus,
Acris hiems noſtræ memorandaque poſteritati
Sæva

Sæva nimis ſolvi; glaciem collidere rivi,
Flumina concretas bruma diſrumpere cruſtas;
Oceanuſque induratos mollire capillos
Omnis & adſtrictâ reſolutus labier undâ;
Nec durare mage hoc proſpecto Sole pruinæ,
Sed fugere, & ſparſim variæ ſe prodere gemmæ,
Diverſique ſolum veſtire coloribus herbæ,
Tota parens Natura ſitum deponere & omnem
In melius mutare ſinum: primordia Regni
Ne tibi læta minus fierent, cunabula vitæ
Quam fuerant; atque ut gemini Natalis origo,
Regis, & Imperii, ſibi reſponderet iiſdem
Auſpiciis. Namque illa dies quæ protulit orbi
Te primùm quam fauſta fuit, quam fœta ſecundis
Ominibus, cum clara Jovis ſplenderet Imago
Taurus, &, ut quondam ſibi conciliarat amorem
Europæ, nec Luminibus nec fronte minarum
Signa gerens; ſic Regalis tunc præſcius ortus
Compulerat Titana ſuo conſidere tergo.
Gaudia tanta ſui cernens Latonia Fratris
Juſtitiæ præſaga tuæ, Regum optime, Libram
Cum peteret; gaudebit ait, ſic lancibus æquis
Qui modò naſcetur, rectoq; examine juſti
Tutor erit. Qualis facies fulſiſſe putanda
Virginis Aſtreæ, cum proxima ſigna faventi
Firmaret nutu? fertur tunc Scorpius omni
Cuſpide depoſita caudam jactaſſe benignè
Et lances ſubiiſſe tuas. nec gaudia Cancer
Celaviſſe diu, tendens ſua brachia cœlo.
Grata Jovi Nutrix diſtentis lacte recenti
Uberibus placuiſſe Jovi conata tenello
Luſit Amaltheo cornu; ne copia deeſſet
Imperio, Rex, ulla tuo: mox æmula, Piſces,
Sidera cujuſvis tutum Typhonis ab armis

Te

Te fore nictarunt. Operam nec ſegnior ipſe
Obtulit hinc Aries qui quondam ex fraude Novercæ
Ereptum tulerat ſalvumq;in Colchida Phryxum.
Herculeum rurſus venerata eſt ira Leonis
Victa Ducem, exuviaſque libens inſigne futuro
Conceſſit geſtamen Hero. concordia Fratrum
Tyndaridum bona ſigna dedit,Regnoq; Poloque
Infenſas hiemes tempeſtateſque malignas
Dulce fugaturum tandem ſtipulata ſerenum
Semifer adſpecto redivivo lætus Achilli
Spicula porrexit non fruſtratura tenentem,
Sive feras contra præludia Martis opacos
Per ſaltus tentanda forent, ſeu vera cohortes
Vellet in hoſtiles in campo prælia Movors.
Nec Puer Idæus tanta inter gaudia Cœli
Tardior obſequium tibi præbuit atqùe paratum
Obtulit Ætherium dapibus Regalibus imbrem.

Sic tibi ſigniferæ facies micuere paratæ
Sedibus ex altis referentes tempora nati
Jam deſignati Regis Dominique Trionum
Cum ſimul annuerent certantia ſidera menſes
Exſuperaturos præeuntia vota Coloni:
Hoc Phœbo mandante, dies qui format & horas
Perque ſuas partes integros temperat annos.
Senſerat Ætherii concordia ſigna Mariti
Magna Parens rerum; Superis ſi tanta voluntas
Commendare ſuum terriſque oſtendere Alumnum;
Cauſa magis nobis ſupereſt, ait, illud amandi
Palladium,quod adhuc noſtris amplectimur ulnis,
Utque diu proprium maneat, tot vota ſacramus.
Eſte igitur celeres, celeres, mea Numina, Divi,
Seu

Seu colitis juga mista cavis, seu plana locorum,
Sive rubos saltusve suis venatibus aptos,
Aut magis erectas habitatis ad Æthera Silvas,
Sive his hortorum varios præfertis odores,
Arbuteos fœtus & cultæ germina terræ;
Seu mage diligitis strepitantis fluminis undas,
Aut fugientis aquæ sinuosa volumina rivos
Lene susurrantes; vestros properate colores
Arboribusq;, soloq;, atq; ipsis indere rivis:
Sic posthac vernabit humus, qua tantus Alumnus
Expediet gressus, sua vel vestigia figet,
Sic quidquid calcabit erit. Tunc lætus Aprilis
Jussa capessentes inter modo proximus adstans
Dicitur è gremio sparsisse nitentia dona
Et Veneres fudisse suas. Sed maxima circum
Flenopolitanum * fulserunt gaudia castrum.
Hic sua tunc visi proferre cacumina montes
Ætherias versus sedes; sua pandere colles
Hic juga graminei; circum resonantibus ipsis
CHRISTIANI geniti nomen venerabile silvis
Hic liquidi fontes lympha saliente per urbis
Contiguos vicos festivo sponte paratu
Testari meritum tanti Natalis honorem.
Inde Saholmus agros recreans, hinc Treenus, adundans
Pisce, solum genitale suis amplectier ulnis,
Mox & ad Oceanum Cimbrorum gratus uterque
Nuncius ire Patrem, tanti quem Balthicus udo
Nereus ipse sinu lætus refovebat Alumni
Declaraturus cunas; sub cujus habenis
Hinc famulaturas atque inde revolveret olim
Æquor utrumque undas, Dominumque agnosceret unum.
Tunc vaga Monticolæ, Silvani, & Rustica, Fauni,

* *Flensborg.*

Nu-

Numina, tunc junctæ Dryades, Nymphæque Sorores
Nereidumque leves circumque infraque rotati
Culmina plena Dei, tantæ dare plurima signa
Lætitiæ cœpere greges. O tempus amore
Condignum nitidaq; notâ! celebranda quotannis
Illa redit merito nostrisque Nepotibus olim
Sæpe colenda dies, & qui nascentur ab illis.
Desinat ô utinam serè semperque recurrens
Fertilis ominibusque novis cumulatior, addat
Munera muneribus seclis super induat annos,
Atque omni Patriæ votis respondeat horâ!

I nunc Fama prior & tolle vel Herculis ortus,
Vel quæ sustinuit Delus cunabula Phœbi,
Vel Jovis ipsius genitales confer honores;
Non tamen invenies quos indulgentia tanta
Deque soli Cœlique sinu profusa beavit.
Vix enixa suam fuerat SAPIENTIA prolem
Exceptamque sinus lustrârat Gratia nexu, (tus,
Cum Pater adspiciens quot signa tot omina par-
Jamque tenens Patriis, faustis amplexibus, ulnis
Infantem, meritum Cœlo præfatus honorem,
Quis dubitabit ait, num sit sententia, vel sit
Indubitata fides, quod partem legimus olim
Traditum ab Historiis partem nunc vidimus ipsi;
Heroum solitas reliquis præcellere cunas
Partubus, auspiciis: non est Exempla necesse
Trojadas Grajosve Duces committere, vel quos
Extera terra tulit, queis turgeat alta Vetustas;
Tu mihi Nate tuis omnem Natalibus aufers
Cunctandi veniam; sic sis vitalis & inter
Mortales versêre diu; te destinat Æther (tum
Culminibus, nunquam quæ exspectavêre Paren-
Vota

Vota, nec è noſtris potuit Majoribus ullus
Scandere. Sed maneat Superum decreta voluntas
Et rata vis Cœli, noſtræ quæ providet aulæ!

Hæc ubi dicta Parens dederat præſagia, præſto
Se Pieſtas ſiſtens, Regni Firmamen Aviti,
Da veneranda Parens fatur Dis grata poteſtas
Uberibus lactanda meis, has tempore primo
Ritè ſalutares poſſit ſiccare mamillas:
Me ſine carpit iter quævis fœtura ſiniſtrum,
Me ſine nec veræ patet ardua ſemita vitæ,
Nec modus apparet juſti, nec terminus æqui.
Si naſcens ſolidandus erit, ſi ſanguine puro
Et ſucco firmandus erit; has ſugere primas
Debebit mammas, ſimul hoc cum lacte tenebit
Quidquid ad Imperii dextrum moderamen abundè
Sufficiet, ſeu bella geret, ſeu pace fruetur.
Dixit, & accepto Pietas dedit ubera Nato.

Virtutes aderant variæ, totamque frequentes
Jam fulgore ſui complebant agminis aulam,
Officio vigiles multo, & certamine facto,
Quæ tantum propiore Ducem contingere nexu
Poſſet, & in tali fieri certamine victrix:
Cum reliquas inter gradiens Prudentia lances
Arripit è Cœlo lapſas, ancilia Regni,
Nectare Cœlicolum perfundit & admovet ori
Infantis; bibit ille libens, atque attrahit hauſtus
Divinos; O quanta dabas mox, Regia Proles,
Ingenii documenta tui! tunc faſcia tolli
Tunc Genio tanto minus apta ligamina ſolvi
Velle videbantur. Vix hæc ablata; repente
Infantum ſolitas cunas pertæſus & alveos

Non exſpectatis animo majoribus annis
Excelſo, nec inutilibus parere parata
Mente moris, firmare pedes greſſuq; coruſcum
Non titubante ſolum premere & procedere ave-
Indigus haud ullius opis. Sed & ille docebat (bas
Greſſus ad Imperii tete contendere culmen
Summaque venturum mox ad faſtigia rerum
Inceſſus dabat ipſe notas, totuſque decori
Corporis excellens vultuſque habituſque ferebat
Indubitata ſatis ſummi præſagia Regni.
Seu tua flectebas radiantia lumina, ſive
Auguſtos vultus Regaliaque ora movebas,
Ipſa ſimul tecum Gravitas ſummuſque micabat
Majeſtatis apex, ſed qui moderamine miſtus
Pectoris ingenui, mentiſque colore benignæ
Perfuſus: quæ grata magis quàm juncta fre-
quenter
Copula, magnanimum ſtirpem ſpirabat Avorum.
Illud enim Gentile decus, quod ſemper adhæſit
Oldenburgiacæ domui miſtura perennis
Nec ſe par, illiſne genis dubitaſſet ineſſe
Quas duraturo decorarant flore decori
Unanimes Charites? illine inſidere formæ
Quam merito cuivis poterat præferre Deorum
Judicium Paridis? Sed & hic ſe dogma Sopho-
Explicuit, quod certa peti veſtigia mentis (rum
Ex facie non poſſe negat. dubitatio cuncta
Tollitur exemplo, quo nulla exceptio major.
Namque infans tam certa dabas documenta fu-
Ætatis, tam fauſta tuis exordia ſeclis, (turæ
Totus ut Arctous jam tunc præcerneret Orbis
Dis capiti charo dignum Diadema parari.
Jamque orbata ſuo Borealia Præſide Regna
CHRISTIANO, quò ducebat Natura, ſequuta,
FRID-

FRIDRICO Divi Genito moderamina Regis
Obtulerant, dederantque tuo, CHRISTIANE, Parenti.
Ille Dei curis, has qui tradebat habenas,
Seq; suamq; domum mandans, post vota precesq;
Atque actas cœlo grates, per lenta morarum
Tædia ne traheret suspiria crebra vocantum
Ad sese Procerum, neve exspectata frequenti
Gaudia differret Populo, festinus in Orbæ
Amplexum Patriæ contendit & unica secum
Sceptriferæ stirpis solatia duxit Julum.

O si de Latio reparabilis Ales adesset
Conditor Æneidos! non linqueret ille Creusam,
Quæque diu multis habita est mera fabula, Trojam?
Insignem pietate virum, si quæreret, ecce
Magnanimum Regem Superis cognata gerentem
Pectora, nec dubiis minus hæc exercita rebus
Quàm fuit Æneæ toties mens mentio Vati.
Hic nova Regnorum series superataque Regi
Maxima Fatorum moles celebranda Poëtæ:
Hic solidus Pietatis apex; hic certus Julus
Spes Patriæ, Patriæq; domus miranda propago
Argumenta darent sublimi digna Poësi.
Non opus hic fictis, nec res hæc indiga longæ
Ambagis, pleno quæ gesta est tota theatro.
Tu CHRISTIANE decus Patriæ, comes ire Parenti
Ad sua tendenti geminataque Regna paratus
Vix tua Regali dederas vestigia sedi,
Cum totam variis lustrares dotibus aulam;
Quique adeò cinctus Virtute satellite multa
Reddideras nuper Populum Proceresq; stupentes,

Jam quoque gauderes capere in consortia Musas,
Artibus Imperio dignis infundere mentem
Cœlestis memorem stirpis, rerumque capacem
Summarum genium paribus supponere curis.
Non tibi ludus erat varios jactare lapillos,
Non celeres versare trochos, aptove flagello
More puellorum torquere volubile buxum,
Non laxo portare sinu loculosve, nucesve,
Damnososve nimis talos vetitosve fritillos;
Quæ tamen haud rarò privata crepundia magnæ
Esse solent aulæ & Natis communia Regum:
At si forte tibi sedisset ludere, ludus
Qui tibi conveniens esset propriusque placebat,
Quo posses recte faciendo ostendere Regem,
Præque aliis dignum te commonstrare corona.

Sic quoties summa ludentem vidimus arce
Nobilium aulai contractâ forte juventa
In varias agmen signis discernere partes,
Discretasque suis Ducibus committere spiras!
Inde vel inde accire globos, glomerare catervas,
Hinc illinc alas extendere, & inter utrumque
Cornu præcipuas pugnæ disponere vires!
Ordinibus nunc expansis, nunc multiplicatis
Nunc duplicem nunc æquatam componere frontem;
Nunc tormentorum diffundere faucibus ignes,
Nunc simul explosis simulare tonitrua bombis.
Scilicet Heroum sunt hæc præsagia, sunt hæ
Semideûmq; Deûmq; notæ. Sic Jupiter ipse
Parvus in Idæis fertur didicisse salebris
Fulmineas torquere faces tonitruque ciere;
Sic Liber Mavorsque tener præludia pugnæ
Et belli quondam simulacra dedisse futuri

Lau-

Laudantur. Sic Alcides, sic Hector, ut ipsos
Prætteream Divos primævo flore virentes,
Ascaniusque puer soliti se ostendere in armis
Cum populi plausu, & lætorum ante ora Paren-
Agmine diviso pueriles ducere turmas. (tum

Hæc inter Pallas fertur comitata Sorores
Succinctâ veteris tete docuisse tabellâ
Militiæ, quidquid quondam Spartanus ab ipsa
Traxerat Ægypto, quidquid solertia Romæ
Hauserat ex Grajis, quæve ipsa novissima priscis
Addiderat monitis inventa salubria belli:
Jam pediti sueto, jam pleno pergere gressu,
Jam properante magis cursu contendere in ho-
Et saltu fossas, fluvios superare natatu: (stem,
Jam, quos armatura docet, perdiscere gestus
Et cunctos implere modos; seu vulnera flexo
Corpore declinanda forent, seu tela valenti
Hostis in adversas partes torquenda lacerto:
Jam quacunque opus est parte insultare caballo
Nec leviore minus facto descendere saltu:
Nunc in equo nunc in terra cum mente manuq;
Concordi positas ictu pertingere metas.

Agmen iter si carpere habet, geniosq; locorum
Et varios præscire situs, prænôsse viarum
Anfractus, ramos, fauces, compendia, & illo
Ordine & armorum promtè superare paratu,
Qui poterit tectæ cohibere pericula fraudis.
Si reddant arbusta moras, removente securi
Difficiles aperire vias & opaca locorum;
Flumen iter si tardet aquis, tentare profundum
Si patitur transire viros, deducere primum
Paulatimq; equitum duplici distinguere turmas

Parte pedes per utramque aciem quà transeat
Altius at fluctus si non patiatur equestri (undas.
Aggere compesci, plures diducere rivum
In fossas atque inde vadum transire residens,
Aut varia pontis specie pertingere ripam.

Jam loca figendis perquirere commoda castris,
Quæ positis pastus & aquas & ligna Stativis
Suppeditare queant, nec sint obnoxia damno
Diluvii, nec aperta jugis dirisve novercis,
Et nullo præcincta loco, qui commodet hosti.
Qui prope si vicinus adest metuique meretur,
Ante opus armatas equitum disponere turmas
Immunesq; operis peditum glomerare cohortes,
Quæ reliqui tutum possint præstare laborem
Agminis, & dum fervet opus, prohibere tumul-
Interea vallum justis præcingere fossis, (tum.
Cumque viis totidem laterales undique portas
Præductis hostem titulis arcere paratas
Dirigere ad mediam quò ducit linea gromam,
Dispositæ totum legioni credere vallum,
Ut laterum tutetur opus, sed in interiori
Parte pedaturam externæ dare & auxiliari
Militiæ, via qua circum sagularia ducat;
Nocte vices certas vigilataque circumeundo
Munia, quæ vallis quæ sit custodia claustris
Explorare suis, nec perlustrare diurnas
Excubias vigilante minus tentamine curæ;
Et quidquid castrensis habet prudentia, quidquid
Convenit observare Duci, perpendere, donec
Signa velint vasis collectis castra moveri.

Præcipuè quali bellum cum gente geratur
Nosse prius, quibus auxiliis, quo fœdere nixa est,
Quæ

Quæ natura Ducum, quæve experientia belli,
Audaces ſoliti promptique capeſſere pugnam,
An cauti timidine nimis audire merentur.
Quis miles, num tyro novus, veteranus an hoſtis
Et qui continuo geſtaverit arma labore
Jamque induratus, num qui deſueverit arti.
Quo genere armorum valeat; num fidat equeſtri
Militiæ, peditumne magis ſe robore jactet
Ipſe ferox. aptuſne locus reſpondeat armis.
Planities num deſit equo. num ſilva pedeſtre
Deſerat & montana procul fiducia linquat
Agmen in adverſis infauſto gramina campis
Calce terens. juſtone dolo, num præſtet aperto
Marte ſuas tentare vices. Si prævalet aſtus,
Jam minus accinctos, fluvii dum tranſitus hæret,
Sive paludoſis ſubito infeſtare ſalebris
Implicitos, jam laſſatos nimioque labore
Sternere defeſſos, luxuve ferire ſepultos.
Jam nemorum obſcuras perveſtigare latebras
Et ſtruere inſidias loca per ſubſidere juſſas
Commoda, ſubſeſſaſq; emittere protinus hoſtes
In minus armatos & fundere prætereuntes
Incautoſque globos; plenove erumpere curſu
Palanteſque viis totiſque exſcindere campis.
Jam differre parum jam diſſimulare futura
Prælia, tantiſper donec dilatio tutum (ſtem;
Reddiderit nimium vel ab ordine ſolverit ho-
Jam magis inſtructis loca per ſat idonea pugnam
Ordinibus tentare levem, primordia juſtæ,
Paulatimque manus hoſtili adſueſcere cædi:
Æolias Phœbique ſuis adjungere vires,
Et dextrè in partes ſociatos pulveris hauſtus
Vertere in ora adverſa virûm; ſituique locorum
Et quibus utetur variis exercitus armis

Pugnandique aptare modum. quem Velitis urget
Sparsa manus, quem subsidii succincta requirit,
Quem gravis armatura locum, discernere, poscit.
Et mox pro ratione manus quâ conseret hostis,
Jam densare suas, jam dilatare cohortes,
Jam plures formare acies de simplice, frontem
Hinc æquare iterum, quadratoq; agmine Martem
Cernere directum, mox obliquare phalangem
Aut dare gibbosam, sive incurvare retracto
Tubere, quæ frontis forma est contraria gibbo.
Hinc solido infensas cuneo perrumpere turmas,
Porcinumque caput medios propellere in hostes,
Hinc patula adversum circumdare forcipe rostrum,
Et quibus aut Siculi, Persæ, Parthive, Scythæve,
Romani, Grajive modis certaminis olim
Formarunt acies, varias committere pugnas.

Jam subitâ hostiles indagine cingere muros
Mœniaque oppositâ circumvallare coronâ:
Inde per adductam tutam testudine turbam
Obsessos tectâ tacitè virtute subire
Atque inopinantes statione repellere cives,
Sique moras adversa trahant munimina, crudo
Arctatove solo ramis producere vallum:
Neve opus infestet subitis incursibus hostis,
Ante opus inque aditu sparsim defigere cervos,
Et quidquid poterit vestigia fallere hianti
Et nimis incautè loca per cœcata ruenti
Hosti, condensare. magis mox ire propinquus
Partibus adversis, & qua tutetur euntes
Vinea præcedens, lapides, virgulta struisque
Materiem reliquam valido compingere nexu,
Unde in subjectas sua fulmina mittere partes

Machina

Machina crebra queat, formidantemque repente
Nudare excubiis & defensoribus urbem.

Jam verò obsessos multis defendere cives
Artibus, & variis tumulis distinguere vallum
Altius exstructis, & post munimina valli
Assignare casas peditique & equilia turmis;
Ante, sinus varios fossarum cingere vallis,
Et cornuta suis dare propugnacula claustris:
Hinc prohibere aditus straturâ subtus acuta
Fatalesque hosti venienti reddere gressus:
Hinc erumpenti faciles præbere recursus
Præsidio, obliquis anfractibus arte paratis;
Illinc, qua tectus patefacta cuniculus antra
Reddidit, hostiles moles evertere flammis,
Et latitante dolo subita quassare ruinâ;
Imminet adsultus? vario detrudere nisu,
Admotas scalas, resupinaque corpora, & ipsas
Oppositas technas, labente repellere mole
Et dejectarum confringere pondere rerum;
Denique quicquid alit flammas vel conterit artus
Tormentis torquere suis, vel fundere cistis,
Donec ab adsultu reliquus discedat inani
Saucius, aut fessus repetat tentoria miles.

Nec minus æquoreis pernòsse quid usibus aptis
Inservire queat, vasto si forte duelli
Alea committenda mari: quæ classibus arbos
Prosit condendis, & quod navalibus anni
Structuris tempus: quo nauta, milite, victu,
Queis armamentis instructa repellere classis
Hostiles valeat vires; sive ostia mole
Sunt varia complenda maris, castrove superba
Oppugnanda sali navali littora luna:

Seu vaga ſpumantes claſſis moderanda per un-
Et contra adverſas vario molimine puppes (das,
Nunc huc nunc illuc veniat flectenda Magiſtris.
Jam nondum apprenſas contra reſonare tonitru
Ordinibus totis excuſſo, hinc prêndere naves
Injectis ferri manibus, retinere catenis,
Et velut in ſolido decernere Marte propinquo;
Jam radios ſolis, jam venti flamen acerbi
Hoſtiles contra facies, poſt terga ſuorum,
Vertere in auxilium, conſpiranteſque ſecundos
Æquoreos fluxus, auſumque omittere nullum,
Quod celeres curſus, agileſve accommodet or-
(bes.

His aliiſque olim fertur Dea virgo tenellum
Artibus inſtruxiſſe animum, nec præteriiſſe
Quidquid Alexander, Pyrrhuſve, vel Annibal, aut quis
Perſeus, aut ſimili Philopœmen clarus honore
Militiæ, contra ſummos exercuit hoſtes;
Aut quod ab adverſa tentatum parte refregit
Tantorum commenta Ducum: ſed & inde patentem
Sæpius in campum clypeoque haſtaque remotis
Gaviſa eſt tete docilem duxiſſe Virago,
Hinc imitanda docens illinc fugienda recenſens:
Queis Aſiamque Ninus Conjuxque Semiramis Indos
Obtinuit geſtis; contra qua Natus in umbra
Conſenuit, faſtuque ſimul ſubduxit amori
Se Patriæ atque oculis; queis Sardanapalus habe-
Obrutus amiſit vitiis, Medoque feneſtram (nas
Imperio, Regnoque ſuo patefecit hiatum:
Aſtyagi quæ damna tulit vehementia morum
Et bilis commota nimis, læſoque poteſtas
Incaute

Incaute commissa Duci. moderatio Cyri
Victoris, generique suo submissa Nepotis
Bellica vis ferrique rigor, Lydoque Tyranno
Regnandi species rellicta quod attulit ipsi
Victori pondus, quantùm sedare tumultus
Accensos, valuitque urbes compescere Grajas.

Hinc si quid Siculi rectè fecere Tyranni
Seligere & medios inter decerpere vepres
Si quid svave viret; quæ vexit Amilcare victo
Virtus Magnanimum ad fastigia summa Gelonum;
Aut quid ad Heroum Theronem duxit honores:
Aut ut Anaxilao Patriæ servavit amorem
Pronus amor recti; summoque Hierona beavit
Adplausu Siculæ gentis moderatio prudens
Regalique caput meritum diademate cinxit.

Inde inter Reges Macetum queis terra superbit,
Præcipuè spectare duos, Natumque, Patremq;,
Hic quibus ingentis fundamen jecerit ausis
Imperii, quibus ille Patris compleverit orsa,
Terrarumq; Orbem Patrios transgressus honores
Vicerit arctaritque modis; tam nobile Regnum
Donec in adversas divulsum cedere partes
Cœperit, & totâ Rectoris stirpe peremti
Funditus eversâ, sibi dum diadema decusque
Quisq; Ducum Regale capit, Ducibusq; cruentus
Proque his, proq; illis miscet certamina Mavors,
Quatuor inprimis demum confecerit alas,
Unde sibi pennas caperet Romana volucris.
Tantorum interea Regum cognoscere mores,
Queis Asiam, quibus Ægyptum, Syriamve, vel
Antiquas Macetum sedes rexêre; subinde (ipsas

Romulidum queis crevit apex virtutibus & queis
Artibus ad tantum pervenit culmen ab imis
Principiis, ipsique animos æquavit Olympo
Gens, pastorali quæ traxit origine Stirpem.

Sic quoties veteres volupe esset volvere fastos,
Non secus,& melius,quàm quondam Troïus He-
Romanos vidit Proceres in valle remota; ros
Cum Pater Anchises Natoque simulque Sibyllæ
E tumulo adversas Itala de Gente Nepotum
Monstraret facies; sic Clio nona Sororum
Et tibi cum decima comes indefessa Minerva
Romulidum priscos satagebat fingere vultus:
Hic Sator Imperii præfulgens Romulus armis,
Hic Numa Dîs gratus, Tullus bellator, & Ancus
Crescentem validis extendens mœnibus urbem,
Hic tibi Tarquinius, dein Servius ordine cives
Distinguens Censor; tibi commonstrare parati,
Quantæ moiis opus fundamen ponere Regni.
Hic tibi Cæsareo fulgentes nomine Divi
Julius, Augustusque, Titique & Vespasiani,
Nervaque,Trajanusque, Hadrianus & Antonini,
Post & Alexandros, Flavios, Carosque, Probosq;
Et Constantinos impleto nomine Magnos, (mer,
De Jove qui gestant, quibus aut dat Gratia no-
Theodosii, quiq; hinc gemini moderamina Re-
In partes divisa duas tenuere Regentum, (gni
Explicuêre tibi varias moderaminis artes,
Regnandique modos: jam belli quidquid in usu
Posset habere locum, deberetve ante parari:
Jam quidquid possent occluso limine Jani:
Grata reportatæ perquirere tempora Pacis.
Sive augendus erat per supplementa Senatus,
Seu nimius turbæ numerus redigendus in arctũ,
Et

Et circumſcribenda modo collegia certo;
Seu Populi fieret vicatim rite recenſus,
Perve equitum turmas priſci transvectio moris;
Sive peregrini de colluvione veneni
Urbs purganda foret: Seu res tractanda forenſis;
Quo jus dicundum ritu, quo more roganda
Quæque Senatorum ſententia; Litibus actus
Qui concedendi, quodve actibus utile tempus.
Et quid communi poſſet ſervire ſaluti,
Sive retractandæ leges, aliæve ferendæ,
Quæ nimios mulctis ſumtus, quæ crimina juſtis
Adficerent pœnis: ſeu Judex ritè legendus,
Sive Magiſtratus, variis qui partibus urbis
Proſpicerent, & ne caperet Reſpublica damni
Quidquam curarent: Ut publica cura viarum,
Ut nocturna quies, res frumentaria, cultus
Agreſtis, cumque externis commercia Regnis,
Atque peregrinis portoria mercibus æqua
Inſtituenda forent: & quæque Provincia turmis
Adſignanda ſuis: adquirendumque tributum,
Quod grave non poſſet levis increpitare popellus.

Sic belli formare Ducem, ſic pacis in artes
Derivare tuam decima cum Pallade Muſæ
Certabant Mentem. Sed cuncta Authore Parente
Geſta tuo: cujus nutum reverenter habere
Non Heliconiadum grex unquam temſerat: Ille
Sæpe per antiquos Danorum ducere faſtos
Te tenerum, Veterumq; tibi ſplendentia Regum
Ante oculos ſolers proponere geſta ſolebat.
Ille tuæ Skioldos Gramoſque exempla juventæ
Ille tibi Haddingos, primæque ætatis Hotheros;
Maturos tamen eximiæ virtutis Alumnos,
Claraque Frothonum diducta in flore virenti

Gesta recensebat similandaque facta docebat;
Ille tibi Haldanos; optataque sidera Haraldos
Discerptis Patriæ Regnis, spoliisque Gotricos
Externis claros, summoque forisque domique
Egregiè gestis quæsito nomine notos
Regneros, atque adversis ex rebus Ericos
Altius evectos, diversorumque Canutos
Regnorum Dominos, condendarumq; Magistros
Legum Valdmaros, & germina plura refertis
Ex hortis Patriæ florentia promere Regum;
Donec in illustres Majorum scanderet actus,
Et propiore suo prognatas semine laudes
Traderet excerptas exempla domestica vitæ.
Sic tibi sic dedit ipse Parens exempla regendi,
Nec solum, ut Peleus quondam securus Achillem
Semifero laterive senis Phœnicis Alumnum
Linquebat, sic tete aliis monitoribus ille
Credere contentus: simul at Præceptor & Altor
Et Pater officium varium dum rite peregit,
Præstitit, ut merito jure anteferaris Achilli.
Interea quam fida tui præcepta Parentis
Sedulus auditor fidâ quoque mente repôstâ
Servabas, memorique animo percepta tenebas!
Jam pridem Jovis excelsâ quid distet ab arce
Æmula Typhonis sedes ast æmula frustra,
Non per Majugenam quæ gloria manserat olim
Alcmena genitum, Jove sed perdoctus ab ipso.
Qualis ab hoc ipso Rectore Deûmq; hominumq;
Legifer accepit Minos arcana regendi.
Qualis in Assyrios olim cum tenderet hostes,
Postquam cognati rogitârat Avunculus arma,
Carpebat Comitis Cyrus Genitoris ab ore
Quæ dabat accincto præclara viatica Nato.
Qualis & Emathius sumebat ab ore Philippi

Quæ

Quæsita, atque apto responso objecta Parentis
Dicta resumebat, multo sermone recensens
Ille Stagiritæ studio formatus Ephœbus
Quæ faciant Regem, quæ deturbentq;, beatum.

Talibus edoctum stupuit Bellona Magistris
Tunc cum præcipites rueret truculenta per ho-
Hafniacos circum vallos, rapidosque jugales(stes
Diva suburbanos ageret furibunda per agros
In nive ferventi pugna calidoque soluta
Sanguine luxurians, contemtoresque pericli
Exitio tradens cuneos: Tunc, Maxime Princeps,
Tunc tua juncta Patris lateri præsentia cives
Firmavit, Sociumque sibi sociavit amores,
Et super extensâ Gradivum compulit ipsum
Majestate feros prostratum sistere gressus.
Jactitet insoliti miratrix prisca Vetustas
Castoridas geminos, felicia Numina belli,
Hostiles contra toties præsentia turmas:
Jactitet insigni servata ancilia ritu,
Et quæ plura pie venerata est pignora quondam
Imperii secreta sui Romana propago.
Sensimus auspiciis quid sit pugnâsse Deorum
Et quorum Dîs cura sedet. Tunc irrita, quotquot
Vota tuis inimica bonis, & vana cadebant,
Cum ferrent elementa tuis successibus auras,
Reppulsosque globos revolutaque tela referrent
Auctorum in facies, illi qui commoda venti
In tua spirabant: tunc impetus, ira, furorque,
Et quidquid volucrum præcessit inane Pavorum
Bellantum fremitus, proprio rubuêre cruore
Et telis perièrc suis, pugnantibus ipsis
Pro nobis Superis. O nubila digna relatu,
Quæ nobis fulgere diem, fulgere serenum,

Fece-

Fecerunt, reducemque novum post tristia Phœ-
(bum!

Ante aures versatur adhuc vox illa Parentis
In nido se velle mori, similisque Paternæ
Vox Geniti, se nolle Patrem, se linquere cives
Nolle suos; præstare ipsam rellinquere vitam,
Quàm Patriam. Fuit hic sermo fuit auctor a-
moris (ris
Nunquam rumpendi post hac, fuit auctor hono-
Nunquam mutanti, tibi quem, CHRISTIANE,
Te propter Pietas deferri jussit, ut inter (Patriq;
Tot Danæ Gentis, prælustria nomina, Reges
Vos primos Dominos Regniq; utriusq; vocare
Hæredes pia posteritas deberet, & inde
Inde novos titulos seriemque revolvere Regum.
Jusserat hæc Pietas, cum non sine Numine tan-
tum (lo
Cedere opus potuit; nam quis neget auspice Cœ-
Hoc venisse, sibi merito quod vindicat Æther,
Immortale decus? cujus sententia postquam
Constiterat Patriæ, subito collecta dederunt
Unanimis vobis Populi suffragia, quidquid
Ante quidem meriti, nondum fuceratis adepti.

Non primus tamen ille tuos Sol vidit honores,
Non ea prima dies Populi suffragia quanti
Te fecere dedit, cumulus fuit ille priorum
Et supplementi fuit extremi instar honorum.
Scilicet à cunctis cunctos rectura Potestas
Digna legi visa est Superis; utque aptus ab omni
Declarareris Populo, moderamen in omnes
Et plenum deinceps regimen qui rite teneres.
Vix etenim quadrimus eras, cum Curia talem
Te te censeret, successoremque vocaret
Regis

Regis, & Imperii tibi designaret habenas
Sumendas, si fortè suas subd uceret olim
Lassus cervices oneri grandævior Atlas.
Sic Regni Augustus Princeps electus, ut inde
Dux verè extiteris Patriæ Princepsque Juventæ,
Nemo licet posset nescire, patente theatro
In quo te stiteras; tamen hoc à voce frequenti
Altius elatum post quinquennale peractum,
Cum tibi sub dio præstaret more vetusto
Quisque sacramentum fidei tunc ante dicatæ:
Crescenti tunc Fama tuæ solennibus actis
Virtuti prius addictos patefecit honores,
Præmiaque ætati jam designata tenellæ
Clarius extendit, totique insigne tuendum
Principis exemplar imitandumque obtulit orbi.

Summa fuere quidem, quæ sic concesserat Æ-
Nec licet in priscis Danorum cernere fastis (ther,
Majores istis titulos; majora sed inde
Gloria cum Virtute tua certamina inivit;
Et prior hæc veluti grato contendere nisu
Perrexit, propero se sistere nescia cursu,
Sic comes illa pari gressu non desiit antè
Pergere, quàm summo vidit te culmine rerum,
Quo cuiquam venisse datum, sed jure potitum,
Et veluti summa respexit in arce locatum.
Quis satis illius poterit celebrare diei
Gaudia condignè, quo te cum Patre sedentem
Rite salutabant Proceres Dominumq; vocabant
Ætatisque statûsque omnis longo ordine Cives:
Cum tibi deferrent ultro pro seque suisque
Hoc jusjurandum, quod deinceps obligat omnes
Imperii partes, quo se suaque omnia pro te
Atque tuis devoverunt, propriumque dicârunt
Omne

Omne poteſtatis tibi nomen, eoque ſolutum
Te declararunt vinclo, longiſſima retro
Quo fuerat Regum ſeries devincta priorum.
Quantus erat ſexus ætatis & ordinis omnis
Adplauſus! non tecta modò ſpectare licebat
Spectantum completa globis, multaq; feneſtras
Mole laborantes, ſed nil vacuum eſſe locorum
Inſtabileſve gradus, vel qui ſuſpenſa ferebant
Atque adſcenſuro veſtigia plena periclis.
Sive vias, ſeu quos pontes habet ambitus arcis
Reſpiceres, & ſtrata ſuis & tigna referta
Cernere erat cuneis; ipſa hæc quæ brachia pontes
Extendunt, & quæ cohibent tabulata catenis
Vidimus innumeris oppreſſa fatiſcere turbis.
Quid memorem plenos trabibus portuſq; ſinuſq;
Venaleſque rates, pretio pecibuſve, repletas?
Quid memorem ratium non ſufficientibus alvis,
Scandentum proras puppeſque & pondere malos
Sæpe vacillantes nimio caſumque minantes?
Talis erat quaqua poterat ſpes ulla videndi
Eſſe Tui, facies; ſpectantibus omnia plena
Gratantumque globis. Mox cum Patre ut inde redibas
Ad Patrios iterum, poſt jura accepta Penates,
Quam fuit obſtructus trames, qui duxit in arcem,
Circumcurſantum cuneis & pone ſequentum!
Quæ fuit illius, cui menſæ accumbere veſtræ
Vicinaque ſuos Dominos de ſede tueri
Conceſſum fuerat, ſpecies jucunda coronæ! (ſus
Quis fuit adſtantum grato cum murmure plau-
Cum non ſe exundans caperet feſtiva voluptas,
Adſpectuque exaucta tuo prodire ſtuderet
Pectoris anguſtas jam dedignata latebras!

Aſt

Aſt hiemis veluti conſurgens maxima moles
Temperiemque probat pelagi, cœliq; ſerenum
Commendat, ſic augendo Regumque decori
Imperiique bono præmigravêre procellæ.
Clarior ex ipſis namque incorrupta tenebris
Emicat & fulget Virtus, & preſſa parumper
Altior exſurgit, rebuſque probatur, ut aurum
Igne ſolet, duris, & purior inde relucet.
Quin prius excipienda Jovi Titania bella,
Et periturorum licet irrita tela Gigantum
Majori ut poſſet cum jure capeſcere regnum
Et Genitor Rectorq; hominum Divumq; vocari.
Nec ſine permagno venalia magna labore
Conceſſit cuiquam eſſe Deus. nec vellus Jaſon
Hoc ſine Phryxeum potuiſſet habere petitum,
Ipſe nec in faſtis Patriis cepiſſet Hotherus (coni
Armillamq; enſemq; ſine hoc: nec Frotho Dra-
Servatum implicito dextrè eripuiſſet acervum.
Non aliter majuſque decus majore labore
Conſtantique animo dudum, CHRISTIANE, parâſtis
Tuque Parenſque tuus: rigidum felicius autem
Non Ariadneum Labyrintho Theſea filum
Explicuit, quàm vos vario diſcrimine rerum
Abſolvit Pietas ſociataque ſtrenua Virtus.
Sic ſatis eſt experta tuas, celſiſſime Princeps,
Ambiguis anceps vicibus Fors utraque vires,
Dum licet inculpatus eras, nec tela Novercæ
Ulla merebaris, tamen hanc ſubſternere arenam
Materiemque tuæ voluit ſupponere laudi,
Ut cum te invictum cunctis monſtrâſſet apertè
Caſibus adverſis, majorem deinde ſecundis
Præberet rebus: nam quæ perſæpe procellis
Mens infracta ſtetit, nonnunquam victa ſereno
Ceſſit

Cessit, nec valuit Zephyrum tolerare faventem,
Quæ contra rapidos erat inviolabilis Austros.
Sic, alios taceam, mens, imperterrita contra
Quæ fuerat gladios & tela minantia Martis,
Pellæi Juvenis, quàm dein resoluta superbè
Se gessit, quemq; haud poterant tot bella movere,
Nonne hunc evertit discincta licentia Regni?
Ne referam è Capreis Tiberi malefacta Neronis,
Quem tamen extulerat summa experientia re-
Nonne & qui voluit Romani dicier alter (rum:
Conditor Imperii, primusq; sequentibus Auctor
Cæsareos titulos Augustaque nomina pandit,
Post Pompejanas, tot maxima prælia, clades,
Concussosque Patres, eversaque jura Senatus,
Et sibi subjectos debellatosque Quirites,
Antea totius qua late tenditur orbis
Terrarum Dominos, anne expugnatus ab illa,
Viribus in propriis quam credebatur habere,
Fortunâ, humanis satiatus honoribus, ultra
Dum cupit admissum mortali scandere culmen?
Utque hanc quis potuit reverenter habere Magistram,
Ipsa tamen quoties titubantes reddidit ætas
Scipiadis ipsis, dum fervet lubrica, gressus?
Nec Catulos Fabiosque nisi maturius ævum
In melius vidit mutatos. Attamen istos,
Est prægressa tuæ, morum sibi dicere legem
Jam dudum adsuetæ, longè excellentia mentis,
Maxime Rex, Proceres; vicitq; modestia cunctos
Nescia Fortunæ minitantis turbine frangi,
Nescia ridenti ludentis imagine falli,
Nesciaque annorum sese excusare favore.

Tu summis Princeps decoratus honoribus illo
Nil

Nil prius aut potius tibi dexteriusve putâsti
Incœpto, quo te dignum diademate tanto
Atque parem posses oneri monstrare ferendo.
Ergo tua placuit luce illustrare Boréum
Et Patrii regere auspicio moderaminis orbem.
Primus at Oceanus tunc testaturus honorem
Vectori meritum tanto, justoque profundi
Obsequium hæredi, fertur posuisse procellas,
Adque tuum motus placitum jactâsse benignos,
Marginibus donec favor adsignâsset euntem
Æolius navemque illæsaque carbasa terræ.
Quantus at occursus fuit hic juvenumq; Senumq;
Ut primum fausto Borealis littora ponti
Adscensu dignatus eras, istumque benigno
Adfatu, & vultu Titana æquante beâras
Optatum Numen certusque salutifer orbem?
Vix credo Ausoniam sic exsultasse Cybelle
Cum Phrygia Divum Genitrix advecta veniret
Sede, modum adversis finemq; datura periclis;
Sive Coronidem cum Tybridis insula primum
Cerneret, auxilium præsens, certamq; medelam
Adflicto miserè funesta tabe popello.
Tu miserumque audire preces, & ferre roganti
Pronus opem populo: tu litibus addere finem,
Has æquo componere, eas decernere justo,
Adfectu nimio nunquam laxante tenorem
Aut cohibente modum. tu solem mittere nullum
Qui benefactorum non conscius esse tuorum
Et testis posset; spatium nec temporis ullum
Ire pati, secum plebis quod ferre querelas
Posset inauditæ, gemitusve relinquere causam.
His ibi te studiis noctuque diuque vacantem
Quàm tua dimisit ægrè Norvegia! noctes
Perpetuas metuens, si se subducere vellet

Phœ-

Phœbus, & expoſitas tenebris rellinquere terras.
Aſt hinc te rurſus repetebat Dania. qui tunc
Arctoi gemitus & quæ ſuſpiria Regni!
Talis ab excelsâ (licet omine nupta ſiniſtro
A titulis juſtis ſociata Conjuge differt)
Arce tuebatur ferventia littora nautis,
Et Libyæ è ſpeculis contemplabatur in altum
Provectum Æneam vacuato littore Dido.
Mitte tuos planctus, Norvegia, mitte querelas,
Non ſi natales Phœbus converſus in oras
Maternam repetat Delum, rellicta putandus
Immemor hibernæ Lyciæ ſpreviſſe fluenta.
Regia cum Superis habet hoc commune Poteſtas,
Diverſis ut ineſſe locis, & Numine poſſit
Per mare per montes per & invia & avia vulſas
Et regere Imperii & dextrè defendere partes.

Inde redux, poſtquam Patriamq; Lareſq; Pa-
Ritè ſalutâras, quæ nomine geſta Parentis (ternos
Quantum inter plauſum recitâſti, maxime Prin-
ceps,
Hæc verò addebas, Poſtquam me novit utrumq;
Chare parens Regnum, nec ego jam neſcio
quanto (more,
Nos noſtramque domum ſimul amplectatur a-
Hoc, quæſo, permitte mihi, queis creſcat amoris
Flamma accenſa, foris tibi nutrimenta requiram
Et velut inter apes quæ preſtantiſſima flores
Pervolitat varios, ut ſi ſibi repperit aptos,
Quidquid ineſt ſucci melioris carpat, & inde
Uſibus humanis famulantia commoda reddat.
Sic ſine, quæ poſint Patriæ ſervire ſaluti,
Moribus ex variis Populorum auliſq; Regentum
Conveniente legam curâ & collecta reportem:
Ut

Ut, pro qua voluisse mori laudabimur olim,
Hac quoque pro Patria dici possimus uterque
Per mare, per terras nec frigora dura nivesque
Nec magis externos unquam fugisse calores.
Quin si exempla juvent, non his caret alma Vetustas,
Ne referam priscos hoc notos nomine Reges,
Patris in Exemplum mihi sufficit ire Juventæque
Et peregrinandi de te mihi sumere leges.
Hæc tua te, Princeps, Virtus tunc addere fecit
Arctato indocilis se circumscribere gyro:
Ast Amor ipse tui majora pericula veris
Fingebat, jam quidquid habet mutabilis ætas,
Jam quidquid capiens multos peregrina voluptas,
Jam quidquid varius confert discriminis aër,
Hinc Patriæ retrahenti atq; inde Parentibus ipsis
Objiciens, donec tandem detraxerat omnem
Prætextumque moramque metus, tua cognita Virtus.
Nec quidquam de te Virtus præsaga futuri
Pollicita est, quod non solvisti fœnore multo.
Tu mistam Libyæ prolem monstrumq; biforme
Pectora Virginea & pucherrima colla papillasque
At serpentinos morsus dirumque venenum
Atque necem captis certam referentia membra
Evitare sciens. non te promissa morata
Blanda Voluptatis, non scintillantia flammis
Lumina tardârunt, aut alludentis imago
Quem semel ingressus fueras, vel detulit unguem
Tramite de recto: Sed mens sublimis odores
Sprevit Achæmenios dependentesque comarum
Ambrosios luxus, & mistum vestibus aurum (sit.
Atque animum quidquid vitiat dum sensa lacessit.
Sic

Sic Heros quondam Latius quoque prætulit hir-
Scipio Virtutis frontem fragrantis amomi (tam
Deliciis, & ſaxoſis recte otia clivis
Poſt habuit, nec pollicitis ſeductus ab æquo
Imperturbati deceſſit temporis horis:
Amphitryoniadis veſtigia ritè ſecutus
Quem Xenophonteis in ſcriptis dulce relatu,
Socraticus memorat Prodicus Virtutis eandem
Ingreſſum triviſſe viam. Sic magnus Ulyſſes,
Dux habitus priſcis vitæque exemplar honeſtæ,
Non modo ſollicitus, quo ſe conamine contra
Antiphaten, Ciconaſque, immanſvetumque
Cyclopa,
Et gemini rictus barathri defendere poſſet,
Præcipue ſtuduit ſe contra armare malignos
Lotophagæ gentis fructus, & pocula Circes
Sirenumque modos, Patriamq; reviſere prudens.
Talem te Batavi, talem videre Britanni,
Germani, Gallique Ducem, celſiſſime Princeps,
Et ſtupuêre tuæ tantas in flore juventæ
Intuiti fruges, quantas Prudentia longæ
Conciliat ſolet vitæ & maturior ætas.
Sed quid iter magni calamo Colophonis Alumni
Adgredior dignum deſcribere, viribus impar
Materiæ illuſtri, nec juſtis paſſibus æquans
Splendoremve Ducis peragratarumve viarum
Diverſos tractus; nec poſt data tot documenta
Publica privatas curat Tua Gloria voces.
Namque alios ſileam, teſtis qui Carolus Anglis
Poſt varios caſus exantlatoſque labores
Imperat, & triplicis fulgens diademate Regni
Concordes majore regit ſplendore Britannos:
Ille Periſcelidis dum ſe tibi jungere nodo
Gaudet, & Heroi cognato è Sanguine creto
Pignus

Pignus amicitiæ titulos commendat equeſtres,
Hoc ſtudet indicio teſtari ſummus amorem
Præco tuæ laudis, quo totum corripis orbem,
Devinciſque tibi velut irreſolubile nexu.
Teſtis & æternis redimitus tempora lauris
Ille peragrando regionum victor, & hoſtis
Terror Iberiaci, Ludovici inſigne trophæis
Nomen ab undecimo qui geſtat tertius inter
Francorum Reges, qui dum tibi baltea donat
Gemmatique latus gladii circumdat honore,
Quale vel Euryalus munus donarat Ulyſſi,
Quale vel Ajaci donum conceſſerat Hector,
Te ſatis inſigni gemmæ geſtamine Divæ
Oſtendit, res ſive domi bellive gerenda,
Juſtitiæ rigidum & veræ Virtutis Alumnum.
Quid memorem tot ab his, queis nunc Germania paret,
Principibus delata Viris documenta parati
Officii genus omne tibi adfectuſque benigni?
Haud aliter reliqui venienti adſurgere Phœbo
Dicuntur Superi, perque æthera ritè meanti
Undique multiplices Divum, ſi credere Vati
Fas eſt Antiquo, præſtat chorus omnis honores.
Nam, licet ignoto cuperes tranſire per orbem
Nomine, clara tamen facies morumque ſerenus
Ille tuus fulgor, non ullis nubibus indi
Uſque adeo potuit, quin noſceret ocyus omnis
Te mediis etiam immiſtum comitatibus Orbis.
Sic ævo veteri ſi Jupiter induat artus
Mortales, Superumve aliquis deſcendat ab auris
Ætheriis, licet ille ſuos conamine vultus
Diſſimulet vario, vario velamine formam
Cœleſtem inducat, fictoque obducat amictu,
Ut primum tamen ignotæ ſermone vel ullo

Oſtenſa eſt alio formæ præſentia geſtu,
Licet externo celari neſcia cultu
Majeſtas hinc inde micat, Divumque latentem
Corpore in adſumto mortali major imago
Prodit & humana ſpecies auguſtior oris.
Sic ego te vidi, quamvis circumdatus eſſes
Et ſtudio immiſtus turbæ, tamen undique multo
Monſtrari digito, voce alternante tuentum:
Hic eſt ille ſuæ Patriæ decor, illa Parente
Digna ſuo Proles, hominum ſpes, cura Deorum,
Civibus immenſum quantum dilecta Poteſtas,
Quam propter veteris tanta eſt mutatio Regni
Facta, per annales ut ſi mens ambulet omnes
Atque vices rerum primis perluſtret ab annis,
Nil ſimile inveniat nil quod conferre vel ulla
Parte, queat, cernat Regis quæ pulchrior eſſe
Quæ venerabilior formari poſſet imago
Principis effigie tanti? qui gratus Olympo
Civibus acceptus peregrinis charus & ipſi
Invidiæ magnus ringenti, humaniter omnes
Exceptat, licet ipſe homines ſupereminet omnes,
Quem procul humana de conditione removit
A Superis ortus, & Dîs æquata poteſtas
Secrevit populo. viden' ut micat inter euntes
Una tot comites, viden' ut ſupereminet omnem
Illuſtri vultus morumque nitore catervam!
Quantum præcellit reliquis præſtantior aſtris
Lucifer atque alios ſuperemicat Heſperus ignes.
Talia jactabant aliæ præconia gentes,
Dumque tui placido paſcebant lumina vultus
Intuitu, meritas certabant ſpargere laudes.
Interea quàm longa tuis abſentia Regnis
Viſa tua eſt! quot vota tui pro ſoſpite Cives
Fundebant reditu! non Laodameia Maritum
Sæ-

Sæpius optârat; pia nec revocârat Ulyſſem
Penelope toties. Quoties ſuſpiria votis
Miſcebant timidi, ne quid contingeret illi
Unde ſalus dependeret communis, & unde
Pars animæ major caderet ſtaretve Boréi
Imperii! quoties Dominum pelagique ſolique
Poſcebant precibus crebris in vota ſecundum,
Seu ſolida in tellure tuos proferre placeret
Tranſcurſus, ſeu tete undis committere velles,
Ne quid depoſito tanto telluſve ſalumve
Humani adferret, quin ſartus tectus ab omni
Incolumiſque malo tua Regna reviſere poſſes.

Audiit ipſe preces, gratoſque exaudiit orbis
Arctoi gemitus, totum qui temperat orbem
Imperio nutuque ſuo, ſalvumque remiſit
In patulum Patriæ gremium, quem totus anheli
Ambitus imperii toties revocârat ab oris
Externis reducem. Quæ tunc nova gaudia mentes
Invaſere hominum, cum nil temerata viderent
Principis ora ſui peregrino aut ſenſa calore
Sed firmata leves contra præcordia mores
Spectarent ardore magis poſſeſſa decori (ſtris
Quam fuerant unquam variiſque inſtructa mini-
Artibus, Imperii quas olim Rector in uſum
Explanare ſui poſſet! quot grata Penates
Jubila lætantem Patrii celebrata per aulam
Excepêre ſinu, Genii pro ſoſpite tanti
Et ſalvo adventu! quantas Materque Sororeſque
Atque minor Frater certârunt fundere grates
Pro reditu CHRISTIANE tuo! ſed cuncta tuorum
Gaudia, grandævi ſuperavit læta Parentis
Mens, præſaga diu ſolvendæ corporis umbræ,

Ætheriæque iterum repetendæ conscia sedis,
At jam certa suæ subituri pondera molis
Herculis, & Patrio cineri bustoque daturi
Alitis æternum vires floremque juventæ.
Ille ubi Cæsareo CHARLOTTAM stemmate na- (tam
Connubio junctam tibi viderat, atque resultans
Cum Witikindeo Carlinum sanguine semen
Commistum, tacita spe præconceperat aulam
Codanam digna facturum prole beatam;
Jam Regni vitæque satur totusque supernis
Sedibus addictus, cupidoque paratus olympo
Sese inferre, tibi sua cum mandata dedisset,
Qualia Theudosius fertur suprema dedisse
Mox decessurus monita & Præcepta relicto
Hæredi, tandem securus in æthera scandit,
Jam Superis certus se posse vacare triumphis.
Hac à parte etenim longe felicior ipso
Theodosio FRIDRICUS erat, quod linqueret uni
Imperii regimen gemini, populosque remotos
Ast individuo conjunctos jure regendos
Legitimo Hæredi & Genito conferret adulto,
Qui non tutorum malefido obnoxius esset
Præsidio, sed post annos cum laude peractos
Quos non majoris momenti rebus agendis
Jura pares censent, patrimonia justior Hæres
Ritè gubernaret, tituloque capacior omni
Commissas summa cum lege teneret habenas,
Maturoque suas regeret moderamine gentes.

Macte bonis tantis fortunatissime Regum
Et titulis CHRISTIANE tuis modo Regna capessens
Scande relicta tibi tandem fastigia, quæ tot
Optarunt Reges, multi molimine vano

Affe-

Affectaverunt, pauci sine cæde cruenta
Tentarunt, sed in hoc tempus contingere nulli
Hac qua tu potuêre via regnare rogati.
Adversis alius studiis aliusque sinistro
Omine, & auspicio nullo sibi sumpsit habenas;
Illis imperium venalia castra dederunt,
Corruptusque auro imposuit diademata miles;
His irretitæ donis suffragia plebis
Emtaque muneribus popularia vota tiaras:
Sunt quos in partes compago soluta Senatus,
Et discors Procerum fecit sententia Reges:
Sunt quoq;, queis titulo majestas contigit æquo
Regia, at hæredes non permansura Nepotes;
Vel si continuus regnandi cesserit ordo,
Non tamen, humano quæ jure soluta, Potestas.
Te fausto & simili nullo existente per orbem
Exemplo, meriti geminatus & auctus honoris
Cingit apex, ornatq; tibi caput; ambitus omnis
Quem populi concors Danorum elegerat olim
Imperio successorem, mox deinde supremis,
Sic voluit rectrix hominum Divina potestas,
Non adfectantem donavit juribus ultro.
Queis modo suffultus regimen dum suscipis, in te
Nil miles, nihil ambitio, popularis & aura,
Nil Procerum fastus rerumve cupido novarum
Juris habent quidquam. tua sunt quæ cernis ab asse
Regna Hæres, legesque super jurisque tenorem
Humani positus soli parere teneris,
Cujus in his terris censeri tendis imago.
Haud aliâ ratione tamen quam legibus olim
Paruimus, tibi jam paremus, & inter utrumque
Imperium discrimen adhuc non novimus ullum,
Hoc præter, quod in unius dum cuncta potestas

Delata arbitrium est; se lex animata tueri
Hoc possit melius contra ambitiosa Potentum
Vota, nec adfectûs ulla jam peste laboret.
Usque adeo summæ cum libertatis amore
Convenit Imperii data quæ tibi summa Potestas.

Respicit è Cœlo Genitor modo Divus, ut ipse
Quem terris & quo terras & Regna beavit,
Jam sua quæ nuper dederat præcepta sequaris,
Nominaque tituloque tuos & mente modesta
Suscipis, & nunquam cessante labore rependis;
Et licet ad summum longè post terga relicta
Crescendi remorâ, venisti culmen honorum,
Haud intermittas tamen istæc cuncta patrare
Quæ possent unquam fastigia tanta mereri.
Orditur Regnum, consolaturque Propinquos
Regalis Pietas, & dispensata per omnes
Rite modos actusque haud obliviscitur inter
Tot circumfusos aulæ mistosque ululatu
Plangores Regni: & nec pompæ parca decoræ
Nec nimis effusi pro tempore prodiga luxus
Cœlicolum Patriæque simul pergrata favorem
Obtinet & laudem. Comes est Astræa, nec orbum
Funestas inter taxos mœstasque cupressos
Se sentit, Geniove vacat Regale Tribunal.
Hoc fuit Augusti quondam memorabile votum
Cujus non quenquam caperent fastidia Regni
Illius ut posset dici moderator & auctor.
Tu passu CHRISTIANE pari contendis, id unum
A Superis optas, atque id pro viribus unum
Justitia & Pietate tua, qua præcipis omnes
Longe Augustorum titulos, conaris, honore,
Quem tribuêre Dii, in quem juravêre tributum
Arctoæ Gentes, ut possis dignior esse,

Atque

Atque novis titulos meritis ſuperare priores.
A tete incipiens, reliquis exempla daturus
Ne graviora tuo prætexas nomina fiſco,
Frugalis quanquam, dimenſum contrahis aulæ,
Munificuſque licet, tamen ipſe impendia, ſolda
Ut conſtet ratio, rectâ ratione gubernas; (una
Et licet haud unquam quidquid manus erogat
Altera reſpiciat, tamen utraque computat æqua
Imperii reditus libra, ne deſit ab una (quum
Parte, quod in reliqua ſupereſt, & pondus ini-
Degravet alternam lancem. Sic denique diſcant
Quotquot inutilibus diſperdunt ſumtibus aſſem,
Et benè, ſed falſo ſuaſu, tranſacta loquuntur
Tempora, quæ molli fluxerunt marcida luxu,
Regis ad exemplum cujus tenet omne receſſus
Pectoris eximium, proprios componere mores,
Deque Palatino diſperſos vertice latè
Virtutis radios privis inducere tectis.

Pro lubitu Fortuna ſuas nunc dirigat alas,
Nec modò quas Regis cameras habet aula priores
Atriaque ante illas, ſed & ipſa cubicula ſcandat
Quidquid & interiora tenent penetralia, famæ
Proferat, in medium ut proclamet, & offerat Or-
Nil tectum, nihil occulto ſine teſte receſſu (bi:
Celatum ex geſtis optat CHRISTIANUS haberi,
Virtutis nec limen habet documenta minora
Interius, quàm tota foris ſpectacula, quare
Nil magis affectat penitus quàm poſſe patere
Et velut expoſitus communi ſtare Theatro.
(laudes
Quis memorare tuas potis eſt, Rex maxime,
Cum varias variis impendis temporis horas
Rebus & haud quidquam patiaris inutile labi;

Sive in Regali das Majestate verendus
Legatis solio responsa stupentibus Heros:
Seu tua proponis coram interiore Senatu
Consilia, & Patriæ quæ noxia quæque saluti
Commoda perquiris, vel per collegia tractas:
Sive salutantum turbæ absentumve medelam
Fers votis & pronus opem, querulamq; papyrum
Perlegis intentus, subsignandosque libellos
A capite ad calcem percurris sedulus, ante
Quàm tua subscribis Regali Nomina dextrâ,
Præsidia adflictis, & formidanda superbis
Quos malefactorum mala culpa redarguit ipsa:
Seu tua perlustras armamentaria, solers
Militiæque tuæ quæ sunt data nomina lustras,
Atque Tribunorum rapido defendis ab astu.

At quoties Patrio conscendis more Tribunal
Legibus accinctus, qua libertate Senatus
Te coram, profert resecantia vota querelas!
Discessisse licet, nec dissentire negatum
Aut sensus animi depromere, tuta rogandi
Libertas, & quæ ratio vult copia fandi,
Nec cedit melior primo sententia voto,
Dum non quis dicat sed quam conformia legi
Spectatur. Tunc nulla tibi cunctatio longa est,
Cum des judiciis majorem sæpe diei
Partem, nec credas melius te temporis horas
Posse locare tui, quàm si delicta rescindis
Et rectè revocas facta, insontesque tueris,
Castigasque reos, & jura cuique ministras.
Seu rigidum lenis jus, & deflectis ad æquum
Justitiæ normam, jam res jam tempora rerum
Exacte trutinans: seu spem præcidis avaris
Auri Judicibus: sive intercedis iniquis

Sæpe

Sæpe Magiſtratus actis, infectaque reddis
Quæ fieri minimè decuit. Quæ turba tumultuſq;
Atque irrumpentis Populi feſtina cupido
Cernendi tanti vultuſque atque ora Monarchæ!
Qualia ſpectavit quondam Tirynthius Heros
Ora Jovis Genitæ circumſtipata Deabus
Hinc illinc variis, quæ dictaque factaque recta
Dirigerent ratione Deæ. Quam creber ad ipſos
Cancellos ſtantis percunctantiſque coronæ
Adplauſus, quoties ſententia lata ſuſurros
Efficit arrecti Populique & ſenſa pererrat!

Hæc ſi cepiſſet quiſquam primordia Regni
Trojadum Grajumve Ducum, radioſq; coronaſq;
Inter & ipſorum ſellam meruiſſet eburnam
Divorum ſtatuas. Sed tu non talia captas
Humanè licitos quæ tranſgrediuntur honores.
Non Tibi cum Perſa mos eſt interprete niti
Et Majeſtatem de vano accerſere faſtu: (bram
Non per honorandam ſimilantis imaginis um-
Aut fragiles ſtatuas Romano more ſuperbus
Poſcis adorari nimio tua Nomina cultu.
Numinis aſt inſtar cujus vice fungeris, audis
Præſentes Præſens, & jam ſolamen egenis (quam
Jam protendis opem: tua nec patientia quen-
Linquit inauditum, cui juſta eſt cauſa querendi,
Sæpè vocas ultrò timidos, ſermonis honore
Nec dedignaris meritos. Ne tranſigat annos
Mens in ſeceſſu vel amet generoſa latebras;
Prodeat in lucem, ſi quis latet, appetat aulam;
Et decori Aulai Domino ſeſe offerat ipſi,
Tunc diſcet me vera loqui, cum viderit ipſum
Alloquio Regem quàm libera turba Clientum
Adgreditur, quamq; ille iterum gravitate ſerena

Excipit adſtantum quas promunt ordine voces.
Hic loca prima tenet Meritum; propiorq; mere-
Eſſe ſuo Regi, qui ſe probat eſſe priorem (tur
Inſigni virtute aliis. Stat Regis in uno
Gratia cum probitate loco; gradus unus & idem
Ducit ad utrumvis ſic culmen, ut inter amorem
Principis ac famæ viridis faſtigia nullum
Linquatur ſpatium, tam firmis nexibus hæret
Regis amicitiæ Virtus conjuncta, nec ulla
Se retrahi patitur techna; nec Stemma vel extra
Quæſitum decus atque alio de lumine lumen
Interceſſoriſve auri vox illita fuco
Debita virtuti ſibi poſcere præmia tentat
Alteriuſve ſatos operâ ſuſtollere fructus.
(gum.
Hæc bona ſunt animi, queis, auguſtiſſime Re-
Jam tua cum tanto fauſti primordia Regni
Condecoras plauſu, quantum meruiſſe peractis
Vix potuêre alii longi moderaminis annis.
Nec minus excellis quoties bona cætera profers
Corporis aut ſortis, quæ ſunt tibi ſumma, ſed
Rectoris dotes Genii, mentiq; miniſtrant. (infra
Præter enim ſummam Regali à ſtemmate ſtir-
Cujus cum Nili celatur origine vena, (pem,
Sic oculos, ſic ora refers, ut ſplendida ſedes
In te Virtutis pateat, genteſque, decora
Corporis à Specie ſuetas ſibi ſumere Reges,
Auguſto poſſis merito devincere vultu.
Nec pateris bona tanta ſitu ſqualere, ſed omnes
Quæ Regem deceant artes, & Tullius olim
Dejotaro laudi duxit, ſic excolis, ipſi
Ut tete ſtupeant, qua pollent arte Magiſtri:
Nam quis te Caſtor, quis te ſuperaret Achilles,
Quis tibi Bucephalus vel quis licet unius olim
Cæſaris

Cæsaris incessum tolerans, parere negaret,
Cum facis alipedem rigidis servire lupatis
Regali moderante manu, Dominumque vereri;
Sive jubes totum circumvolitare rotato
Cursu orbem, seu vis medium diffindere gyrum.
Inque vices postquam latus in versatus utrumq;
Dissecto in circo gyros formare minores. (est,
Seu prope cancellos Xantho jam rite rotato,
Calcari stimulante, effusis pronus habenis
Et sude dispositâ appensum decurris ad orbem,
Quis tunc de Comitum turba genibusve ferocem
Flectit equum melius dextrave decentius hastam
Vibrat & aptata pendentem promptius orbem
Cuspide per medium trajectum detrahit? aut
In medio cursu potiori sistit hiantem (quis
Cornipedem gestu; tormenta quis ocyus inde
Pendula depromit, figitve volatile plumbum
Certius excussum reboanti pulvere metæ?
Quis femori abducto citior ferit alite telo
Oppositum pectus? dextrave paratior ensem
Nudat, & è sparsa magis inclinatus arena
Excipit, exceptumq; caput conspectior aufert?

Prædicet ipsa tuos toties quos conscia vidit
Et toties stupuit venatus Delia Virgo,
Alipedi insidens rapidi cum fulminis instar
Per juga, per valles, per plana, per avia lustra
Antevenire soles Zephyrosq;, Notosq;, sagittasq;
Et si quid celeri possit superare volatu
Æoliasve fugas, excussi aut sibila teli.
Hæc summos semper delectavere Monarchas
Ludicra, & hostiles contra Mavortia pugnas
Pectora maturè præmunivêre Potentum.
Sic ipsum quondam vidit Latonia Cyrum

Cum Comitum turba lustrantem tesqua priusquam
Magnanimus Medis metuendos vinceret hostes;
His quoque perspexit Mithridaten lusibus annos
Primævos, viresque induravisse, priusquam
Tenderet intrepidus contra Syllasque Ducesque
De Latio reliquos, quos lustra per octo lacessit.
Nec numerare vacat tot qui incrementa laborum
Hinc voluere sibi & primordia sumere laudum:
Nec caret exemplis paribus veneranda Vetustas
Patria, quæ simili specie Virtutis Hotheros,
Frothones, Skioldosque, aliosque hoc nomine Reges
Commendat, quos sæpe suos errâsse per agros
Dania spectavit, nemorumque intrâsse recessus.
Tu quantum gaudes vestigia grata tuorum (gum,
Hac quoque parte sequi Majorum, maxime Re-
Testantur tot in Iegersburg suspensa ferarum
Cornua, Sialandæ sacrataque dona Dianæ,
Debita Regali monimenta perennia dextræ,
Quæ quoties multus cernit tua munera Civis
Auctori plusquam cervinos expetit annos.
Nec tamen hæc alias minuit præpostera curas;
Ast ut Trajanum successoremq; voluptas (quam
Sæpius illa quidem tenuit, sed non tamen un-
Detinuit prægressa modum, quin rebus agendis
Imperiique bono cura majore vacarent;
Sic tibi nec minuit graviora negotia Regni;
Sed solùm si forte vices Natura requirat
Atque à continuis sibi laxamenta laborum
Mens poscat vinclis, placet illa remissio, forti
Quæ semper placuisse Duci laudatur, & ipsi
Ex Regni gremio Regi sese utilis offert.

Nec

Nec quoties cessant majorum pondera rerum
Occupat hæc totum te sola atque una cupido
Lustra pererrandi: Sed qui Venator Apollo est
Ille Camœnarum Præses quoq; maximus audit;
Sic noster quoq; Phœbus amas tua lumina Musis
Haud minimam partem dare, & hinc qui commodus orbi
Esse tuo possit, meliorem reddere florem;(num
Non Hecubæ Matri quæ nomina, inepta Nero-
Quæsita expendens, sed quæ præcepta regendi
Privatamque aulam totumq;per omnia Regnum
Augustus fertur quondam legisse legendo.
Atque ut Alexander non cuncta poëmata sorte
Posthabitâ evolvit, solam sed Rege poësin (stum
Hanc statuit dignam, Regi quæ quid sit hone-
Explicet, & quid sit Regali culmine dignum.
Sic quoque delectum solitus prudenter habere
His solum invigilans studiis tua tempora donas,
Quæ regere imperio populos & Regna tueri
Parta docent, sive infensus Gradivus ad arma
Provocat insontem, positis seu Martia pugnis
Signa reconduntur sopitaque bella quiescunt
Paxque iterum placido complectitur otia nexu.
Jam Patriæ portus lustrare, situsque locorum
Ante oculōs versare placet; quæque inde benignè
Commoda subjectis Regnis Natura ministrat.
Jamque per annales iterumq; iterumq; tuorum
Ire juvat Proavûm, quoties vel fœdera pangunt,
Bellave justa gerunt, pacatave Regna gubernant,
Conciliis pugnisque cupis sociatus adesse
Et tua præteritis connectere tempora seclis.
Qualis Alexander Cæsar cognominis olim
Regis in historia sedit defixus, &, inde
Seposito vitio, collegit semina laudum.

Hæc inter, dum nec tibi ſubciſiva perire
Tempora permittis, quàm frugi eſt copia victus!
Quam brevis eſt requies, cui non ingratior ulla
Particula eſt quàm quæ Regni non dedita curis?
Si tamen eſſe queat Regni quod neſcit amorem
Momenti ſpatium, cum te noctuque diuque
Publica cura tenet, tibi nec tranſcurrere ſoli
Exoptas alboſve dies, horamve ſerenam.
O vigor æternus Superiſque ſimillima Virtus!
Quam non tanta premit moles, non cura fatigat,
Gloria non perdit, mollitve potentia Regni!
Quam facis incertum conantem reddere tantis
Pro meritis laudes, quid primum quidve ſecundum
Commemorare decet; tot ſunt quæ pectora dotes
In tua migrârunt, & jam me plura volentem
Tot ſimulacra tui confundunt fulgure Regni.

Hinc tibi prima cupit tua Dania ſolvere grates,
Dania navigero variè intercincta profundo;
Illa ſinu geſtat quos pleno Copia cornu
Exhibet omne genus fœtus, queis arva tumeſcunt,
Prata micant, undæque ſcatent, ſilvæque renident,
Atque horti fragrant. humero dependet amictus,
Subtemen Cereris, picturatuſque bonorum
Diverſis ſplendet cumulis. hic multus ariſtis
Flavet ager variis atque ubere moie laborans.
Delectat ſpicis redimitam tempora Divam.
Hic ſua Triptolemus ſolers, quam nuper adunco
Sulcârat raſtro, committit ſemina terræ.
Erigit hic lupulum pendentem Thyrſiger Evan.
Hic armenta boum per prata virentia ludunt,
Et ſub Pane greges tondent cuſtode minores

Gra-

Gramina per lætos latè florentia campos.
Hic caper hirsutus salicem populatur amaram.
Hic domitat Neptunus equos. hic lustra pererrat
Cum Phœbo Diana Soror, nemorumq; latebras.
Hic densas spargit Silvanus ab arbore glandes
Chaonis. hic cervos inter damasque fugaces
Alterno pede pulsat humum, ducensque choreas
Exsultat Satyrus, liquido resonante volucrum
Concentu silvâ. colit hic Pomona benignos
Hortorum fructus. hic corniger emicat Amnis,
Limosusque Lacus, & cinctus arundine Rivus,
Et Domino plaudunt plaudentes flumina Cygni.
Hic fluviatilibus venatur Nais in undis
Squamiferumque pecus fallacibus objicit hamis;
Hic Thetis immensa projectat ab æquoris urna
Pinnigeras gentes, & retia complet hiulca.
Hac tua sese offert circumdata Dania palla
Nativa specie naturalique colore,
Exculta, at fraudis, peregrinique inscia fuci.
Hæc eadem fortes, Mavortia pectora, Cimbros
Horrida Romanis & formidata tot orbis
Nomina Principibus tibi devovet atque paratos
In nutus tenet alma tuos, seu bella gerenda
Sunt tibi, seu multæ sunt munimenta labore
Conficienda manus, tutandaque mœnia Civi.

Illinc se obsequio certans Norvegia sistit
Ætherias nubes & cœlum vertice tangens.
Prærupti montes altaque è rupe fluentes
Exornant Rivi gemmisque auroque rigentem
Ingenitis opibus, tunicam, varieq; figurant
Mille sinus, &, crebra vada, & tutantia Regnum
Tot brevia, & circum stipantes littora linguæ,
Pul-

Pulvinique Maris & promontoria Terræ.
Aſt intra chelas portuſque atque oſtia Ponti
Silva hirſuta comas, fulgenſque Fodina metallis
Argenti, ferrique, & fulvo nobilis ære;
Immiſtæque inter Fluviorum brachia Valles
Armentiſque ſatiſque & plena fruge refertæ.
Inde Molæ rapido verſatur machina fluctu
Adpoſitæ ſerra diſcindens ſtamina pulpæ;
Stat prope Perdices Genitus miratur & artis
Incrementa ſuæ modici compendia ſumtus.
Inde volatilium varium genus appetit Auceps,
Inde feras Venator agit, jam jamque ferarum
Summa premit Victor celeri veſtigia curſu.
Inde ſuas multo Piſcator piſce carinas
Implet & in terram mox dirigit; inde caverna
Sub patula rupis Salmonem percutit audax
Improbuloque parit ſibi nutrimenta labore.
Talibus inſignis diſtincta veſte figuris
Naturæque manu factâ venit obvia Gentis
Normannæ Genitrix, populoſque ſuoque paratu
Inſtructas offert famulanti nomine claſſes.

Inter utramq; Deam ſe infert Pater ipſe tridenti
Æquoreo pollens, ante illum Protea geſtat
Munoceros animal pretioſo nobile cornu
Tradentem pelagi claves, genteſque profundi, &
Quidquid habet Pontus. comitatur multa potentem
Inſula, diverſiſque bonis ſe jactat abundans
Ferroa, cumque illa certat non ultima Thule
Terra tui Regni; ſed quà Sol ſurgit Eous,
Quà cadit Heſperius, qua multa parte moratur
Nocte dieq; rubens, dum non immergitur Axis
Æquore inocciduus, tua Nomina luſtrat; & illinc
Tecta

Tecta diu rurſum jam ſe Gronlandia prodens
Agnoſcit Regem Dominumq;. Hinc adnatat, an-
Credet poſteritas? extremis Agnus ab Indis (ne
Ornamenta habitus & condimenta ciborum
Apportans, fauſtum auſpiciis Regalibus omen;
Jamque novus Patrio Titanius ales ab igne
Promtus ad Eoos Domini mandata Tyrannos
Ferre abiit panſis ſtellaſque ſequentibus alis.
(quenter
Sic ſua dum certant tibi ſubdita Regna fre-
Gaudia teſtari, feſtivaque murmura ripæ
Commiſcent ſociæ, ſibique oſcula mutua reddit,
Qua latè extenſum tumidus circumſonat undis
Imperium, Nereus; de toto confluit orbe
Huc Regum adplauſus, Legatorumq; cohortes
Heroum pandunt tibi ſanguine cognatorum
Vota, & digna tuis meritis præconia poſtquam
Fuderunt, tecum renovantq; & fœdera pangunt.

Jamq; reſultantum reſonat tota Hafnia turbis,
Hafnia ſceptrifero quæ nubila culmine tranſit,
Atque Palatino ſuper aſtra cacumine pergit.
Hafnia, quæ nulli portuve ſituve ſecunda
Urbibus ex orbis, cunctas pietate fideque
Exſuperat, pugnaque ipſam victrice Sagunthum
Obſcurat, nec capta hoſti capitolia Romæ
Vincit in extremos ſerptura laude Nepotes.
Illa ſui meritò Clypei cælamina jactat,
Obſidionalis fecit quæ inſignia Virtus,
Tympanaq;, lituoſq;, tubaſq; omnemq; paratum
Martis & in porta vigilantis pectora Civis;
Illius haud rigidæ cedent certamina Spartæ,
Illius haud unquam concedent pulpita Athenis,
Dum Genium CHRISTIANE tuum nomenque
tueri Poſ-

Possit, & è tanto venturos stemmate Reges.

Ergo alternantum studia inter personat aures
Vox ea crebra meas, mea cui nunc ipsemet addo
Pectore vota pio: Vincat CHRISTIANUS & annis
Mygdonios Pyliosque Senes, & prole beata
Nubis & ignarâ celebratos sorte Metellos,
Et tantum superet Veterum quoscunque Senectâ
Et sobole Heroum, quantum mansura Potestas
Infra se linquit finitos tempore fasces,
Depositasque brevi diadema perenne secures!
Æterna ut maneant quæ nobis dona dedisti
CHRISTE Deus nostræ Conservatorque Salutis!
Sic tibi perpetuas laudes dicemus & omni (mus,
Tempore continuas; iterumq; iterumque cane-
Gratia sit summo, summo sit Gloria CHRISTO.

FINIS.

CHRISTIANI AAGAARDI

Regiæ Communitatis Hafniensis Præpositi, postea Ripensis Gymnasii Rectoris, & ibidem S. S. Theologiæ Lectoris

CARMINA.

VITA AAGAARDI.

CHRISTIANUS LAURENTII AAGAARDUS Patriam habuit Cimbricam Chersonesum, & natale in ea oppidum Viburgum; quod celebre est inibi emporium, diœceseosque cognominis caput. Pater ipsi fuit Reverendus, Doctissimus, & religiosissimus vir Dn. LAURENTIUS JOHANNIS AAGAARD ad ædem, quæ fratrum Griseorum (vernaculâ Graabrødre) dicitur, Pastor primarius: Mater lectissima, pientissima omnique virtutum laude condecoratissima matrona MARIA SCHYTTENIA ANDREÆ filia, quæ proavum maternum habuit Mag. CHILIANUM JULIUM secundum diœceseos Viburgensis à reformatione Episcopum ex nobilissima apud Danos JULIORUM stirpe prognatum. His parentibus lucem primam aspexit Ao. 1616. d. 27. Januarii, & mox ab iisdem SS. Baptismatis Sacramento Servatori suo solenniter initiatus est, ut nova & cœlesti luce mens tenera & tenebris jamdum obnoxia collustraretur. Cum autem in ipso statim infante admodum non levia vivacioris ingenii indicia animadverterent B. Parentes; non-

nondum Sexennis Ao: sc. 1621. Musis consecratus est, introductus in Scholam patriam Viburgensem Rectore Scholæ Clarissimo & eruditissimo viro Mag. OTTHONE BLICKFELDIO sub cujus & succedentium ipsi ordine Mag: NICOLAI PAULINI postea SS. Theol. Doctor: & Professoris in celeberrimo Haffniensium Lyceo, Mag: CHRISTOPHORI JOHANNIS Haffniensis, item Mag: JOHANNIS JOHANNIS ductu & moderamine tyrocinia studiorum posuit, & in artibus ac linguis egregie profecit, cum indefesso discendi studio mores honestos vitæq; innocentiã sedulò jungens. Ao: 1635. ad festum Paschatos è Schola dimissus est, & testimonio Clarissimi Rectoris Mag: JOHANNIS JOHANNIS munitus Lyceum Haffniense Celeberrimum adiit civitatẽ inibi Academicam ambiens; ubi, post probatum satis superque Musarum Antistitibus profectum suum civibus Academicis adscriptus fuit die 14. Maii, Rectore Magnifico Dno: Mag: CHRISTIANO LONGOMONTANO, & Decano spectabili Mag: JACOBO MATTHIÆ Eloquentiæ tum temporis Professore Regio, postmodum SS. Theolog: Doctore & Episcopo Arhusiensi; privatumque studiorum suorum moderatorem Virum Excellentiss: Consultissimumque Dn. Doct. CLAUDIUM PLUMIUM J. U. D. & Professorem Regium elegit.

Ibi vero per integrum triennium studia sua continuavit, lectiones DD: Professorum diligenter frequentando, privatumque Præceptorem suum de ratione studiorum suorum sæpius consulendo, dum interim biennio primo mensa Regia & hospitio Regentziano fruebatur; scilicet ad

festum

festum Paschatos Anni 1637. quo tempore Nobiliss: Consultissimusque vir NICOLAUS EGGEBRECHT t. t. Secretarius Regius in Cancellaria (quam vocant) Germanica, eum de meliori sibi nota commendatum institutioni liberorum suorum admovit. Anno 1638. circa Festum Paschatos Examen Theologicum subiit, & ab Examinatoribus B: D: CASPARO BROCHMANNO & Dno: D: JOHANNE RESENIO utroque Theolog: Doctore & Professore celeberrimo, item Mag: JOHANNE SVANINGIO t: t: Linguar: Oriental: Professore, postmodum autem Doctore & Professore Theologiæ Selandiæque Archiepiscopo, egregium profectus sui in Articulis fidei & S: literis meruit testimonium. Et ne studia Philosophiæ vel omnino neglexisse, vel negligenter saltem tractasse videretur, paucis interjectis mensibus examini philosophico se subjecit, & post promeritos in hac etiam palæstra niveos lapillos prima Philosophiæ laurea condecoratus est; Decano M: THOMA BANGIO t: t: Linguæ Hebrææ Professore postea Doctore & Professore Theologiæ celeberrimo. Ao: 1639. ipso Circumcisionis Jesu Christi festo pro impetranda, quam vocant, dimissione Academica specimen concionatorium dedit, præsente Dno: D: CASPARO BROCHMANNO, statimque rude Academica donatus est, dimissus cum insigni tum privato privati Præceptoris sui, tum publico cæterorum Professorum encomio, comprobantibus id, quæ adhuc supersunt, testimoniis eorundem luculentis. Missione igitur à Nobilissimo Dno: EGGEBRECHT bona cum venia impetrata in Cimbriam reversus est, &, quod restabat hyemis, apud

fratrem

fratrem ſuum natu maximum Virum Reverendum & doctiſſimum Dnum: ANDREAM AAGAARDUM trium Eccleſiarum Ørum/Wiſtom/Weirom, t: t: Paſtorem tranſegit. Ad feſtum Paſchatos ejuſdem anni a Venerabili Exedra Viburgenſi ad munus ſubdiaconatus in Eccleſia Cathedrali extra ordinem obeundum vocatus eſt, quod etiam, licet valde laborioſum, in tertium annum uſque ſuſtinuit, cum interea quater ſingulis ſeptimanis orationes ſacras ad populum habere teneretur. Anno igitur 1641. circa feſtum Michaelis abdicato hocce munere Haffniam rurſum petiit, neque tamen diu ibi ſubſtitit. Etenim ad Regiam & Equeſtrem Scholam Soranam evocatus eſt, & ſupremus in eadem Collega conſtitutus labente eodem anno. Quam ſpartam pro virili ornavit ad menſem uſque Auguſtum Ai: 1646, quo tempore à plurimum Veneranda Facultate Theologica Academiæ Haffnienſis ad præpoſituram Regiæ Communitatis Haffnienſis, & Profeſſionem Poëſeos extra ordinem ſuſcipiendam invitatus conditionem accepit, & in Communitatem quidem introductus eſt d. 14. Octobris à Plurimum Venerando, Ampliſſimo Doctiſſimoque Viro Dno: D: CASPARO BROCHMANNO, præſente Dno: D: JOHANNE SUANINGIO, t: t: Theologiæ Profeſſore Celeberrimo, Profeſſionem autem Poëſeos demum Ao: 1647. ineunte orſus eſt; quo ipſo & ſummi in Philoſophia honores ipſi ſunt collati, Rectore Magnifico Dno: Mag: THOMA BANGIO, Decano autem & Brabeuta Dno: M: PETRO SPORMANNO Hiſtoriarum Profeſſore Publico, quem actum ipſe metrica gratiarum actione concluſit. An-

Anno 1651. cum per obitum viri Clarissimi Dni: Mag: CHRISTIANI BROD vacaret Rectoratus Scholæ Cathedralis Ripensis, missus ipsi commendatione Magnificentiss: Dn: Cancellarii CHRISTIANI THOMÆI SEHESTED successor fuit AAGAARDUS noster, traditique ipsi fasces Scholares a Viro Max. Reverendo, Amplissimo & eruditissimo Dno: D: PETRO JANI KRAGLUNDIO, Episcopo t: t: Diœceseos Ripensis d: 14. Aprilis. Quanta cum laude provinciam hanc administravit, quanta cum industria discipulorum fidei suæ concreditorum profectum promotum ivit; exinde conjicere licet, quod tum temporis Ripas, tanquam Athenas alteras, confluerent ex unoquoque Chersonesi nostræ angulo magno numero discipuli.

Hic, cum sibi jam stabilem rerum ac fortunarum suarum sedem paratam videret, de fideli thori socia sibi prospiciendum ratus, animum applicuit ad elegantissimam, pientissimam omnibusque corporis & animi dotibus ornatissimam Virginem MEDEAM VELLEJAM Pl: Reverendi & clarissimi Viri Dni: Mag. SEVERINI ANDREÆ VELLEJI Pastoris Primarii & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Ripensis (νῦν ἐν ἁγίοις) filiam natu minimam; quæ ipsi quoque conjugio juncta fuit Ao. 1653. die 28. Augusti, & quacum conjugium suave, amicabile & jucundum exegit, sed, proh dolor! breve admodum, utpote decem saltem annorum cum dimidio. Liberos autem ex conjuge hâc suâ suscepit quinq;, filios quatuor & filiam unicam, ex quibus superstites duo saltem sunt; Mag: LAURENTIUS AAGAARDUS Vice-Pastor Regius ad arcem Fri-

dericiburgum, & SEVERINUS AAGAARDUS Pastor Ecclesiæ in insula Römœ, quæ Jutiæ Australi prope Tunderam adjacet; Cæteri in Dno. dudum piè obdormivere. Anno 1658. à Venerabili Exedra Ripensi SSæ: Theologiæ Lector & Pastor Ecclesiæ Wester-Wedsted designatus est, in qua statione ad mortem usque permansit, ubique partes officii etiam ultra, quàm paterentur fractæ corporis vires, explens, nullique parcens labori & industriæ, sicubi pro ratione officii cuiquam præsto esse deberet. Ultimis sex vitæ annis minus firma usus est valetudine, cum catharris & Scorbuticis Symptomatibus crebro conflictatus, & licet ex consilio affinis sui conjunctissimi, Medicique experientissimi Dni: D: LUDOVICI POUCHII, salutaria remedia diligenter adhiberet, tolli tamen radix mali nunquam potuit, quapropter vires illum paulatim deficere cœperunt, & languor diuturnus in morbum tandem exiit periculosum; Ex quo cum se moriturum animadverteret, adversus mortem firma in meritum Servatoris sui fide & indubitata melioris vitæ spe fortiter sese armavit; pieque ac placide Deo Creatori suo animam reddidit ipsis Nonis Februarii Ao. 1664. relictô omnibus bonis, maximè autem Dilectissimæ Conjugi (quæ etiamnum superest vidua, mortem præmaturam desideratissimi Mariti acerbè lugens) & liberis charissimis maximô sui desideriô. Vixit annos 48. dies novem, adeoque magnum climactericum suum attigit, quem sibi ipse emortualem non semel est ominatus.

Fuit Beatus AAGAARDUS felicissimi ingenii & memoriæ, nec non sagacissimi judicii lectionisque

que indefessæ, quibus mediis solidam sibi in omni scibili acquisivit eruditionem, quam abundè testantur non solum poëtica ejus scripta, sed etiam Theologica & philosophica; quæ tamen interveniens fatum perficere non sivit. In morbus elucebat candor ingenuus, summaque integritas, quæ & ipsi insignem Nobilissimorum doctissimorumque Virorum favorem conciliavit; constantia verò animi tanta fuit, ut adversis, quæ plurima sensit, nunquam dejectus, prosperis nunquam elatus fuerit; quæ etiam tædium morborum, quibus perpetim affligebatur, non parum levavit. Denique in conversatione civili illa, quam semper præ se ferebat, venustas & festivitas omnium illexit animos, ut adeo ipsum sibi omnes expeterent, & ex ore narrantis non sine admiratione penderent. Postremò absolutam tanti Viri Icona Orbi literato sistere non poterit, nisi qui ipsum intimius noverit, quam sibi infelicitatem à Fatis invisam non immerito dolet, qui has lineas rudi penicillô duxit,

S. C. AAGAARD.

Quàm se probaverit OLAO BORRICHIO Aagaardiana *Musa, si Dissertationem ipsius* de Poëtis Danis *inspexeris, patebit.*

CHRIST. AAGAARDI

CARMINA VARIA.

Nuptiis (1.)

LAURENTII CANUTII

Ædium a S. R. M. Juventutis in artibus Mechanicis institutioni destinatarum Scribæ Regii, & Virginis

GERTRUDÆ SEVERINI ERASMI Filiæ. 1636.

Mens avet ad castos divertere Turturis ignes:
Inceptis veniat mollior aura precor.
Est nemus augustum, prærupta quod undique (claudit
Sylva, soporiferas sylva coronat aquas:
Frondibus ut velo Phœbeos submovet ignes,
Frigora dant rami, flore superbit humus:
Dulce secant sylvam resonanti murmure rivi,
Qui varia terram fertilitate beant.
Hæc domus, hæc sedes, hæc sunt penetralia ca- (stæ
Turturis, hic vitæ tempora sola terit.
Non dolus has sedes ulla formidine terret;
Deliciis floret sylva beata suis:
Carmina cygnorum vicinis audit in undis:
Et latere ex omni dulce queruntur aves:
Heic quia non ullæ pariunt res tædia vitæ
Perpetua gaudet virginitate frui.
Hæc ubi diversum fama celebrata per orbem
Turtur, ab innumeris est adamata procis:

Illa velut crimen tædas exosa jugales
Intactas tenuit virginitatis opes.
Audiit hæc auceps nemorosa in valle moratus
Cassibus incautas ut malè fallat aves:
Turturis, & dixit, cingam fallacibus arces
Retibus, hic prædam forte agitabo bonam:
Facta minis quantùm distent malè credula discet,
Cum cadat in nostras compede vincta manus:
Dixerat, & volucrem dulcedine detinet oris
Mollia dum celat retia fronde levi.
Fertur at illa cito per inhospita lustra volatu,
Delicias viset quo loca nata suis:
Dumque vagabundo lascivit in aëre motu;
Vincula nodosa compede crura ligant:
Plangitur & trepidans adducit retia motu,
Et tremit, ac visis agna novella lupis.
Victor at optatâ referens nova præmia prædâ
Cincta triumphali tempora fronde gerit.
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho
In qua quæcunque est sanguine præda caret.
Ergo age LAURENTI tua non te oracula fallunt,
Incidit in casses Turtur amata tuos:
Dulcia nam sociat Neonympha cubilia tecum,
Transit in amplexus virgo pudica tuos.
Non ita splendenti gemma Indica fulget in auro,
Dotibus ut virgo hæc nobilitata suis,
Nam velut irriguos decorant regaliter hortos
Puniceis violæ & lilia mista rosis:
Perpetuo sponsam celebrat sic nomine virtus
Atque verecundis ora pudica notis:
Virginei vultus maternæ insignia formæ,
Vita refert mores ingeniosa pios:
Hanc igitur cupidis adducito colla lacertis,
Detulit in portus quod tua vota suos.

Et

Et tu ſponſa tuis virtutibus inclyta, ſponſum
Excipe blanditiis officioſa tuum:
Miſtaque blanditiis levioribus oſcula junge:
Mollibus eſt verbis veſter alendus amor;
Hunc genus & pietas concinnaq; formavenuſtat,
Et virtus veræ relligionis amans
Hic cautâ ratione vias ingreſſus agendi
Carus amore domi, clarus honore foris:
Ergo tuum cupidis complexibus excipe Nym-
Ille tibi pariles reddet amore vices. (phum;
Quod ſupereſt Sponſis gratabimur omine fauſto,
In ſacros dantes thura merumque focos:
„ Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla,
„ Cœrula quot Bacchas Palladis arbor habet;
Proſpera tot thalamo voveo, tot commoda ve-
Deliciis totidem veſter abundet amor: (ſtro,
Aſpiret veſtris conatibus aura benigna,
Sponſo mella fluant & pia Sponſa tibi:
Augeat & veſtros opulentia larga penates,
Prodeat è veſtro gens numeroſa thoro:
Eſte procul lites & amaræ prælia linguæ;
Lite vir uxorem nupta virumque fugat:
Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti, jurgia vana thoro:
Et per felicis Venus aurea ſtamina vitæ
Concordi nexu pectora veſtra ligat.

Hic avis hic auceps inſidiæ-
que leves.

(2)

Elegia Diis manibus consecrata

MARIÆ VINSTRUPIÆ DN. CLAUDII PLUMII

J. U. D. & in Academia Hafniensi Professoris in puerperio defunctæ Conjugis. 1636.

Quid vita est hominum ? quid homo ? quæ commoda vitæ ?
Quamque diu vitæ ducere fila datum est ?
Tempora sunt hominis rigidi certamina belli
Finem ad supremos primum habitura rogos.
Illius atque dies animosi ut militis anni,
Qui proprio optatas sanguine quærit opes.
Icon vita necis, vitæ mors causa perennis
Divite quæ fundet gaudia multa manu. (sum
Quidnam homo? vas nitidum vili de pulvere fu-
Quod subito medium solvitur inter opus,
Spiritus est fugiens homo flos atque herba caduca est
Quæ subito incurva falce resecta cadit.
Commoda quæ memorem ? memorem quæ gaudia vitæ
Sincera, & nullis gaudia mixta malis ?
Cui vultu ridet semper fortuna sereno
Irato ut nullas evomat ore minas ?
Quis numero contra potis est mala claudere cer-
Vitæ ad supremum sæpe rotata gradum. (to
Non ita concussæ mutantur in arbore frondes
Cum gravis adversum verberat aura nemus.

Tur-

Turbida quam variis agitatur vita procellis,
Nescia se in tuto sistere certa loco.
Littora quot conchas quot amœna rosaria flores
Quotque soporiferum grana papaver habet,
Vita tot immitis sentit dispendia fati
Vita per alternas continuanda vices:
Qui mala, quæ patimur, sperat se dicere posse
Icariæ fluctus dicere gestit aquæ.
O humanarum facies tristissima rerum
O dura & quovis sors miseranda modo!
Navis ut irato cui turgent carbasa vento
Fluctibus excelsum fertur adusque polum
Impete majori vestigia pressa deorsum
Nunc legit insanas quum citat eurus aquas,
Nunc ob naufragii ventura pericula pallet
Ne cadat in mediis naufraga Cymba vadis:
Sic properam alterno vitam sors aggravat æstu,
Quæ manet in nullo certa tenaxque loco;
Nam modo nobilibus nos allevat incrementis
Lætitiæ spargens semina grata novæ.
Et modo mutato nos deserit improba vultu
Inficiens luctu tempora læta gravi;
Et modo venturi tremimus discrimina fati
Ne nimio frangat pectora mole dolor.
Ævi quis spacium breve mensuraverit? aut quis,
Parcæ resciderint an sua pensa videt.
Ocyus ecce dies abeunt volitante sagitta,
Prætereunt anni more fluentis aquæ,
Nam neque prolabens cursu revocabitur unda
Nec quæ præteriit, hora redire potest.
Lustra bis octona aut decies se servat in annos
Septenos miseri summa senecta viri.
Hanc tamen ætatis queis summam attingere me-
Contigit, hi certè rarius agmen erunt: Gram-

Sunt quos vernantis dum floret temporis ætas
Optima, sub leges mors vocet atra suas.
Nunc alvus puero matris miserabile bustum est.
Nunc tener in vitæ limine fœtus obit.
Nunc ubi vitales optata capesseret auras
Progenies, vitæ flaccida linquit iter.
Nunc animæ occludit matri nascensque meatus
Vitam exorsurus matre cadente puer.
Ecce puerperii lassata gravamine mater
Morte maritales expiat illa faces.
Quæ tamen est placidè tantos perpessa labores
Hocce sui luctus dulce levamen habet,
Scilicet exacto salvata puerpera partu est
Et stetit immota pondere pressa fide.
Sed quorsum remis veheris mea Musa citatis?
Ad propiora vocor, heic age siste pedem.
Hei mihi nulla meo mœrori verba supersunt,
Officio vix par lingua manusque suo est.
Ad tumulum tantæ quia thura adolebo maritæ
Pro qua conciperem per pia vota preces:
Eminet ætherios ut Cynthius inter honores,
Et Dea nocturnos quæ moderatur equos.
Inter honoratas sic fulserat illa maritas,
Quas tulerat vastô Portua magna sinu,
Haud secus atque rubrô circumdata colla metallô
Dotibus innumeris conspicienda fuit;
Stemma habuit clarum, sed stemmate clarior
Laude pudicitiæ, relligione, fide. (ipso,
Stemmate clara suo, celebri mage clara marito,
Quamque dedit mundo ubere prole domus.
Utque viro vixit docto celeberrima, sic &
Illa maritalis gloria prima thori,
Matronale decus pietatis norma MARIA,
Dotibus invidit mors truculenta tuis.

En

En uteri tolerata decem faſtidia menſes
Deſierant, partus dura pericla ſubis.
Pectora ſed nimii molimina victa laboris
Paulatim vires deſtituere ſuæ.
Atropos hocce videns fatalia ſtamina rumpit,
Et cadis in medio floris honore tui.
Heu verè adverſis probitas exercita rebus
Materiam triſti tempore laudis habet.
Et veluti fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Fonte quid hauſta ſacro referam ſolatia, cordi
Exanimi vires, queis animoſa fuit?
Aut inconcuſſo gemitus de pectore fuſos,
Aut quid votivas optima thura preces?
Illa ſuum clara Dominum modò voce rogabat
Ne miſeras, dicens, reſpue Chriſte preces.
Cum cedant alii laceratæque vela relinquant,
Tu fractæ remanes anchora ſola rati,
Circumſtant famulæ, nati, pius atque maritus,
Fletibus & mœſtis quilibet ora rigat.
Hei mihi quod nunquam fortuna benigna tuliſſet
Pro vobis ſacra vota litare prece.
Sed modò cum veſtro ſocians ſuſpiria fletu
Deflebo veſtræ fata ſiniſtra domus.
Quid lacrimæ proſunt? nulla eſt revocabilis arte
Cum ſemel extincto lumine vita fugit.
Fletibus ergo oculos nimiis prohibete tenellos,
Tundite nec vana pectora mœſta manu;
Nam nullis ſurget rediviva MARIA querelis
Ivit ad æternas non reditura domos.
Illius ante diem crudeli funere rapta
Oſſa tegit viridi terra beata ſinu.
Ætherias animus dudum tranſlatus in oras
Æterna gaudet proſperitate frui.

(3)

TUMULUS
MARIÆ LAURENTIJ
Uxoris
DN. ANDREÆ AAGAARDI,

In ĩarum &c. apud Cimbros Pastoris fidelissimi, fratris ætatem piè colendi. 1643.

Perpetuant luctus & pullæ Syrmata vestis,
Excipiuntque novos justa renata rogos.
Ecce recrudescunt antiquo vulnere planctus,
Udaque consueto lumina fonte madent.
Nondum sopierat ferales Cimbria lessus,
Non lacrimis posuit gratior hora modum:
Et diris iterum fuscantur limina taxis,
Atratosque refert trux Libitina dies.
Terret adhuc mœstos transacti temporis horror,
Et consanguineæ fata sinistra domus; (presso,
Quadrupliciq; angunt monumenta umbrata cu-
Quêis animi tegitur portio prima mei.
Annuus ambustas convellit sæpius ædes
Orbis, & ancipiti tempora clade rotat.
Tertius auspiciis nunc volvitur annus adultis,
Et nostros quassat quinta ruina lares:
Scilicet augescunt pariter cum tempore questus,
Infestatque redux proximiora dolor.
Sic passim in nostram conjurant omnia gentem
Numina, & ad cædes classica fata canunt?
Sic nos Parcarum sceptris emancipat ortus,
Et teritur duræ turbida vita neci?
Exhaurit cunas tumulus mollemque Juventam,
Et matura decus fata virile legunt;
Seraque suppilant imbelles funera canos,
Nec pretii quicquam ruga senilis habet;

Æquali

Æquali cunctos licitatur perfida censu
Atropos, hamatæ præses avara coli.
Divini MARIÆ manes tuque umbra beata,
Nuper AGAARDINÆ gloria magna domus,
Non tibi ferratis obnoxia stamina pensis
Festinâ rupit mors malè promta manu;
Sed Lunæ transgressa globos augusta frequentas
Atria, & æternis gaudia nata locis;
Atque maritali serò licet addita trigæ
Perpete sopitas adstruis igne faces;
Lætaque præreptis dispensas oscula natis,
Ingeminat sanctas fervida cura vices.
Non mors hæc mors est, sed veræ copia vitæ,
Deque indefesso grata labore quies.
Discite mortales, quos pondus inutile terræ
Vexat, & invisâ sarcina mole gravat,
Discite, quo pietas precio sincera laborat,
Lactea quâ cœli semita lege patet: (gentis
Non dabit hoc census, non sceptra, nec inclytæ
Nomina, vel forti parta trophæa manu;
Sed calidi gemitus, saturataque pectora cœlo,
Et mens, quam propriæ tædia labis habent,
Fortiter illecebris se subtraxisse profanis,
Et soli mentem contribuisse Deo,
Ire per adversos infracto pectore casus,
Nec votum cupidi destituisse poli:
Hic nos transcribit summo conatus Olympo,
Hoc nos æterno sydere donat opus.
Nec contenta polo stellantes fama penates
Deserit, & residem celsa fatigat humum;
Ingredienſque auras spaciosas explicat alas,
Secula sublimi posthuma laude trahens,
Virtutique meret. Stat virtus nescia fati,
Et formidatos despicit usque rogos.

Hinc tua venturis ſcribentur nomina faſtis
Et probitas ſemper digna MARIA legi,
Et fraudis ſecura fides, rectique miniſtra
Mens, & ſinceri maſcula flamma tori.
Poſſedit totum cœli reverentia pectus,
Candidaque optavit corda habitare Deus;
Sub tanto morum bene caſtigata magiſtro
Gratia, & ætatis ſuavis inarſit honor.
Effinxit teneros ſolers prudentia ſenſus,
Præludens curâ pondera vera levi;
Exegitque omnem ſtudio meliore juventam
Ingenuâ tutus præſide mente pudor.
At matura faces quartum eſt experta jugales:
Floruit optato pignore fœtus amor.
Quaſque novas proles ſolata eſt primula curas,
Grandævas mulſit nata nepote ſeges.
Non obit, aut triſti mulctatur funere, quiſquis
Tam clarâ effertur poſteritate ſenex.
At tu, cui luctus diſtringunt viſcera, frater,
Deſine Parcarum regna ſevera queri:
Veſter amor, tenerique joci, caſtique lepores,
Et placidus vitæ cum pietate tenor,
Par animus, diſpar ætas, thalamuſque fidelis,
Æternum ſeclis inſeruere decus:
Nam pietas, nam priſca fides ſua fœdera ſervant,
Et ſolitum virtus enthea robur habet.
Et tu defunctæ ſoboles præclara parentis
Parce tibi, ignorant aſpera jura preces:
Non tibi deceſſit genetrix, diuturnior extat
In te, & maternis elevat ora notis.
Marmora corpus habent, animus ſuper aſtra
Elyſijs ſociat jubila læta choris. (triumphans,

LAURUS CIMBRICA

Seu

De Victoria

Sereniſſimi atque Potentiſſimi Principis

CHRISTIANI IV.

Daniæ Norvegiæque &c:

Regis ſemper Auguſti

Adverſus claſſem Sueco-Batavam,

Quam in Sinu illo Oceani Occidentalis,

Qui nobis dicitur Liſſerdyb/

ad 16. Maj 1644.

gloriosè reportavit.

Illustri ac Generoso Viro

D. HENRICO RAMELL

Domino de Beckesfow
Regiæ & Equestris Academiæ, quæ Soræ est, Præsidi Magnifico & in arce Borlum Præfecto Regio.

S.

Illustris Heros.

Discrimen animosius subire, cum patriæ salus dubio jactetur vento, Principibus semper ad immortalem nominis famam maximè profuit: non enim altera laus est, in qua ipsorum virtus magis triumphare potest, quam in pietate erga Deum, & amore in publicum bonum. Nec eodem modo æstimanda venit privata clades & publica calamitas: nam qui privatas ædes affligit tristior casus, patriæ statum non convellit: sed eodem ictu omnium fortunæ concidunt, quo Respublica exscinditur. Eò propterea majori cum laude conjunctum est, ingruenti tempestati obviam ire, quò plurium salus agitur. Speciosius titulis imaginum servata patria, quam dilatata ascribitur. Majoris pretii ducitur laudatissima Camilli opera in profligandis Gallorum copiis & reparanda patria, quam Scipionis triumphus gemina victoria insignis, quo subactis opulentissimis Africæ & Hispaniæ regnis maxima imperii accessio facta est. Idem Marius plus amplitudinis & gloriæ ex Cimbrorum ruina, quam Jugurthæ vinculis acquisivit; quia illos

intra Italiæ terminos certum excidium Romæ minitantes ad internecionem usque cecidit; hunc verò fratrum parricidam in proprio regno persecutus Romam captivum duxit. In more apud Romanos positum fuisse memoriæ proditum est, ut qui ciuem in bello servasset, coronâ ex querna fronde, quæ Civica appellabatur, donaretur. Sed qui patriæ graviter laboranti subvenerit, non vili quernæ frondis honore ornari meretur, sed sertis dignus est ex floribus contextis,

Quos neque frigoribus Boreas, nec Seirius urit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes
Fons Aganippeâ Permessidos educat undâ.
Unde piæ pascuntur apes, & prata legentes
Transmittunt seclis Heliconia mella futuris.

Non enim heic unius civis periclitatur caput, sed totius regni in discrimen salus adducitur. Dulce est pro patria mori & egregium ad posteros communi bono proprio sanguine parentare. Nec minus decorum ejusdem cervicibus impendens malum fortiter propulsare. Si vel patriæ animam impendere non contingat. Namque in ambiguo positum est, utiliusne tam infracti spiritus Heroas habeant regna, an amittant. nam ipsorum vita ne vincantur efficit, mors etiam ut vincant aliquando præstat. Quod si autem iis, qui civium saluti proprii sanguinis haustu litant, prima immortalitatis laus assignanda sit, utique quæ proxima est, illis debetur, qui idem decus affectant, quorum vita sæpiusculè civibus suis fructuosior existit, quam illorum obitus. Nullo verò in argumento laudabilius Doctorum occupatur industria, quam si Principum nomina,

qui

qui patriæ interitum propriæ vitæ impendio redimere non detrectant, meritæ immortalitati consecraverint. Uti enim posterorum memoriâ digna gessisse gloriosum, ita eadem scriptis suis prosequi honorum. Solo literarum interventu res Principum præclarè gestæ ab interitu vindicantur. nam

Carmine fit vixax virtus, expersq; sepulchri
Notitiam serâ posteritatis habet.

Huc accedit, quod laudum suarum stimulis admodum afficiantur Heroës & ad fortiter audendum atq; agendum impellantur. Excitatur enim encomiis animus,

- - - - laudataque virtus
Crescit, & immensum gloriæ calcar habet.

Quæ res non ignorata superioris ævi hominibus, arctissimæ amicitiæ inter Principes & viros in politiori literatura cum laude versatos causa exstitit.

Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas,
Carmen amat quisquis carmine digna gerit.

Nec parum ad nominis immortalitatem refert, placuisse doctis. Non tamen promiscuè ex vulgo doctorum quilibet ad amicitias Principum admittebantur, nec à quolibet suas res literarum monumentis commendari passi sunt; sed ab illis potissimum, qui in illorum celebrandis rebus gestis etiam ipsi propriam ingenii laudem consequerentur. Nec enim (verba sunt Ciceronis) Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi & à Lysippo fingi volebat, sed quod illorum operam cum ipsis tum etiam sibi gloriæ fore putabat. Et hujus rei considerationem animum ejus versasse veritati consentaneum videtur, cum Achillem, ad cujus sepulchrum in Sigæo venerat,

rat, in quem etiam genus suum maternâ lineâ referebat, beatum prædicaret, quod laudum suarum præconem Homerum invenisset. Hinc Cicero, placet, *inquit*, ille Hector mihi Nævianus, qui se laudari lætatur, *sed addit* a laudato viro. Scilicet autoritatem clarorum virorum ambibant, & spectatorum testimonia impertiri sibi desiderabant, ut quod magnitudine rerum deerat, ipsorum ingenium suppeditaretur.

Cum itaque Rex noster clementissimus triplici ab hostibus nostris reportatâ victoriâ affectum suum in patriam & studium in medendo Reipubl. incommodo toti Christiano orbi abundè testatus sit, omnibus omnium seculorum Principibus virtutis & Pietatis palmam meritò ambiguam facit. Cujus in pace integritas, in armis robur toties spectata sunt; cui ut ex antiquioribus, quem anteferam, neminem, ita, quos comparem paucos invenio. De Themistocle memoratur, quod, cum Persarum Rex Xerxes, excitâ sedibus suis barbararum gentium, quæ ipsius ditioni suberant, mole, expeditionem in Athenienses decerneret, urbsque illa fluctum totius barbariæ sufferre non posset, patriæ ancipiti malo conflictanti fortiter adfuerit. Cum enim ab Apolline responsum retulissent, quo ligneis muris se tueri jubebantur, hæsitantibus cæteris, solus oraculi mentem dextrè interpretatus est, & interpretationis suæ veritatem gemina hostilis classis ruinâ ad Salamina & Artimisium felici eventu comprobavit. Regis nostri Augustissimi in dubiis semper infractus animus melior Apolline Vates tam afflictis patriæ temporibus nobis extitit, &

pc-

potiora quam quæ Delphis petebantur, oracula reddidit, quæque ore jussit, strenuè manu exsecutus est, eò majori encomio ornandus, quo præ cæteris patriæ utilior apparuit. Nam superiorum plerique, qui rerum præclarè gestarum sempiterna gloria eminuerunt, pacis artium fuere rudes, ac ea propter cœco quodam impetu in patriæ exitium, quam armis defenderant, pace ferebantur: impatiens enim quietis animus odia & simultates fovebat, quæ non rarò in apertam vim erumpebant, quæ procella maximè Respublicas concussit, ut Marii, Sullæ, Cæsaris exempla satis demonstrant, notiora sunt, quam ut fusius deduci indigeant. Sed hic noster Augustus non minus pace bonus, quam armis fortis visus est, qui etiam hoc singulare præ omnibus habet reliquis, quod illi florentis ætatis momenta ad arma contulerint; hic verò nec in senium vergentes annos, qui magis otia, quam arma desiderabant, belli laboribus subduxerit. Cujus indefessæ curæ & excubiis vigilantia lumina regni (ut cum Poëta loqui mihi liceat) penes Deum nos ab incursu & vi hostium adhuc tutos præstiterunt. In quo verè aquilæ senectutem admirari licet. Ejus in patriam, præsertim hoc tam turbulento rerum statu, merita dignè celebrari nequeunt, si vel ad partes redivivus Cicero vel alter Homerus adfuerit, modò rerum majestas pari verborum ornatu sit amplianda.

Quandoquidem igitur levi hoc & pingui Minerva condito carmine primam Regis Clementissimi victoriam adversus classem Sueco-Batavam prosecutus sim; meritò Vestræ Magnificentiæ & cæteræ Doctiorum turbæ maximam admira-

mirationem moverit, cur ego potissimum, qui Divinum illud poëseos studium vix à limine salutavi, è media quasi doctorum plebe prosiluerim, qui hoc tanti ponderis opus in me derivarem. Idem mihi usu venit quod olim Orpheo (ut matribus hœdos similes olim Poëta novit, & parvis componere magna sæpe solemus)

Nam patria festo lætatus tempore Vates
Desuetæ repetit fila canora lyræ
Et resides leni modulatus pectine nervos
Pollice festivo nobile duxit ebur.

Lamentabar olim commune patriæ exitium, cum elabendi è manibus hostium spes omnis miseris præcisa videretur; nunc vero singulari Dei favore & summa Regis virtute mutata in melius ejusdem sorte in communi lætitia affectum dissimulare nequeo. Nunquam me fefellit, nec adhuc fallit, quam plurimos esse intra patriæ pomœria excellentioris ingenii homines & in hac arte solidius eruditi, qui felicius multo hoc ipsum tentarent, sed inde a proposito absterreri mihi æquum non fuit. Nec Æacidæ propterea arma projicere conveniebat, quod Hercules robore illi præstaret.

Sed Phryges attoniti, quamvis Nemeæa videbant
Arma Cleoneusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen & Telamona timebant.

Si apud bonos hoc obtinuero, ut hosce conatus amori in patriam imputare, eosque ab affectu & non rei præstitæ vilitate æstimare velint, pretium voto uberius me consecutum existimabo.

Quod

Quod ſupereſt, Illuſtris Ramelli, Veſtram Magnificentiam humillimè oro, velit pro ſuo in literarum ſtudia favore hunc fatiſcentis ingenii qualemcunque fœtum patrocinio ſuo dignari, ut intra privatos parietes craſſiori vena excuſum opus ſub nominis ipſius tutela in lucem prodire mereatur, quo quod ingenii imbecillitas operi detraxit, nominis veſtri ſplendor compenſet. Summus ille rerum noſtrarum arbiter Deus Veſtram Magnificentiam cum tota illuſtri familia Patriæ & Reipublicæ huic noſtræ literariæ ipſius curis quotidie ſpecioſius augeſcenti, nobiſque ipſius patrocinio ſubjectis quam diutiſſimè ſanam & ſuperſtitem ſervet. Quod mihi in votis antiquiſſimum erit. Vale Magnifice Heros, & me in illorum numerum, quorum conatibus ex animo faves, aſſciſcito.

Veſtræ Magnificentiæ
humillimus cliens

CHRISTIANUS AAGAARD.

Horri-

HOrrificos titulos & formidata profundo (cis
Classica Hyperboreo, tumidisque infesta Süe-
Prælia perpetuis attollat fama quadrigis,
Et populis rerum insinuat documenta remotis.
Dediscat priscum decus Arsacidumque ruinas
Græcia. nunc omni tempestas Perside major
Atque alter rigidis Xerxes numerosus in armis.
Heic melior Vates, rursumque oracula surgunt,
Et patriæ dubitata salus interprete dextro
Robore fulta levi dubiâ defenditur alno.
Negligat antiquas clades stupeatque sinistros
Oceani casus Salamin præsensq; duellum.
Martem credo equidem bellum deterruit impar
Discrimenque audax; proprios exosa furores
Bellona incertô tractabat prælia votô.
Ad sonitus omni Neptunus inhorruit aulâ,
Cœruleosque axes conscendit, & arduus undis
Correptos passu jussit citiore jugales
Ire per adversas strages revolutaque totis
Savcia transtra fretis, & pugnæ damna recenset.
Purpureos stagnare lacus, æstuque cruentô
Nereidum maduisse domos ut vidit, anhela
Surgit & undanti Tethys hinc excita cubili
Classibus affrangit famulum victricibus æquor;
Et Regem venerata suum caput inserit alto.
Excedunt transacta fidem testesque refellet
Posteritas sequior chartas, majoraque veris
Credet, & autores gravior censura sequetur,
Usque adeo vicisse fide frustrabitur omni.
(cœptum
Quid primum memorare juvat? quo limine
Surget opus? Gentisne canam furtiva profanæ
Consilia, & parili prostratos strage Batavos?
Iam tuus, o Auguste Senex, animosus in hostes
Im-

Impetus, & multæ vis inconcussa Senectæ,
Et patriæ spectatus amor mihi carminis hujus
Limes erit? sacrum quocunq; vocaverit œstrum,
Materiâ superante premor, molemque recusant
Vires, nec tantos spero exæquare triumphos.
Existat sylvis comitatus & amnibus Augur,
Et mirata Deis quondam pallentis Averni
Plectra ferat, tumidamque lyram aversabitur an-
Tentatus toties Clariis, sua filaque rumpet, (tris
Et multum suprema rei trepidabit ad ausa.
Exsuperant decora ista modum, cognataq; cœlo
Despectat virtus humili clarescere cantu,
Atque tuis paria esse negat præconia gestis.

Discite mortales, cautasque advertite mentes,
Et mundi spectate vices, ut totus in armis
Sudet, & ancipiti jam dudum Marte laboret.
Hoc opus infidi princepsque industria Sveci
Moliri bella, & socias committere gentes,
Firmatasque olim pacis disrumpere leges.
Nec propriis satiata malis gens improba cessat
Indulgere odiis, rebusque inferre quietis
Dissidium, & mundi trahere incrementa ruinis.
Sit tandem sceleri modus, atque invisa facessant
Bella, nec hostiles cœlo intentate paratus.
Est Deus, est cœlo sua vis, atque arma Tonanti,
Innectitque moras pœnæ, spatioque gravescit
Ultio, & immensum lucratur tempore pondus.
Ite, hominum vexate genus, spolioque perenni
Exhaustus manibus vix suppetat orbis avaris;
Si tam sæva Deo sedit sententia, si sic
Ferratæ jussere colus; tamen angit Olympum
Pernicies obitusque hominum, prædataque terras
Gens alias discet simili impallescere fato.

Ut

Ut conclamatos crudeliter acta per agros
Bellua, sollicitos nemorum scrutata recessus
Et populata casas, postremo indagine cincta
Corruit; hostili depasta mapalia tabô
Stagnant, & tristi formidine rura levantur.

Tertia Parcarum surgebant stamine lustra,
Plenaque supremo fluitabat licia fuso,
Ex quo Teutonici peregrino Marte coloni
Quassati exhausta Suecum cervice ferebant;
Quemnam tanta mali series, quem incommoda gentis
Summa latent? turbantur agris, laribusq; paternis
Expulsi rigidos mittuntur adusque Gelonos.
Exiliis miserum vix alter sufficit orbis.
Nec tituli desunt, sanctè jurata Tonantis
Majestas aptum sceleratis commodat actis
Prætextum, & multo bellum investitur Olympo.
Interea propriis insudans Cimber aratris
Sub Jove versat humum cautus, ditemq; precatur
Autumnum, & plenâ distendit messe penates,
Largius afflatus diuturnæ munere pacis.
Vidit at Alecto fœcunda silentia Dani, (lam,
Invidiæque ardens stimulis styga oberrat anhe-
Crinales resoluta hydras, queis lambere terga
Perque sinus errare dedit, variasque volutans
Insidias, rigida compellat voce Sorores:
Siccine tranquillo propellere secula cursu
Fas est indulgere Gothis? En nube carentes
Delicias gentis, solique vacantia cœlo
Otia, & ex omni cessantes limine motus!
Ubertate tumet jugi, nimioque superbit
Successu nostrique sedet modo fulminis expers
Dania, & infernos nescit secura furores.

Unde animis novus iste pudor? quæ nostra mo-
Arma quies? ideone faces attollere tristes (ratur
Et furias agitare datum est, ut solus inerti
Perfusus somno declinet in otia Cimber?
Omnibus audimur populis, plerique calore
Intepuere meo, atq; avidè modo bella capessunt.
His inimica locis tantum admovisse vetamur
Signa, atque in placidum quicquam delinquere
Danum!
Excutienda quies, Cimbrisque ad castra vocatis
Ad lituos trepidare dabo; mihi militet omnis
Arctos, sique sinant æternæ fœdera legis,
Antiquum tentabo chaos transfundere rebus.
Bellona est imitanda mihi, quæ plurima Suecum
Possidet, & multa dementat pectora fraude.
Expedient mihi fata viam, cœloque magistro
Hoc fortasse opus aggredior. Sic fata cruentum
Mugit, & ingenti correptam robore pinum
Vibrans infernæ stagna intemerata paludis
Tartaraque & nigri pallentia tecta Tyranni
Testatur, dictisque fidem sua numina poscit.

Jamque secuturæ nimium portenta ruinæ
Erumpunt, Erebique imis effusa tenebris
Diva studet vario confundere bella tumultu.
Infernisque diu meditata sedilibus astus
Exilit, & tacito Sueci subterlegit oras
Allapsu, atque intrat loca sydere pressa nivoso;
Bellonæque habitus sumit, rigidasque Cerastas
Arctat, & errantes impressa casside frænat.
Effulget simulatus apex, galeæque coruscat
Mentitus crudele nitor; multo ora furore
Asperat, & rabie sufflammat lumina tristi.
Dextra hastam fingit, clypeoque gravatur inani
Læva,

Læva, & Amazonio ſuſpendit ſyrmata cinctu
Fibula, & à dextro deducit pectore veſtes.
Hoc ornata modô proceres ipſumque ſenatum
Aggreditur, ſenſumque aperit ſic fata profanum:
Illa ego ſum veſtri, Primores, Martis Enyo
Tutela & jurata comes; umbonis ad iſtud
Fulgur multoties flavis cecidere Sicambri
Crinibus, adque ictus toto Germania Rheno
Intremuit noſtros; ſemper me ſigna ferente
Vicimus, & ſociis hoſtem proſtravimus armis,
Et decora ampla tholis ſuſpendimus. undiq; no-
Paruit imperiis & frenum Teuto momordit. (ſtris
Noſtrum eſt quicquid Rhenus alit, quam gur-
gite flavo
Alluit Albis humum; quaſſavimus ora fugacis
Danubii, nihil uſque meo impenetrabile Marti eſt.
Solus inexhauſti depaſtus Teutonis arva
Vidit inanitos longævi ruris honores
Suecus, & attonitos ad acerba ſilentia Faunos.
Ipſe quidem aſſidua devictus clade fatiſcit
Cattus, & afflictæ ſtupet ad jejunia vitæ.
Quid juvat in vacuis hærere diutius oris,
Heic ubi victores victoſque affliget eâdem
Peſte fames, qua nulla magis damnoſa timetur?
Spes in vicino eſt opulentæ maxima prædæ:
Otia Cimber agit, propriiſque penatibus hærens
Divite luxuriat ſorte, æternamque quietem
Sperat; at enervi mens dudum marcida luxu
Dedidicit pugnas, & cunctis inclyta terris
Exceſſit virtus & formidabilis ardor.
Inſpectate habitus animorum, & ad omnia belli
Obſurdeſcentes curas hebetataque ſenſa.
Exedit caries haſtas, galeæque coruſcum
Poſſedit fulgur nimio ſqualore vetuſtas.

Tela ſtupor fregit, pharetriſque æterna ſagittas
Pax texit: nulli mens eſt educere ferrum,
Nemoque vicinum ſtudet evitare duellum.
Arma inferte citi, taciteque movete catervas,
Et famam certate rei prævertere curſu,
Impetus in lucro eſt, poſcitque ſilentia cœptum.
Excutiet vires timor, & languentia præceps
Pectora diſcrimen franget, lymphataque paſſim
Agmina diſcurrent rationis egentia certæ.
Materiem ſors quæq; dabit, larvamque decoram
Inveniet ferro. Quis Marti dicere leges
Suſtinet, adque æqui bella emendare rigorem?
Armis jura favent, juſteque egiſſe videtur
Qui ſuperat, parteſq; adeo quoq; fata ſequentur.
Quid memorem ſocios, quos talia vota fatigant,
Et dudum ſpes certa angit, pretiumque laboris
Indubium? Veſtrum eſt tantis aſſiſtere rebus,
Et fatis aperire vias. date ſemina belli.
Ipſa ego cunctantes immani animabo furore,
Et Gallos Batavoſque pari in diſcrimina ducam
Conſenſu, refugaſq; adigam ad ſuffragia gentes:
Æthiopumq; domos ſubeam, vicinaque Turcis
Regna, atque à quovis ardeſcent limite pugnæ.
Non ego Pangæos apices, Iſtrique fluenta
Anteferam Moſæ, Rhodopen mea Belgica vincit.
Et Thraces multum Batavos excedere juro,
Sic gens hæc jugi bellorum induruit uſu.
Hæc precium ceu Numen habet, ſpe concita lucri
Militat, & titulo ſibi prælia ſumit honeſto. (quor
Armorum hinc augenda ſeges, ſeu claſſibus æ-
Obſcurare placet, ſeu Martem accendere terrâ.
Hæc ubi dicta dedit, ſubitâ dilabitur aurâ,
Et ſceleris nimium cunctis inſpirat amorem.
Pars hærent, alii partes aſſenſibus implent,

Et

Et dubios captant dictis: Quidnam ire moramur,
Quò cœlum, quò fata vocant? pia suadet Olympus
Prælia, & affatus sequimur sine crimine Divum.
Antiquum subeat vulnus. disjectaque castris
Funera, & undantes Suecorum sanguine campi.
Pernicies geminare datas autoribus æquum est,
Ut propriis discant metiri nostra ruinis
Damna. rudes quondam belli pepulere Suëcos,
Sed nunc nostra ferè sub signis canuit ætas.
Sic animos firmant, atque ad suffragia cogunt
Obliquantque preces. parilis sententia cunctos
Devinxit, placidi turbare silentia Cimbri,
Ancipitique agros passim angustare quietos
Incursu, ferroque omnem transire per Arcton.

Jam Cimber, jam Scane tuos possederat amplo
Suecus Marte lares, ausuque elatus in isto
Grande tonat, Regemq; ipsum secretaque regni
Exturbare parat, voto lactatus inani.
Quanta senescentes tunc, Rex mitissime, vires
Cura lacessebat; quantis tibi serior ætas
Incaluit stimulis? medios prorumpere in hostes
Mens avet, & densas umbone impellere turmas,
Et patriæ proprios impendere sanguinis haustus.
Ut leo, quem timidis cædem intentasse juvencis
Agricolæ meminere prius, nunc luridus annis
Exuit immanem rabiem, se contra ruentem
Forte videns ursum, totis effunditur antris,
Et memor antiquæ virtutis languida firmat
Corpora, & imbelles horrendum mugit ad iras.
Te patriæ exercet præceps juvenile ruinæ,
Hostilesque doli, properique injuria casus.
Incertumque ratus alienæ fidere curæ,

Ipſe metum præſens omnem & ſuſpecta locorum
Inſpicis, objectoque intactum milite munis
Limen, & anfractus dubios male tutaque clauſtra
Præſtruis. heic juſta turmas ſtatione locatas
Partirique vices, tacitaſque ediſcere fraudes
Hoſtis, & inſidias cautè evitare latentes
Præcipis, & rerum quoſvis attendere motus.
Ipſa ſuæ fidei certant documenta probare
Agmina. depoſcunt ſibi prima pericla laboris
Quiſquis; Riphæas galeâ potare pruinas,
Et vigiles noctes quamvis humentibus aſtris
Ducere, & algenti poſuiſſe cubilia campo,
Atque Ducum trabeata cohors vulgique corona
Suſtinet, ipſam animam volupe eſt impendere
Nec tua caſtrenſi vallum prætoria ſepto (juſſis.
Ambit, nec vigilum ſubeuntes ordine certo
Excubiæ trepidum tibi diſſuaſere timorem;
Sed qua decreſcens breviore Fionia ripâ
Deſpectat Cimbros, ſummis in finibus hæres,
Vix corpus ſolito (tanti eſt fiducia recti
Et mens fulta polo) Regale ſatellite cinctus,
Et paſtorali non amplo culmine tectus,
Unde queas armis poſſeſſa hoſtilibus arva
Cernere, & eventus animo indagare futuros.
Nunc turbæ miſtus, Ducibus nunc additus ipſis
Omnia conſiliis, & multo dirigis uſu.

Hoc dudum intuitus diræ penetralia mentis
Concuſſit Suecus, miſtâ formidine votum
Intremuit, tardeque ſuis accedere cœptis
Eventum, tantoſque dolet lenteſcere motus.
Diffidenſque ſibi raptim peregrina fatigat
Auxilia, & nimium pronos in bella Batavos,
Atque iſtis gentem trahit ad conſortia dictis:
In-

Inclyta Gradivi ſoboles, & maximus orbis,
Belga, timor, bellis quem dudum maſcula virtus
Deſtinat, & mundi ſpoliis fera ditat Erinnys:
Nos Martis diſcrimen idem ſociique labores
Conciliant olim, dedimus documenta viciſſim
Mutua, & amborum ſpectatum eſt robur in armis.
Jam nos fata urgent, & lis cœpta omine lævo.
Obruimus Danos, & deſidis otia vitæ
Præcipiti dudum turbavimus impete, noſtro
Marte fatigatus jam longum Cimber anhelat.
Caſus in arbitrio cœli. namque invida votum
Impedit, & jugi conatus frigore tardat
Natura. audacter progreſſi utrumque tenemus
Limen, & ulterius non fas procedere terrâ.
Hæret iners bellum, dudumq; parata moratur
Claſſica hyems, horrentque gelu ſolidata perenni
Æquora, & optatos ſerò laxantur in uſus.
Nunc ſocii cœptis ſuccurrite. mitior oras
Temperat has aura, & favet his clementior annus
Portubus, & facili deſævit frigore bruma.
Claſſibus impugnate Danum, (quid robore fracto
Audeat?) & ſubito bellum accelerate paratu,
Atque ipſum librate caput. modò limine primo
Stamus, & ingentis nos prædæ ſæpe moratur
Ubertas, ſpoliiſque manus laſſantur opimis.
Quid regni interiora ferant, quò maxima traxit
Et rerum pretioſa timor? Vos ſydere dextro
Ite & exuviis gentis diteſcite vanæ.
Namque metu veſtrum nomen percellit hiantes,
Et miſeras animas prece mercabuntur & auro.
Si quos iſta juvant bellique arrideat ardor,
His quoque nos operam grandi penſabimus ære.
Quid non pollicitis agitur? meruere profanis

Assensum verbis, iturque ad classica passim,
Et conjuratis infestant æquora remis.

Dumque indefesso dispensas cuncta labore,
Et regni inviolata tui, Rex, undique firmas
Providus, en nigras succincta pavoribus alas
Fama refert Belgas numerosâ erumpere classe,
Adductos pretio spoliique cupidine nostri,
Terrificumque fretis atque exitiale minari
Terris. se belli molem ingeminare paratos,
Et narrata diu moliri classica, & ipsos
In propriis Danos citò debellare profundis.
Et licet augescant interprete quæque timore,
Non tamen à veris ablusimus usque periclis,
Nec caruit ratione timor. confuderat omnes
Nuncius, infractosque animi pallere coëgit.
Abjurant auctô priscum discrimine passim
Robur, & in miseros solvuntur pectora questus:
Quid demum sperare juvat? jam Scania Sueco
Paret, & exhaustus diuturna clade fatiscit
Cimber, ab utrovis minitatur cardine Mavors.
Jam pater Oceanus proprios in prælia fluctus
Armat. jam Australi graviora pericula portu
Existent miseris, vix puppibus æquora tantis
Balthica sufficient. lassabunt carbasa ventos,
Caurorumq; cohors vacuis immurmuret antris.
In nos infestis conjurat viribus orbis,
Nec patet effugium, à terris truculentior arcet
Suecus, perque fretum prohibent evadere Belgæ,
Scilicet in pecudum morem cædemur inulti.
Disrumpant elementa fidem, & compage solutâ
Obruat Arctoas effreni gurgite terras
Oceanus, populisque reducat secula Pyrrhæ,
Nam vasto miseros aliquando sub æquore mergi
Præstat

Præſtat, quam tumido ludibria vivere mundo.
Has paſſim voces & ſingultantia mittunt
Verba, nec eſt animis ſolatia quærere mœſtis.
Solus at ad caſus Rex ipſe interritus omnes
Obſtat, & Orcheſtræ luctum populiq; timorem
Solatur, meliuſque jubet ſperare jacentes.
Caniciemque ciens ſanctam plenoſque verendâ
Majeſtate dies, ſic dignum Principe fatur:
Nunc, nunc, o Proceres, animos firmate, ſaluti
Rerum attendentes, non uſquam emoveris hoſtem
Fletibus. haud emitur gemitu ſperata perenni
Palma, ſed audendo. modò participate labores
Diviſis mecum curis. avertite terrâ
Vos hoſtem, & vobis triſtes defendite clades.
Hoc mihi demandate nefas; emtos ego frangam
In bellum fremitus Batavi faſtuſque protervos:
Et ſolitum dubiâ tractare negotia ſorte
In mores faciam vultuſque redire priores.
Si vel Olympiferum denſis Atlanta maniplis
Cinxerit, & medios Lybiæ toleraverit æſtus:
Vel modò diverſo raptus ſub cardine, terræ
Conſcia naſcenti & primo pallentia ſole
Regna ferus rigidâ miles concuſſerit haſtâ,
Occidet, & ſanctè indutis ſuperabitur armis.
Turpe emitur virtus, mendicatique calores
Ampullas redolent, & ſemper in impete primo
Exſpirat robur pretio mercabile certo.
Fortiter orditur bellum, Martemque laceſſit
Mens patriæ devota ſuæ, juſtoque tenore
Pergit, & exhauſto jam demum pulvere neſcit
Laſſari, mortique animos in ſpicula firmos
Objicit, & volupe eſt illuſtri occumbere letho.
Sunt & bella Diis curæ, nec juſtius unquam

Cogitur in partes æther. insontibus armis
Subvenit, & justas in prælia commodat iras.
Non trahimur spoliis massæque libidine fulvæ;
Sed nos bella docet Pietas, patriæque ruentis
Tempora, & immani sudantes pondere cives.
Cum primum audaces freta sollicitare carinæ
Incipiant, Batavis vanum cecidisse tumorem,
Bellarique ausos victosque renunciet idem
Rumor. nam cœptis arridet jusque bonumque.
Erigit his animos dictis, & mentibus ægris
Inspirat robur. Diræ sic Gorgonis ultor
Andromedæ lacrymas vinctæ luctumque paren-
Mulcet, & ingenti propellens æquora flatu (tum
Invadens monstrum volucris, per viscera ferrum
Egit, & inviso turpavit cœrula tabo.

Mitior astrictum Zephyris laxaverat æquor
Annus, & horrentes hyemali sydere luces
Cœperunt multum verno mitescere Phœbo.
Irrumpunt pelagus classes, ventosque faventes
Expertæ canos sulcant lento agmine fluctus.
Ipsa tuum præsens, Rex Augustissime, Numen
Alta reformidant, tantoque Arctoa superbit
Pondere, & exacto tranquillat stagna tumultu,
Et proris humili Nereis adæstuat unda.
Jam freta scrutato Gottenburgique recessus
Nuncius advenit Listæ navalia stare
Belgæ, & Cimbriaco solidatas littore puppes
Jam spes maturare suas, prædæque petitæ
Audaces aptare manus, & funditus urbes
Se spoliaturos multo jactare furore;
Protinus acceptis rumoribus impete summo
Æstuat, & lentum nimis ad molimina pontum
Questus & ignavas iter accelerare carinas,

Rex

Rex cursum citat, & rerum discrimina primus
Attentare parat, rigidosque agnoscere mores
Et trepidata diu pugnacis robora Belgæ.
Ad partes properant nautæ, tardosque meatus
Præcipitare student. modò ventos lintea toto
Admittunt effusa sinu, modò suppara velis
Addita majori convectant syrmate flatus;
Languentesque alni instigant appendice cursus.
Ut verò hostili possessum remige littus
Aspexere procul, avidis in prælia votis
Exarsere animi, sed Dux audentior ipse
Arma crepat longè, Martem orditurq; tuendo.
Ut leo terribiles ad pugnas erudit armos
Amphitheatrali jam pulvere bellaturus,
Erectatque jubas, visoque rugitibus hoste
Intonat, & Caveæ percellit voce coronam.
Ergo animos leviter prætentat, & inter eundum
Irritat dictis, calcarque volentibus addit:
Hæc Sueci est jurata manus, sentinaque Belgæ
Atque orbis feces proprii, queis improba bellum
Suasit avarities, alienæque indiga stipis
Paupertas, & mens nostris lactata rapinis,
Pollicitisque Sueci. audacter discrimen inite
Primum, & venales citò desævire furores
Et spes eventu falli aspicietis iniquas.
Mentibus occurrat, quonam consorte duellum
Hocce capessendum, quis & hæc præcepta ministret;
Non heic jam, cives, Rex sed commilito vester.
Sumite in exemplum nostri documenta laboris,
Nive prior subeam, vos planè absistite cœptis.
Danorum laudata fides jurataque quondam
Majestas cœli vestris eluceat ausis.
Hauserat attentâ grandævi Principis aure

Hortatus ſtipata cohors, regeritque viciſſim:
Nec fas eſt cœlum; nec tantum fallere Regem
Atque datam violare fidem. miſcebitur Orco
Axis, & umbroſo palleſcet Olympus Averno,
Cum noſtra ambiguo nutarint pectora ſenſu.
O patriæ venerande parens, atque unica noſtri
Speſque ſaluſque orbis, dum priſci vena tenoris
Aſſuetum retractet iter, tua juſſa ſequemur,
Atq; fidem proprio teſtabimur uſque cruore. (tis
Excipit hæc Princeps: favor hoc pietaſq; Tonan-
Summa rependet opus, ſique unquam affulſerit
Exoptata quies patriis, ſtatuemus honores (arvis
Præmiaque egregios pretio æquatura labores,
Si qua poteſt operam merces penſare fidelem.
Dixit, & aſſuetâ cunctos ſtatione repoſtos
Feſtinare vetat, cauteque accendere pugnam
Mandat, & acceſſus attendere gnaviter hoſtis,
Ne qua modò incaſſum tormenta exploderet
ardor.
Aſt Batavus ſolam curſu adproperare citato
Aſpiciens navem, non pugnæ accomodat alnos,
Sed prædam de more parat, ſimul impete in ipſo
Cogitat actutum tam grande abſumere lucrum.
Dumque ruunt propius ſtipatæ in prælia claſſes
Danorum didicere artes, queis bella capeſſant.
Non tutò ignotos aliquando ſpreveris hoſtes.
Tormentis librata ratis ſubeuntis acervos
Exhorreſcit aquæ, poſſeſſumque æquore fundum
Sidit & ingenti turbat diſcrimine pugnam.
Fluxæ ſolvuntur ceræ, tabulataque coſtas
Denudant excuſſa imas, ac pervia navis
Gliſcit & acceptum manifeſtat ſaucia damnum.
Sic ſolidata latus cœnoſâ pinus arenâ
Regia Battavicæ diſpenſat ſpicula claſſi,

Et

Et propiora ferit. terrent exempla remotos,
Digressique procul frustrata tonitrua vibrant,
Disperduntque minas ad tanta pericula cauti.
Sic hostis quondam Calydonius obvia rupit
Ilia, & instantes disjecit dente molossos:
Aufugêre metu reliqui & latratibus auras
Implentes trepidis exhalant vocibus iras.
Cœtera jam classis successit & impigra pugnam
Orditur. cœnoque alnus relevata vadoso
Principis à tantis animosa revertitur actis,
Conscia perpetui decoris. ceu funera quondam
Quinquagena virûm numerans Oenëius Heros,
Quos letho dederat solus, jactantior Argos
Regreditur Tyriæ perfusus imagine palmæ.
Jam Martis fervebat opus, repetitaque tela
Alternâ passim manantia cæde ruebant,
Cum Batavus pugnæ tandem discrimine fessus,
Consilio properat mutato abducere classem,
Relliquiasque sui in portum deferre laborat.
Noxque soporiferis jam tum provecta quadrigis
Accensum requiescit opus, postque ardua belli
Tædia languentes animare quiete carinas
Præcipit, exhaustasque sopore resumere vires.

Postera nocturnos aurora fugaverat ignes,
Impuleratque vagos nascenti sydere fluctus
Cynthius. infaustumque redintegrare duellum
Detrectat Batavus. solitæque affusus arenæ
Hesternæ multum deflet dispendia pugnæ.
Nec fas est nostris superare vadosa carinis
Littora, cessantemque lacessere cominus hostem.
Usque adeo immensæ tardantur pondere naves,
In queis decisis solidantur robora ramis.
Ergo moræ impatiens Princeps victricia Coris

Lintea permittit, sulcataque stagna triumphans
Augustè ingreditur, maribusque silentia vultu
Imperat & ventis. admurmurat æquor eunti,
Et longè placidis æther assibilat auris.
Sic post Phlægræas pugnas atque armaGigantum
Jupiter ætheream victor remeabat ad aulam
Cœlicolum septus pompâ, lauroque recenti
Evinctus crines, venienti aperitur Olympus,
Atque triumphantem venerantur syderaRegem.
Ut cessisse Ducem & vacuum stationibus æquor
Perspexere hostes, properis se hortatibus urgent:
Nunc socii accelerate fugam, suspendite vela,
Et scissos laxate sinus, incumbite remis,
Si quà Battavicis liceat transferre profundis
Naufragii fragmenta hujus truncataque transtra,
Afflictasque animas laribus mulcere paternis.
Quod si nos hostis spatio sortitur aperto,
Et malè tentatis rursum insudabimus armis,
Actum est. profuerit laceras retulisse triremes
Quoque modo, & miseræ lucrari munera lucis.
Cum dicto trepidas angusto tramite naves
Educunt, ineuntque fugam. comitantur euntes
Horror, & afflicto titubantia tædia gressu,
Nec toleranda lues morbi, frustrataque vota,
Et malè tuta fides, & desperatio vecors,
Atque aliæ pestes & inanis monstra Barathri.
Æquoris iratum murmur nova classica credunt,
Et ventos ceu tela timent, omnemque per auram
Ingruere horrescunt graviori turbine Danum.
Ut saltus & lustra petit vestigia retro
Triste lupus referens, medio quem rura mapali
Arctatum gravibus mulctarant fustibus, & post
Unguibus & sæva exarmatum dentibus ora
Propulerant, magnoq; procul clamore fatigant.
Ille

Ille viis inhians, & lumina ſæpe retrorſum
Torquens à tergis ululantis ſibila vulgi
Horret, & incertis metitur paſſibus agros.

At pater Oceanus caſu turbatus iniquo
Danorum, rerumque vices & fata recenſens
Sollicito varias volvebat pectore curas:
Anne orbis ſuprema Deus diſcrimina ſciret?
Anne uno regna & populos exſcindere lapſu,
Seculaque ad pecudum ritus damnare pararet?
An ſic præcipiti quaſſaret turbine mundum
Inſidioſa quies, pacemque agitare noceret?
An ſuperis Batavi perjuria tanta placerent,
Et foret in lucro teſtatos fallere Divos?
Hæc Deus abſtruſis ſecum referebat in antris,
Cum ſubito fuſæ trepidantia murmura claſſis
Accipit, exſertatque caput. non alga capillos
Incingit vitreos. naſcentia littore rubro
Germina frontis honos. madidis ſtagnantia barbis
Flumina diſtillant. diffuſoque æquor amictu
Poſſidet, atque humeris dependent pallia totis.
Hoc habitu effulgens ipſiſque erectior undis
Extat, & affatur fugientem talibus hoſtem:
Cur adeo trepidas? quæ tantos, Belga, timores
Suadet cauſa? hæcne eſt ſuperantis gloria claſſis?
Dic ubi ſupremo nutantes vertice laurus,
Et pompoſus apex, umbrataque lintea ſertis?
Hæc geſtanda refers bone matribus ornamenta
Battavicis erepta Gotho? numeroſior hic eſt
Gemmarum cenſus, prædæque argentea moles,
Atque laboratum feſſis incudibus aurum.
O Erebi pœnis & ſtigmate digne perenni
Opprobriiſq; hominum, juſtis vix ſufficit armis
Robur hebes, belliſque (nefas!) inceſſis amicos.

Sic

Sic prædæ pensatur amor probrosaque lucra,
Eventuque caret pretium Mars pactus avarum.
Dextera tormentis quatitur modò promta rapi-
Et queîs Cimbriacas calcares victor arenas, (nis,
Crura excussa labant, & cœpti suasor iniqui
Pulsatur caput incestans aspergine fluctus.
Vires disce Gothi priscosque in prælia mores,
Atque quiescentem noli irritare vigorem,
Vivet & arreptâ ruet impetuosior ansâ.
Ne vexato Senem, quem turmis ambit Olympus
Ætheriis, pro quo studiosius excubat æther.
Si monitis locus est, injusto parce duello,
Et fati reputato vices, si justus Iberos
Vestri terror agit, cœlumque allabitur ausis,
Et si libertas patriæ pia suadeat arma,
Queîs ruis heic tandem titulis in prælia, quæ te
Induxit ratio, nisi prædæ sacra cupido?
Justis Jova favet bellis, injusta perosus.
Sed scio nec fatis sic inflectere sinistris,
Altera bella move, rursumque fugabere Dano.
Commune exitium terræ jurataque pestis,
Qui gentes licitare alias famosior orbis
Institor, en unquam rabies stygia ista fatiscet?
O mihi si liceat totum laxare profundum,
Atque hyemes inferre graves, nec fata vetarent,
In profugum cunctas concirem quaque sorores,
Atq; malum terris properarem avertere tantum.
Cum dicto liquidæ frendens immergitur aulæ,
Extremosq; sonos summis immurmurat undis.
Scilicet est voti modus, & reverentia cœli
Prævalet optatis, hac fas est sistere metâ.
Exturbasse fretis hostem lætabile nobis
Munus, at æterni variat sententia Jovæ.
I potius fractus vires, nostrumque tropæum
Vive,

Vive, & perpetuo tua regna affige pudore.
Gentibus esto omen reliquis. nimiumq; profani
Pollicitis Sueci ne fidito. mobile fatum est,
Et vota ex nutu pendent incerta Tonantis.

Fortunate Heros nostrique immensior ævi
Gloria Danorumque salus, cui bella secundat
Associatque agmen toties cœleste Jehova,
Auspiciis procede bonis, & victor honores
Scande triumphales, alios tibi sufficit annos
Jova, & inexhausto renovantur vellere fusi,
Et Dea tam sanctâ lassari mole recusat.
Aspice suffultos meliori robore cives, (num.
Atque exsangue caput nunc ausum attollere Da-
Perge nefas hostis victrici exscindere dextrâ,
Et conjurato dispellere gurgite Succum,
Venalique armis confundere vota Batavo.
En erit illa dies, solitâ qua pace decorus
Victor Hyperboreas dominaberis inclytus orbi.
Maxime perge Ducum, vires tibi Jupiter addet,
Faustaque portendet conatibus omina cœlum.

---

(5)

Dn. STEPHANO JOHANNI STEPHANIO Saxonem Grammaticum edenti. 1644.

Magnis magna placent, animosus ad ardua ten-
Spiritus, in gravibus sudor anhelus ovat. (dit
Laus in sublimi prostat, vestigia retro
Ferre pudet, refugos maximus error habet:
Im-

Impetus in lucro eſt, nullum tentaſſe pigebit,
Aſperat egregium palma ſevera decus.
Eſt honor ingenio trahere in ſuffragia Divos,
Et merita arbitrio ferre brabia poli.
Ecce tuis, STEPHANI, crevit reverentia chartis,
Divinumque Helicon totus inumbrat opus.
SAXONEM Latiæ commendant ſyrmata Suadæ,
Sublimemque decet pompa decora ſtylum.
Ante quidem galeis Tyberim victricibus hauſit
Cimber, & invaſit roſtra diſerta Gothus:
Heic Marti certant Muſæ, nam maxima grandis
Æquiparat tumido SAXO trophæa ſono.
Duplex noſter honor, dominas pepuliſſe phalan-
Terribileſque aliis hic tremuiſſe globos; (ges,
Et Latiæ ancipitem linguæ feciſſe Quirino
Palmam, & convelli munere roſtra ſuo.
Carpit at ignavum facunda volumina tempus,
Atque rudes metuit pagina docta manus.
SAXONI hæc peperit triſtes incuria nævos,
Indignas patitur dictio pura notas.
Emendat tantæ STEPHANUS diſpendia cladis:
Dediſcitque apices fida litura nothos:
Attollunt numeros rediviva emblemata priſcos,
Atque gravis ſolito dictio more tumet.
Et ne difficilem involvat facundia ſenſum,
Interpres totum cura recenſet opus.
Negligit obſcuros jam lucida pompa cothurnos,
Lectorique patent verba rotunda ſuo.
Hæc duplicem STEPHANO molitur adorea lau-
Perpetuoque caput flore corona ligat. (rum,
Sis igitur Στέφανος, ſobolique merere futuræ,
Agnoſcent ſtudium ſecula grata tuum.

(6)

CINERES (6)

Nobilissimæ Infantis

BIRGITTÆ SOPHIÆ RAMEL,

Filiolæ illustris & Generosi Herois

HENRICI RAMEL

Academiæ Regiæ, quæ Soræ est, Præsidis Magnifici. 1645.

Lactentes Veneres & amatæ gaudia prolis
Et modò pacta DEO pignora fata legunt;
Nec molles prosunt risus aut balbula linguæ
Murmura & in primo gratia flore micans.
In cunas sævire libet, cœptasque perosa
Parca colus tenerum fessa retexit opus.
Quid demum sperare juvat, cum purior ætas
Occidat & nullo gens temerata malo.
An vagire nefas sit, vel lactantia fletu
Ubera, & effuso poscere rore cibos?
Deliciasque leves querulo conscifcere risu,
Atque imperfectos ore ciere sonos?
Aut matri blandis crebra extorquere querelis
Oscula, & elingues congeminare jocos?
Innocuum rapido tumulatur funere vulgus,
Morsque citat paucos antecipare dies;
Ut miseræ augescat geminata molestia matri,
Atque absens discat vulnera tanta Pater.
Quantumcunque moræ fuit indulsisse parenti
Languida materno membra levare sinu,
Pallentesque genas mulcere oculosque cadentes,
Atque animæ tepidam detinuisse fugam?

Sic

Sic campi primam Boreâ populante juventam
  Exſpirat tenero purpura vere rubens.
Sollicitè deflent ſtellata cubilia Nymphæ,
  Et damnat virides horrida Veſta toros.
Sed neque ſic ſine laude jaces, properantius æquo
  Rapta infans, ævi transgrediere modum:
Nam ſi majorum virtus æquataque cœlo
  Nomina perpetuum poſtera ſecla manent,
Pars bene magna tui tumulis æternior ibit,
  Penſabuntque ævum priſca decora domus.
Hoc quoddam Pylium eſt ſenium, ſic portio vitæ
  Creſcit & extincti perpetuatur honos.
Mirandum qui fata meant. hic luridus annis
  Vivit & exhauſtum rumpere neſcit iter?
Hic prius abripitur letho, quam vivere novit,
  Anguſtoſque dies nox diuturna premit.
Præſidium columenq; meum generoſe RAMEL-
  An fraudi dabitur juſque bonumque ſequi? (LI
Hoc ne inſtaurato peccavit Sora Lyceo,
  Ut quateret veſtros tanta ruina lares?
Anne erit in fatis, lento incrementa dolori
  Sufficere & ſenſim proximiora rapi?
Sic viſum Superis, nec contrà tendere fas eſt;
  Adverſis emitur velle placere Deo.
Hic pietatis honos, his inſudare juvabit?
  Exercet ſanctos ſed ſine felle labor.
Nec periit, quem fata vocant, ſuper aſtra trium-
  Gaudia participat deliciaſque poli. (phans
Quare, ô Heroina, parens deſiſte querelis:
  Sæva emolliri fletibus urna nequit.
Mortale eſt quodcunq; ſumus; perq; aſpera rerum
  Et per mille vices flebilis hora fugit.
Felices vitâ functi, nos crudior æſtus
  Enecat, hos vitæ mulcet amica quies.

Non

Non tibi præcipiti deceſſit filia morte,
Sed transgreſſa polum cum Jove perpes agit.
Atque ignara loqui modulos meditatur amœnos,
Angelicumque ardet inſonuiſſe melos.
Implexuque hærens ſponſi ſincera propinat
Oſcula, & alternas percipit igne vices.
Non hæc ſancta parens mors eſt, verùm ocia cer-
Sic genuiſſe juvat, ſic cecidiſſe libet. (ta;

VOTIS (7)

Reverendi, Clariſſimi & Præſtantiſſimi Viri

DN. M. NICOLAI AAGAARDI,

Parochiæ FAXÆENSIS Paſtoris,

Fratris dilectiſſimi,

BARBARAM PETRI

matrimonio ſibi jungentis, fauſta quæque reſpondeant.

1645.

Barbariem ſuavem tenebraſque Cupido beatas
Mentibus obfundat, tetricæq; operata Miner-
Pectora deſiſtant artes laſſare prioreś, (væ
Palladiumque urgere ſophos, nunc altera lex eſt,
Et nova Pirenen moderantur Numina ſacram.
Sceptra recens orditur Amor, Clarijque penates
Idaliæ parent Matri, præruptaque Pindi
Saxa cohors pharetrata tenet. ſibi Delius arcus
Aptat & inſolitis armatur dextera tædis
Auratam moderata chelyn, ceſtoque potentes
Pie-

Pierides rerum molimina grandia damnant,
Atque laboratis indicunt ocia curis.
Longè omnis doctrina fugit. quæ tempora Musis
Acta priùs, Regina Venus disperdere lusu
Imperat, atque jocis fœtos impendere soles.
In lucro stupor est, & mentis nobile pondus
Ignorasse juvat. pensant oblivia rerum
Amplexus tenerique sales castique lepores,
Quæque maritalem commendat gratia Cyprin.

Vidit Hyperboreas trangressus Phœbus ad aras
Castalio medium moliri bella Senatu
Formosæ puerum Veneris, cornuque minari
Sueta coruscantem haud puerili spicula dextrâ;
Atque Cupidineâ deceptus lampade quondam
Impete præcipitat vestigia, & eminus inquit:
Ætherii domitor populi, gentisque profanæ
Pernicies & dulce malum, quid nostra frequentas
Rura atque Aoniis sudantia limina sacris,
Obsequioque paras cunctas torquere sorores;
Idalias remeato domus famosaque Cypri
Regna teneto. hic jura tui metuenda caloris
Exsere, & in reliquum desæviat impetus orbem.
Nos sacrum genus & rerum sub pondere fessi
Delicias molles enervatumque Diones
Despicimus vulgus, quos læna effœminat ætas.
Risit amor Phœbique minas & jurgia vultu
Discussit facili, pariterque adducta relaxans
Cornua præcipitem sedavit amicior iram: (rum
Sic te Magne Heros Tymbræ indetonsa coma-
Gloria condeceat, tumidæ nec cedat alumno
Thebes, ut vestram tristi disrumpere pacem
Bello, vel placidis turbare silentia Musis
Non paro. scis istis misceri gaudia telis,

Atque

Atque animos hominum geniali lege jugari.
Nec tibi nec doctis ſcelus eſt, aut turpe Camœnis
Vulnera noſtra pati. ſi Calliopea calores
Spreviſſet Paphios, & Apollo cupidinis arcus,
Orphea non unquam ſtupuiſſent rura canentem,
Nec Regum ambirent victrices tempora laurus.
Quæ mala nos igitur torquet diſcordia Divos,
Imbelleſque ad bella vocat? ni gaudia Marti
Hæc præcepta forent, Phœbo nupſiſſe Dionen
Notior extaret ſtellanti rumor Olympo.
Nec mihi Tymbræum Clariaſve ferire ſorores
Jam libet. AAGAARDI librentur ſpicula fibris,
Indomituſq; ſciat quæ quondam Numina temſit.
Dixerat. emiſſæ ſtrident per inane ſagittæ,
Imaque conceptum depaſcit pectora telum.
Et velut Oetæo congeſta in vertice buſta
Sulphure ſi tangas, tacitis animata favillis
Concipient flammas & latè incendia fundent.
Sic dolor ardeſcens lento per viſcera morſu
Serpit. at ille faces vix tiro edoctus anhelas
Inſolitos æſtus miratur alitque fovetque.
Nunc juvat amplecti cupideque innectere collo
Brachia, nunc menti blanditur vocibus ægræ,
Mordaceſque docet verbis miteſcere curas.
Aſtrorumque moras & inertia ſydera ſecum
Accuſans tenebras lætas noctemque beatam
Cogitat, atque annum pro luce paciſcitur illa,
Segniaque ingenti licitatur tempora voto.

Ut verò ex alto bellantis murmura nati
Senſit Amyclæis Cytherea invecta quadrigis,
Accelerat, tantoſque auſus & prælia geſtit
Diſcere & exhauſtæ non irrita tela pharetræ.
Ille recens ſpolium ſubitique decora triumphi
Celſior

Celſior enumerat, curruque exceptus eburneo,
Vicimus, ingeminat, noſtri eſt acceſſio regni,
Noſter AGAARDUS amat, modoque ultro frena momordit,
Quem priùs illecebras plane ejuraſſe putabant.
Scilicet, alma parens, proſcribant noſtra feroces
Imperia, & ſurdo decedat corde cupido;
Illicibus pugnabo oculis, præreptaque labris
Oſcula purpureis animis mea jura refundent,
Atque reluctantes ſenſim ſub vincula cogent.
Aſt Ericyna Deum blandè venerata comantem
Curruque invitans volucres effundit habenas,
Ingrediturque auras. clareſcit Amoribus omnis
Semita. poſſedit fulvum vaga terga metallum.
Obſcurant refugum peregrina ad lumina ſolem,
Stipatique greges inducunt nubila terræ.
At Venus amplexu Phœbum dignata ſuperbo
Excuſat nati pueriles comiter auſus.
Quid mea regna velint, quid vires, Delie, noſti.
Deliciis præſum nexuſque faceſque miniſtro:
Muneris hæc noſtri vis eſt, hoc limite cogor.
Nec Veneri accedet Phœbei transfuga cœtus;
Artibus oblector veſtris, me maxima captat
Ambitio Vatum, laſcivi ego carminis autor.
Heroas generant, rerum qui frena capeſſunt,
Plebejos fex ima hominum. Quæ fata morantur
Doctorum parili genus increbeſcere lucro?
Occidat Aſcræus, pendebit ab ubere Vates
Alter, & in cunis nobis Maro vagiet infans.
Tuque adeò qui noſtra novus modò prælia miles
Aggrederis, ſtadiique modum jam conficis omnem
Auſpiciis AAGAARDE meis, ſibi veſtra mereri
Fœdera depoſcunt Permeſſidos inclyta Divæ
Nu-

Numina, & exſpectant formoſam ſecula prolem:
Tu numerum tranſcende patris. vobiſq; fideles
Commodet excubias concordia, & undiq; triſtis
Proſcribat lites. Sic te tua Barbara molli
Excipiens gremio vernos ſpirantia flores
Baſia congeminet, quot noſtras tela pharetras
Armant; expenſaſque vices cum fœnore ſumat.
Hæc Dea ſubridens memorat, libandaque fratri
Plenius ora tulit cœleſti afflata lepore.
Aſt ille intonſo promiſſum vertice crinem
Excutiens manſura jubet ſic fœdera pangi,
Et doctos rurſum rurſumque ad caſtra vocari:
Parcarumque novat meliori vellere fuſos,
Et mandat placido deſcendere ſecula curſu.

IN OBITUM (8)

MAGDALENÆ JOHANNIS,

Ampliſſimi & Prudentiſſimi Viri

LAURENTII CHRISTIANI,

apud Holbecenſes conſulis primarii defunctæ uxoris. 1645.

Ingeminant leſſus miſeris inimica moleſtos
Fata: omnis paſſim, quod dolet, orbis habet.
Quis modus ô ſuperi? buſto mactamur & armis.
Parcite, ſat nobis altera tela nocent.
Plectitur imbellis ſexus, nos crudior ætas
In bella & vetitum tendimus uſque nefas;
Participant culpam reliqui. Si perdere mens eſt,
Diſpereat triſti gens ſcelerata nece:
Aut ſi ſublato Lacheſis diſcrimine ſævit,
Et juvat infeſtâ fila ſecare manu,

Invaleat peſtis, ſi uſquam lacrymabile non ſit
Lethum, nec fatis ingemat orba domus.
Publicus hic dolor eſt, quia latè gliſcit adactum
Vulnus, & innumeros tanta ruina ferit.
Vir thalamos luget viduos, pupillaque matrem
Pignora, & afflictus commoda priſca gener
In commune dolent. fuſcantur nocte curules,
Ignoratque ſuum curia tota decus.
Non ita quis moritur, ſed cunctæ triſtia plebi
Imperat, & cives mœſta ciere docet.
Fœmineæ virtutis apex, modò funus acerbum
MAGDALIS & propriæ flebilis urna domus,
Præcipites tibi Parca colus exhauſtaque rumpit
Stamina, nec flecti jura ſevera ſinit; (ctum
Non ſobolem teneram nec caſſum conjuge le-
Reſpicit, hæc fruſtra quis memorare parat.
Heu illa anticipans annos prudentia tardos,
Et vigor, & roſeis purpura mixta genis.
Facundumque oris decus, auguſtique lepores,
Clauſaque tam tenui dos numeroſa lare.
Hæc illa invidia eſt fati, livere ſecundis,
Et quanquam rari, parcere nolle bonis.
Quam miſeri, quos iſta gravant, queis tempora nondum
Permittunt damnis indoluiſſe ſuis.
Ah ſoboles primas gemitu exorſùra loquelas
Cui nunc blanditiis es placitura tuis?
Exceſſit mater, cui murmura priſca movebas,
Non datur hinc ſolitos dulce gravare ſinus.
Succedat curis Deus, atque exordia vitæ
Dirigat, & clemens ad meliora vocet.
Et planctus moderare precor, mœſtiſſime con-
Hoc ſæpe exercent Numina more ſuos. (jux,
Velle

Velle tuum ſit velle Dei, te ſiſtere metâ
Hac decet, & votis impoſuiſſe modum.
Naſcimur in raptus; nos primæ copia lucis
Tranſcribit diræ proſtituitque neci.
Exſpirantque pii, ne pravæ aſpergine labis
Vileſcant, ipſi quæ placuere polo.
MAGDALIS in portu eſt, fatuæq; pericula ſortis
Ridet, & incertis fata rotata notis.
Aſtra videt circum, totoque extantia cœlo
Gaudia, & æthereos dinumerare juvat.
Angelicæque melos turbæ miratur, & ipſa
Conatur paribus ſoſtra beata metris. (bræ;
Hic noſtri modus eſt curſus; huc tendimus um-
Felices, quibus hæc hora benigna ferat.
Illa quis extinctis ſapiens invidit amicis?
Invidiæ gravior lacrima crimen habet.
Proſpera quæque tulit, natalibus inclita claris,
Clarum nacta virum dextraque jura tori, (tra
Formoſæ genetrix ſobolis. Quid MAGDALIS ul-
Sollicitare Deum, aut poſcere vota queunt?
Conditur inviſâ corpus tellure, ſuperſtes
Deſpectat crudo ceſpite fama tegi.

Ad (9)

Reverendum & Clariſſimum Virum

DN. M. MARCUM CHRISTIANI HUMBLETT

Πληροφορίαν fidei edentem

1646.

Vivimus infidum genus, atque ignara doceri
Et ſolidæ paſſim gens inimica ſpei.

Credis homo Cœlum Christi virtute parari,
Sed nutat dubiis fluctibus acta fides.
Peccatis oras veniam scelerique priori,
Sed dubitas velle hoc vel potuisse Deum.
Fidere ni discas, dedisces velle precari;
Est scelus ambiguo quicquid ab ore sonat.
Scire cupis quid sit dubitare, refellere Christum
Inque sua, ætherio sceptra negare seni. (est,
Fidito, constanti concedit adorea voto,
Certæque expugnant astra Deumque preces.
Intereant Cœli & spatiosum exareat æquor,
Inque prius redeat machina tota chaos;
Spes, sibi quæ constat, cœlis æternior ibit,
Atque quod est ultra gestit abire fides,
Et metas egressa ævi secreta Tonantis
Concipit, atque orbis si qua futurus habet.
Hæc HUMBLETTE doces, fideique arcana revelas,
Et monstras, quæ sit spes placitura Deo.
Quæ quod sperat avet, nec inani fluctuat æstu,
Quæque animis sistit, quod procul esse putant.
Quam modò si demas, pereunt solatia vitæ
Omnia, & afflictas quæ levat aura vices.
Spes fundata Deo Satanæ indignantia tela
Despicit, & mundi quod creat atra lues.
Dum spe sincera lactantur corda piorum,
Dumque placent summo vota precesq; Patri,
Semper honos HUMBLETTE tuus tantique laboris
Gloria durabit famaque digna legi.

VIRIS (10)

Admodum Reverendis, Clariſſimis, Excellentiſſimis

DN. ERICO MONRADO

Ripenſis Diœceſeos Epiſcopo vigilantiſſimo,

D. M. JOHANNI SVANINGIO

S. S. Theologiæ in Regia Hafnienſi Academia Profeſſori Ordinario,

D. GEORGIO WITZLEBIO

S. S. Theolog. in Regia & Equeſtri Academia, quæ Soræ eſt, Prof. P. Paſtorique fideliſs.

Fautoribus & Euergetis multum honorandis

Fauſta honorum incrementa ſummaque in Theologia Laurea eveniant. 1646.

Splendida Pegaſeæ ſumunt exordia laurus;
Et doctis geminatur honos, titulique priores
Augeſcunt meliore gradu. modò judice cœlo

Læta triumphatas agnoſcunt pectora curas,
Et tanti tetuliſſe putant. ſua præmia virtus
Suſcipit, & multo penſantur honore labores.
Mygdoniis elata toris jactantior exi,
Et roſeis, Aurora, comis palatia latè
Poſſideas, creperum donec pater igneus orbem
Intret & ignivomi ſpument ſub frena jugales;
Nec fugitiva tuo concedas limite, Phœbi
Majori confuſa die, nec pallida turbent
Sydera lucis equi, totum ad ſpectacula cœlum
Prodeat & ſtudii diſcat momenta ſeveri,
Virtutiſque juvet intellexiſſe decora.
Ipſe venenoſo metuendam flumine Lernam, &
Tergemina nece Geryonem domet, atque ruen-
Suſtentet cervice polos, & ſydera portet (tes
Amphitryoniades, monſtroſis diſſona geſtis
Heic didiciſſe libet multo gravidata Tonante
Pondera, & afflatas æterno Numine mentes,
Præmiaque arbitrio modò diſpenſata Jehovæ.

Vix dum ſopierat feralem mœſta tumultum
Cimbria, & ex omni ceſſarat limite terror,
Cum paſſim ingenti conſtratum limen acervo
Undanteſque domus hoſtili ſanguine cernens
Indoluit ſceleri, & triſtis ſolatia caſus
Diſcupiens RIPE cœlo interiore potitur.
Utque erat aſſiduo multum enervata timore,
Pallenteſque exhauſta genas atque horrida vultu
Incipit, ac æquis immiſcet vota querelis:
Si libet excidio peccata exſcindere terræ,
Atque Arctus abolere nefas, Sator optime mundi,
En patriæ ſcelus omne lui. truncata virorum
Corpora, & abruptis ſqualentes artubus arces
Sæpius aſpexi Martem indignata nefandum;
Nunc

Nunc armis indicta quies, nec rauca cruentum
Buccina mugitum novit, da maxime Rector,
Quod cupiam vidisse, decus, sic damna resarci.
MONRADUM, cui sceptra mei sunt credita coetus,
Insignem titulis & multo nomine clarum
Doctoris videam, miserè mihi pectora fervent
Illi assurrexisse viro, cui summa salutis
Debeo & ætherii sincera oracula verbi.
Ah quoties memini, fureret cum Martius ardor,
Ingemuisse malis, & mentes vocibus ægras
Solari, afflictos melius sperare jubentem.
Hæc RIPE. cum præcipiti super æthera gressu
Ardua cœruleo processit PORTUA vultu,
Et solium venerata Jovis sic protinus infit:
Exhaustas quererer cathedras confusaque morte
Atria Doctorum, tibi ni sententia ruptas
Instaurasse vices sedit, nunc præmia tantis
Accedant meritis. Musas SVANINGIUS orbas
Erexit, solitoque dedit loca fervere coetu.
Scis pater ipse Viri studium. scrutatus Hydaspen
Et gentis secreta sacræ, quæ contudit urbes
Isacidum, populumque tuum sub vincula duxit,
Jam dudum placitis se totum emancipat æthræ.
Augescat cum mole decus, & tempora circum
Fulgeat immenso resplendens laurea fastu.
Adfuit & fluido sylvosas vertice quercus
Excutiens SORA, & facilem sibi poscit Olympum:
Quid mihi profuerit latè inclarescere Musis,
Heroumque suis genus excoluisse palæstris,
Si pretium fuerit toties mutare Docentes,
Atque fatiscentes fatorum ad Sceptra Camoenas,
Et mutos sensisse lares. quot tempora nostri, (rũ.
Tot quoque Doctorum numerabunt busta viro-

Sed quia WITZLEBIUS priſcæ diſpendia ſortis
Penſet, & æterno damnata palatia luctu
Cœleſtes rurſum faciat reſonare loquelas,
Hacce placent mercede vices, hoc triſtia lucro.
Sit meritis honor, & titulo excellentior omni
WITSLEBIUS Doctor noſtris affulgeat aris.

Ut dixit, precibus Pater immutabile juſtis
Pondus ineſſe dedit ſolio ſic fatus ab alto:
Doctorum curas ſtudiiſque exercita ſanctis
Pectora perpetuis libet exornare tropæis;
Non quæ mundus amet titulo lactatus inani,
Qualia ſed virtus pietaſque inſignia ferre
Geſtit, & ætheriis inſcribi nomina faſtis.
Laurea MONRADUM cingat, tamen altior eſt laus
Faſcibus inſignem ſacris dominarier aris
Et populo dare jura DEI, vitæque beatæ
Commoda & æternæ bona diſpenſaſſe ſalutis.
Te quoque SVANINGI titulis lauruque decorum
Secula mirentur, ſtupeatque Cathedra docentem
Scrutantemque ævi nævos, dum dogmata prava
Caſtigas, verumque paras ſecernere falſo;
Hoc geminatus honor ſtudium non anteit unquam.
Et tibi WITSLEBI felici ſydere tanti
Incrementa gradus veniant & adorea laudum.
Hoc foeti meruere dies conſumptaque Muſis
Momenta aſſiduam non detrectantia molem.
Perge greges animare tuos, multumq; Tonanti
Lucrari, gentiſque nefas jugulare profanæ;
Et tuus auſpiciis labor efflorescet Olympi.
At BROCHMANNE ſenex ſanctum conſcende tribunal
Arbitrioque poli ſummos moderator honores

Et

Et tales mactato viros. sua pignora patres
Enumerent, laurus tu percenseto superbas.
Felix vive diu & vegetam experiare senectam.
Sæpius & Doctis sic compensato labores.
Dixerat, at verbis duxerunt consona Parcæ
Stamina, sinceroque colos rutilare metallo
Jusserunt placidosque dies cum foenore labi.

NOVIS NUPTIS (11)

DANIELI Weinholdt/ & ANNÆ VILHADI,

faufta quæque eveniant.

1647.

Dum versant terras hyemali sydere pisces,
Angustumque sinunt latius ire diem;
Dux tener in pharetris mollique potentior igne
Imminet insidiis & sua bella movet.
Exertatque faces, brumæque insultat inerti
Impellens ipsum vi meliore gelu.
Vicinasque, inquit, quid nobis objicis undas,
Aut mea sopiri spicula posse mari?
Prima dedit nostræ pontus cunabula matri,
Cœruleique sinus, quæ genuere, timent:
Ipse parens pelagi gremio refovetur amicæ
Tethyos, & nostro sæpius igne calet.
Sit locus hic *Crucis ora* piæ, ratione decusses
Nunc alia statuam, quos iterasse juvet;
Amplexus simili surgent sub imagine crebri,
Et quicunque decent gaudia nostra sales.
ANNA satis sterilem sit jam coluisse pudorem,
Disce maritales obsequiosa jocos,

Et matris quàm ſuavis honos, dum pignora cir-
In tenera ludant reptile vulgus humo, (cùm
Et dum tot clamata domus hæredibus audit
Ora imperfectos balba ciere ſonos,
Oſcula profuerit teneris fixiſſe labellis,
Gentis & innocuas lene inhibere minas.
Hæc meminiſſe velis: poſthac tibi gratior omni
Delicio Sponſi lux DANIELIS erit.
Dixit at intento ſonuerunt ſpicula nervo,
Pectoraque æterno fœdere bina ligant.

---

(12)

MANES CIMBRICI,

Sive Epicedium in obitum Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis

CHRISTIANI QUINTI

Electi Daniæ, Norvegiæ &c. Regis 1647. defuncti.

Semideos manes, magnoque agnata Tonanti
Funera & ingentes extincti PRINCIPIS umbras
Tollimus ô Dani; deſolatumque Trionum
Vulgus & immenſis exhauſtam luctibus Arcton
Adſpicimus; qua latè undis dominatur avitis
Balthica Divorum ſoboles, quà littora verrit
Oceanus terriſque hyemes affrangit inertes
Cimbriacis, nimio ſordet gens lurida planctu;
Magnatumque trahunt atratum ſyrma catervæ;
Et plebem ſuus angor habet, tumulique perennes
Affundit lacrimas & lamentabile murmur.

Omni-

Omnibus antevenit Genitor, miſereque ruentes
Præcipitat queſtus; lacrimis turbatur amaris,
Quem fleviſſe vetant anni; plenuſque verenda
Majeſtate Senex conſuetæ inſignia veſtis
Abjicit; inviſo mutatur purpura panno,
Et Tarteſſiacæ latitant ſub ſindone gemmæ,
Ingemit Aula procul; qua picturata recluſit
Atria flammantes imitata nitore pyropos,
Et qua pendebant Pariis aulæa columnis,
Publicus inſerpit triſti ferrugine mœror,
Feralique habitu radiantes circuit ædes.
Sic Patris amplexu quondam diſtractus Evandri
Cum caderes, Palla, viridi miſerande juventa
Intellexerunt longè infelicia fata
Principis Arcadii ſolidata palatia crudo
Ceſpite; Tarpejoque frequens in vertice ſylva
Triſtibus infauſtis vicinas Tybridis undas
Perculit & populos fama turbavit iniqua.

Non canimus vates vulgari more peremptum
Vulgus iners, aut plebejo mactata feretro
Pectora; Sed Manes Divos, ſed grande cadaver
Et cineres, *Dux* magne, tuos; tu proxima Danis
Spes & cura tuis, dederant dum vivere Parcæ,
Nunc delamentandus obis, & limite funus
Clauderis anguſto, Majeſtatique futuræ
Eriperis præceps, velut attenuatus in auras.
Quaque jaces urna probitas tumulatur & omnis
Magnanimæ virtutis apex, ſpectataque duris
Maſcula vis animi, & pietas ratus ætheris hæres.
Et velut, excelſo cœli cum tramite Titan
Præcipites agitat currus, veſtigia lucis
Arripit & vitrea mentitur imagine Phœbum
Pontus, nonque ſuis minitantur cœrula flammis;

Sic manifesta tuis patrii simulacra vigoris
Vultibus exseruit Heroibus addita Magnis
Forma & proceris affudit robora membris.
Optimus ille tuus Genitor quem posidet Arctos
Egregiè regnum gessit, soloque minorem
Numine se fassus veræ pietatis adhæsit
Cultibus, atque uni se credidit usque Jehovæ.
Quaque solum boreale patet, qua cardine pigro
Volvitur & vetito sese abstinet æquore plaustrū,
Cœlitis increbuit Divina potentia verbi,
Et summi cultura Dei vel Rege Magistro.
Institit & placitis legum moderatus habenas
Justitiæ, monitisque docens concedere pœnas
Miscuit extremo placidissima jussa rigori
Sanguinis humani parcus, nec destitit unquam
Legitimam multo causam defendere zelo.
Nec sceleri suus horror abest; quæ noxia terris
Exigit, & culpas exterminat undique legum
Tutelaris honor; sic Omnipotentis Olympi
Expedit ille vices, animosque hoc ære suorum
Obligat, & meritis populi licitatur amorem.
Sis felix, Grandæve Heros, sit serior ævo
Illa dies nostro, qua tu lacrimabere raptus,
Sufficiat, Superi, busto vastarier uno,
Nec geminata premant miseros lugubria Cim-
(bros.
Quos vero occeptabo modos? quo carmine
tantas (quodvis
Persequar exsequias: magnum & laudabile
Vidimus, & priscos decora æquatura tribules,
Nec Patre inferiora suo, cum rebus agendis
Argumenta daret pronæ indulgentia sortis.
Impete sed celeri nascentia nomina, PRINCEPS,
Destituis, magnâque sui Te subtrahit orbi
In-

Invidiâ, quæ lenta trahit Dea Licia fusis.
Si vati tamen ulla tuo favet Aonis, aut si
Carmina quid poterint crudâ exsudata Minervâ,
Eloquar & Sobolem tua facta docebo futuram.
Vos ego Nereidas & aquarum Numina, vos quæ
Colbergæ sinus amplus habet, qua Falstria ponto
Incubat, & gemino se gestit ab æquore tundi;
Vos testor populumque tuum, Lollande, tuique
PRINCIPIS egregios speculata Nycopia mores;
Vos meministis adhuc, & mente tenaciter hæret
Gentibus ut placidus vixit, ut pectore sedem
Fixerat, & miti fulsit Clementia vultu
Omnibus arridens, majestatemque serenis
Miscuit alloquiis, non dedignata Clientum
Prolixas cognosse preces, aut debile vulgus
Defensare manu, miserisque avertere noxas.
Derivantur enim inSobolem documenta paternæ
Virtutis, majorumque oblectamur honestis
Actibus, & simili juvat inclarescere famâ.
Intellexisti, PRINCEPS, Te protinus ipsas
Exæquasse Deis cunas, & luminis haustum
Munia cum sceptris tibi delegasse Jehovæ.
Ergo velut secli Genitor misereſcere culpæ
Assolet, erratisque etiam vegrandibus iram
Abstinet, & nostros cupit ignorare reatus:
Sic, ubi quid poteras monitis parceve minando
Emendare nefas, rigidos distringere fasces
Horror erat; verum ultrices vibrare secures;
Si sceleris nesciret amor concedere jussis,
Sancta paternarum suasit reverentia legum.
Hæc cognata Deo est Pietas Regaleque mentis
Delitium texisse bonos frænasse protervos.
Nil par Cœlitibus dominatio noverat unquam
Pulchrius, aut ubi majori cum laude triumphet,

Lucida quàm propriæ revereri culmina ſortis,
Seque hominem ſciviſſe homini imperitare, nec ultra
Humanum quid poſſe, nec ulli incognita terræ
Hæc fore, quæ geſſit, quia lux altiſſima fati eſt.
Sic Heros Te fama vehet, mundoque ſequenti
Se rigido dicent tutata ſatellite jura,
Solliciteque ſuum Pietas celebrabit alumnum;
Et tumulis infuſa tuis, ſpirante fovebit
Membra croco, & jugi donabit vere ſepulchrum.

Nunc DUCIS armatas amor eſt agnoſcere lau-
Atq; decus Bellona tuum, quàm fortiter olim (des
Suſtinuit pugnas intempeſtoſque tumultus.
Imbelles ſileant Divæ, nam claſſica Vati
Oggerit inſolito Mars impavidiſſimus œſtro,
Turmaliq; fremunt trepido mihi pectora motu.
Viderat auguſto ſurgentem flore juventam
PRINCIPIS & ſanctos ætatem oſtendere mores;
Conjuratque ſtatim trabeato tota Senatu
Dania & hæredem ſceptris deſignat avitis,
Aſſenſumque legit populi & gentilia vota.
Vix ea finierat. cum fato excitus iniquo
Occipit ingenti moliri bella tumultu
Suecus, & ignotas trahere ad certamina gentes.
Lappionas Finnoſque & robora Dalecharli;
Jamque laceſſitæ abſiliunt commercia pacis,
Martiaque ancipiti decernitur alea luſu;
Quis mentem tum fervor habet? quantumq; pa-
Sollicitas, indulgeret conſortia belli (rentem
Imbueretque rudimentis Pater ipſe cruentis,
Ut quondam extorſit tumidas inviſere gentes
Hannibal, indomitos votis complexus Iberos,
Romaniſque procul diras minitatur ad aras.

Sed

Sed Pater oranti juveniles mitigat ausus,
Spemque facit, pharetram spondens detractaque Sueco
Cingula & excusso vacuum Rectore caballum.
Jam debellatus discesserat hostis ab armis,
Expuleratque fatigatum Pax aurea Martem;
Tum Pater ut redit respersus pulvere belli
Atque triumphali spectandus vertice lauru,
Te vocat amplexuque fovens sic ore precatur:
Da mihi, summe Parens, ut sese natus in hasta
Mensuret Patria, devictoque hoste superbus
Egregiam referat laudem crebrumq; Trophæum
Et Patris & Proavûm longè antegressus honorem;
Sic ait & rutilas submittit ad oscula cristas.
Hinc ubi maturis ætas adoleverat annis
Plenior, & multo cumulatior impete virtus
Tempora fœcundis aptarat idonea gestis;
Mox funesta ruit rursum inclementia fati
Austriacæque domus perquam furiata potestas
Teutonas & quicquid Germani nominis usquam
Subjugat, invisos populis inducere cultus
Dum studet, & sceleris mens est complere nefandi.
Jamque sed infesto tentatum est sydere tantum
Ulcisci pugnando nefas, veræque saluti
Sanguinis impendisse haustum, sed fortibus ausis
Defuit eventus. Tunc Rex commune volutans
Pectore naufragium fidei, cœtusque ruinam
Divini, tota ingentes regione paratus
Molitur, justæque sedet succurrere causæ;
Teque profecturus præceptis instruit istis:
Seu nos fata vocent, seu summi gloria cœli
Arma amet, & nostro cupiat clarescere Marte,
Certum est nequitiam modò debellare profanam

Au-

Auſtriacæque minas gentis, tu ſceptra tuetor
Danica, & in noſtras promtus ſuccedito curas,
Conſilioque juva; ſit miſta ſcientia paci
Armorum, & patulis ludant tibi prælia campis
Indigenæ, doctaque manu ſua mittere diſcant
Spicula, & hoſtiles cautè evitare ſagittas;
Et cave langueſcat cultûs reverentia ſacri,
Ne ſacra conculcata Deus ultricibus iris
Vindicet, ac renuat noſtris aſſiſtere cœptis,
Et cincinnato veniemus præda Sicambro.
Hæc ille ut dixit, rapidas effudit habenas,
Feralique tuba pugnacem terruit Albim.
Aſt ubi digreſſu Regis mœrere Senatum
Atque vides animis cecidiſſe, novoque tumultu
Confundi Patriam, prudens ita pectora mulces:
Quid juvat ô Proceres longo ſegneſcere luctu,
Conſiliis opus eſt & firmæ robore mentis,
Ut dubia emendare queas; deſudat in armis
Rex procul à Patria, nudoque ſub æthere noctes
Exigit inſomnes effultus ceſpite corpus:
Ut ſint tuta domi, cunctique ignara furoris
Limina, quæ trepidis nondum turbavit Erinnys
Motibus, hæc, Proceres, eſt portio prima laboris,
Ne Patris accuſet noſtras induſtria curas.
Sed, quæ voce jubes, promptu tibi perficit auſu
Dextera, & exemplo trahis ad ſua munia Cives.
Vidimus, ô Heros, miſcentem imitantia verum
Prælia conflictum, & ſtrictis concurrere telis
Agmina, Cimbriacis verſas dum vulgus in agris.
Sic tibi dum pereunt per crebra negotia ſoles,
Haud gravis eſt Patriæ diuturna abſentia Regis.
Ultima Regalis reſtant momenta decoris,
Queis ſpectata ſuo virtus ſe PRINCIPIS orbi
Prodidit, & cunctis meruit præconia terris,

Quà

Quà Pater Oceanus Boreales alluit oras.
Jam nova ſancierant gentiles fœdera dextræ;
Jam belli ſepelitur amor, & Marte fugato
Grata fatigatos tranquillant otia Danos:
Jamque Dionææ feſtivo lumine tædæ
Illuxêre toris, & PRINCIPE Conjuge felix
MAGDALIS auguſto cumulavit munere pacem;
Cum ſubito incautos violenta duellio Cimbros
Obrueret, terrâque potens & ab æquore Suecus
Inſtaret, geminoque ſimul à limite bellum
Ancipiti nimium traheret diſcrimine mentes:
Tum te, Magne Heros, in publica commoda natum
Senſimus, & propriæ ſtudium ejuraſſe ſalutis
Ut patriæ tueare bonum; tanto obſide tuti
Fregimus invicto ſuprema pericula corde.
Interea toto disjecerat æquore Suecum
Rex Pater, & gemina vittatus tempora lauru
Ut rediit, tua te Lollandia læta recepit.
Tunc ſeſe excelſæ matura ſcientia mentis
Extulit, & patriæ caſus attendit acerbos.
Præſidio firmat loca, qua mare ſpectat apertum
Falſtria, & acceſſus declivia littora pronos
Expediunt; qua munit agros impervius humor
Limen inacceſſum excubiis levioribus ambit
Et jubet alternare vices; dehinc intima terræ
Ordinat, & multo quævis diſponit ab uſu;
Diruta caſtra novat, foſſisque capacibus urbes
Circuit, ipſa ſuis viſa eſt juveneſcere vallis
Et procul infeſtos aperire Nycopia campos.
Interea victor per littora Suecus oberrat
Exploratque aditus, levibuſque aſſultibus inſtat;
Sed procul armatas formidat ab æquore turmas.
Ipſe ſuos PRINCEPS DUX & commilito juſſis
Urget,

Urget, partiturque ſibi diſcrimina vulgi;
Laudibus incendit promptos, hortamine feſſos
Erigit, hoſtileſque monet contemnere luſus.
Quid non tanta DUCIS poterit conſtantia? quid
Efficit intrepidæ teſtis facundia mentis? (non
Frendent cuncti animis certumq; eſt littora ſaltu
Vincere, ceſſantemque armis impellere claſſem,
Atque triumphatas vinclis ductare triremes.
Conſiliis ſic tuta tuis Lollandia Sueci
Deſpicit infeſto victricem à littore claſſem.

Aſt ubi jam patriis ſecura refulſerat arvis
Pax, atque inviſo gemuit ſub carcere Mavors,
Spes miſeris ſtabiles viſum eſt oſtendere fatum,
PRINCIPEQUE egregio jactantior extitit orbis
Arcticus, & tanto lætati munere cives.
Sed votis momenta ferox abrupit anhelis
Parca, & hyperboreis invidit commoda terris.
Ire jubet morbus, proprioque expulſus ab orbe
Abriperis, nec triſte vale Tibi patria dicit
Grandævuſque parens, aut unica nomina Frater.
Sola haurit tanti Conjux cruciamina luctus
MAGDALIS indefeſſa tuis amplexibus hærens
Defectumque notat vitæ, tepidoſque per artus
Veſtigat fugientem animam; ſimul ubere fletu
Abluit exſangues vultus, miſeraſque mariti
Relliquias, & labra truci liventia letho
Adſpicit & toto morientes corpore ſenſus;
Mutarique vices cupit, & vel PRINCIPE vivo
Fine ſuo tantam velit anticipare ruinam,
Nec ſupereſſe viro, aut tymbâ componier unâ;
Hinc patrios agros juſtas exorſa querelas
Incuſat, quod fata DUCIS mortemque mariti
Adſpexiſſe queant: peregrina beatior, inquit,
Regna

Regna habui, timuit multum mea Falſtria tale
Admiſiſſe nefas, faciemve videre labantis
PRINCIPIS, atque meos cumulari in funere
Saxoniæ ferale ſolum, quid poſcere tentas (luctus.
Non tua? quamque animam non unquam mi-
ſeris orbi
Confeciſſe audes? mihi, tellus perfida, raptum
Redde virum Daniſq; DUCEM. Quo lumine Re-
Aſpectare meum potero trabeataque regni (gem
Pectora, mœrenteſque indigno vulnere cives.
O ſi rapta forem, legerem cum fluminis oras
Inclyte Varne tui, vel cum veſtigia terræ
Inferrem patriæ, non ſic viduata rediſſem.
O viſum natale ſolum mihi ſydere lævo
Terra tuis inimica nimis. Sic aſperat ægram
Mœſta dies animi, lacrimiſque ulciſcitur æſtum
Mentis, & immenſo vox eſt medicina dolori. (tes,
Sit modus ô PRINCEPS fletuſque inhibeto ruen-
Et conſternatum tranquillent pharmaca pectus;
Naſcimur arbitrio cœli, curſumque dierum
Menſurat manus ipſa Dei, nec tenditur ultra
Terminus, aſt metis homines concludimur iſtis,
Et PRINCEPS & turba minor; hic circulus
omne
Deſpicit imperium fati, nutuque Tonantis
Volvitur & leges ſequitur, quas juſſit Olympus.
Sidream Regum gentem jurataque ſceptris
Nomina dividuo ſapiens accommodat orbi
Largiturque ſibi cognata vocabula cœlum;
Hac ſunt parte Dei, ſapiunt mortalia quæque
Cætera, & inviſo gens ſunt obnoxia letho. (ctis;
Verùm ſceptra neget Ducibus mors invida ſan-
Aſtra ſuper regnum occipiunt, Jehovæque Mo-
Conſiliis adſunt, & quicquid curia cœli (narchæ
Oc-

Occulit abſtruſum, æthereique oracla Senatus
Mentibus inſpiciunt, & juſſa aſſenſibus æquant.
His tuus immixtus PRINCEPS numeroſa recen-
Ornamenta poli, proavoſq; ex ordine Reges, (ſet
MAGDALI, Saxonioſque inter Danoſq; beatos
Conatur modulos, fidibus quos presbyter olim
Aut Divinus Aſaph aut vatum gloria David
Edidit, & Moſis juvat æquiparare melodos,
Ridetque infidum mundi de vertice mundum.
Et tibi qui vixit geniali fœdere junctus
Regalis decus omne tori, cui unicus ardor
Semper eras, & quem te plus dilexeris ipſa,
Heroina, polo poſt fata ſuprema locatus
Adſpicit & pectus ſibi demiratur amatum,
Teque optat ſerus locupletet terminus ævi.

Grande tuis columen, Genitor mœſtiſſime, ne
Diſcruciet properata necis violentia; noſti (Te
Mortalem generari hominem, quo ſtemmate tandem
Surgat, & autores quantumvis linea Reges
Utraque Semideoſque Patrem natalia donent.
Noverat hoc Princeps non inficianda Parenti
Progenies, quæ ſceptra manu moderanda potenti
Sumeret, innumeris ſortem exercere procellis
Et fato proſtare omni. Si tempora lentis
Nexibus ambiret Regalis purpura, tum ſe
Vertice ſublimi vegrandem tollere molem,
Atque animo ſtabulare una curaſque metuſque
Et regni Regiſque decus, tutandaque plebis
Commoda & in miſeros jura exæquanda clien-
Aurea ſi quando trabeatæ ornamina veſtis (tes;
Penderent humeris, cinctuſque imitata Gabinos
Pallia magnifico fluerent holoſerica cultu,

Quan-

Quantum exundantis ſpecies amethyſtina luxus
Monſtri aleret; nimiæ quam crebra moleſtia pompæ
Cogitat, & priſci redeunt in corda reatus, (ctum:
Quos notat auratum quæ fimbria lambit ami-
Tunc attollit humi ſenſus, orbeſque micantes
Evehitur ſupra, ſupplexque advolvitur ipſi
Cœlicolûm Regi, votiſque exambit anhelis,
Si quid habet cœli ſecretior aula beati
Et ſceptra & multo ſaturatas ſanguine pallas
Optime Chriſte tuo, haud marceſcentemq;coro-
Publica pro Regis fierent cum vota ſalute (nam
Adjeciſſe preces & ſingultantia verba
Suſtinet, ac faciem validè exorare Jehovæ,
Ut ſuus inconcuſſa Parens moderamina tractet
Marte potens & pace bonus, ut ſecula vitæ
Exigat ad Pylias jam decreſcentia metas.
Sic animo dolus omnis abeſt, & tetra libido,
Ac regni ſceleratus amor, quæque optima curis
Pectora damnoſis ſpes inſidioſa profanat.
Scilicet hoc pietatis habet, cœloque receptus
Interiore ſuum miratur ab æthere Regem
Et gaudet ſupereſſe ſibi, priſcumque vigorem
Optat & effœtis juvenilia robora membris;
ULDRICIQUE piis refovens amplexibus umbras
Gaudia delitiaſque ſerit, vicibuſque recurrunt
Innumeris luſis, nec fidos tædia nexus
Nec potis eſt ſanctos mors ſæva avellere manes.
Sic placitis fruitur, nec lamentabile quicquam
Veſter habet PRINCEPS, nec ſpes exhauſta Paren-
Deſinit aut ſceptris hæres juratus avitis. (tis
Auctior aſſurgit FRIDERICUS prole gemella,
Fraternoſque obitus fauſta Tibi ſorte ſuperſtes
Mitigat & Danis ſuadet deponere luctum.

Et

Et tibi depellant teneri lamenta Nepotes,
Magne Senex; tuus hic oritur melioribus annis
CHRISTIANUS, patruumque facit revirescere carum
Atque redonat Avo, pensatq; impubere stemma
Fœnore, quod tristi concussit funere PRINCEPS.

Defensato pios animoso pectore luctus,
Mœste Heros FRIDERICE, tuis spes unica Danis,
Non fas est lacrimis placitum rescindere cœli.
Sanguinis abrumpit nexus, cognataque Regum
Gaudia & unius pretiosa vocabula Fratris
Expiat, atque nefas mors atra triumphat ad istud.
Ferre decet, quæ fata Deo moderante tulerunt.
Ætheris ille quidem stellantes possidet ædes,
Quas habitant Heroum animæ, quo fortibus ausis
Est iter, & sedes sola virtute parantur.
ULDRICOQUE suo junctus prosperrima Fratri
Omina portendit, velque hac mercede perisse
Dulce fuit, dum Te patriis succedere regnis
Cernat, & Arctoi suffragia ferre senatus.
Sed tibi non tanti est solio sedisse superbo,
Ut fratrem amisisse velis, cunctasque Tiaras
Permutare cupis si triste avertere fatum
Fas foret, agnatique lucrari pectoris usum.
Dum cœli assueto torquebitur orbita lapsu,
Regales animorum habitus & mentis amicæ
Grande sodalitium, fideique potentia vestræ
Fœdera, cum Phœbi mansura laboribus orbis
Discet, & exemplar cupidè inspectabit amoris.

Dum tumulis suprema loquor, Regalibus Infans
Effulget cunis, mollique cupidine vultus
Purpurat, & patrio tener ille superbit in ostro,
An-

Annorumque moras lepidoque crepundia nisu
Prævertisse studet primisque insistere metis.
Hic ille est Heros, cujus mandata capessent
Secula, quæ post nos sunt surrectura minorum;
Qui Proavûm seros transmittet adusque nepotes
Sceptra, nec hæredes deerunt Tibi Maxime PRINCEPS
Balthica Daniacos dum lambent æquora fines.

---

(13)

Beatis manibus

METTÆ ROSEKRANTZ,

DN. Cancellarii

CHRISTIANI THOMÆI

defunctæ uxoris, ac Magni illius ROSEKRANTZII ὁμόφρονος filiæ. 1647.

Ver in urnis perpetuum precatur.

Exhaustos obitu thalamos, populataq; lectum
Funera, confusosque lares viduumque cubile
Dum THOMÆE doles, oculisque uxorius instat
Imber, feralem meditatur Portua pompam,
Oceanique sinus & pars immensior Arctûs.
Augescit sensim luctus. Procerumque theatra
Concutit, & tristes fumant in limine taxi
'rimatum. Mars morsq; ferox suaSpicula vibrant,
Alternantque neces. Non uno vulnere mœror
Desævit. Patriæ privata molestia casus

Inge-

Ingeminat, fatiſque adeo communibus ædes
Quaſſatæ accedunt. Rurſum maleſana cicatrix
Gliſcit, & antiqui redeunt cum tempore plan-
ctus.
Exuimur cum pace bonis, Morbique rapina (lis
Prompta ſumus, dubiiſque ſalus jactata procel-
Nutat & ingentem minitatur ſæpe ruinam.
Nec lethi ſat tuta fides, trabeata feretrum
Pectora convellit. Leſſuſque & flebile carmen
Orcheſtræ indicit; tam claris Præfica buſtis
Ingemit, & pullo Primores ſyrmate damnat.
Majorum quid grande decus, magnique
tribules, (guis
Quid domus & multâ numeroſus imagine San-
Profuerint? Quid amor cœli perſpectaq; mundo
Vera fides, ſi corde Deum ſique æthera mente
Accipimus, gaudentque pii tanto hoſpite ſenſus,
Et tamen ad mortis rigidas pallere ſecures
Cogimur, & mediis exſpirant licia fuſis?
Quod pretium pietatis erit, quo militat ære,
Si vitæ melioris iter fruſtratur, & æqui
Orbita honore caret? quo diſtant juſta ſceleſtis
Cenſu? jam piget eſſe bonum, cœlique favorem
Ejurare placet, ſi ſic confundimur urnæ
Arbitrio, pretiique nihil defertur honeſto.
Scilicet eſt voti non ultima portio noſtri
Vivere poſſe diu, mentem incrementa tenellæ
Afficiunt ſobolis diteſcenteſque penates,
Et genus & quicquid ſortis ferat aura benignæ.
Sed nos deſtituunt vitæ contractior uſus,
Præcipiteſque colus nimis, interruptaque fila;
Quæ tamen afflictæ miſeris menſura diei
Linquitur, aſſiduo turbat diſcrimine fatum.
Spargimur in caſus dubios, & gratior hora
Afful-

Affulget rarò ſolidis perfuſa ſecundis;
Omnis in ancipiti curſus, varioſque per æſtus
Provehimur, bullæque dies æquanda fugaci.
Sic Deus & natura jubent. Eſt altera brutis
Vita, & inexhauſtis deſcendunt ſecula penſis;
Stat ſine labe vigor nec iniquo frangitur ævo.
Nos vexant morbi, & ſenſim contagia carpunt,
Inque dies morimur. Facili diſpenditur aurâ (las.
Corpus, & ad minimas horret compago procel-
Aſt ſenium veneraris homo, delubraque quævis
Id poſcis, ſupplexque advolveris omnibus aris,
Quod ſentina malorum audit numeroſaq; tabes.
Cum canis creſcunt curæ, revolutaque fatis
Tædia longævam infeſtant plerumque ſenectam.
Contrahe vela oro & paulò ſapientius opta;
Sique locum votis detrectet providus æther,
Invidiam Divis fieri cave, qui bene vixit,
Ipſe diu vixit, vitæ non ampliat annus
Tempora, nec ſpatio conſtat diuturnius ævum.
Suſpicimus decora ipſa animi, quia nulla piorum
Poſthumus obfundet meritis oblivia livor.
Hinc ſine morte jaces ROSEKRANTZIA, majus ab urnis
Laus tua pondus habet, tumuloq; æternior extat
Fama, & perpetuo donat te vere ſepulchrum.
Exſerit alta caput pietas, & judice cœlo
Jam pretium ſortita decens ſublimis adorat
Lumen in acceſſum modò, Divinumq; Jehovæ
Concilium & trinæ Monadis arcana recenſet.
Hæc aſtris digreſſa ſuis penetralia gentis
Inſedit veſtræ, ſtudiiſque operata beatis
Præcepit vigilare Deo, veneranda parentum
Pectora ceu delubra tenens, animataque jugi
Fœnoren eglexit ſedes remeare ſupernas.

Hæc ortus & prima tibi cunabula ſtravit
Et cœlum cum luce dedit, cumq; uberis hauſtu
Combibis uſq; Deũ, tibi murmur amabile linguæ
Chriſtus erat, Sancto ſomnos modulamine nutrix
Suaſit, & ad Divûm docuit reptare penates.
Crevit amor, metaſque ævi diffuſa per omnes
Eduxit ſimili Pietas fervore juventam,
Adq; patrum mores conſurgere tempora juſſit.
In ſobolem dextrè manant exempla parentum
Et vitæ documenta piæ. Cum facta monentis
Concordent dictis, plus atq; hortamina poſſunt.
Inſignis pietate pater, decertat eidem
Et Divûm genetrix ſtudet æquiparare timorem.
His afflata prior ſtimulis adoleverat ætas
Jam matura thoro, legitur tibi ſponſus iiſdem
Lactatus ſtudiis THOMÆUS, cujus ab ævi
Uſque rudimentis ſibi te devinxerat ardor.
Ut dilectam ulmum jam pubeſcentibus ambit
Crinibus amplexu ſociatæ robora ſylvæ
Auguſtans vitis, corpuſque & brachia ſenſim
Innectit. foliis naſcens interviret uva.
Jam geminata fides thalamoq; laceſſit olympum,
Et quæ ſancta Deum coluit, quæ grata parentes,
Caſta maritales amplectitur ignibus ignes,
Inque ſuos defert portus. ſub corde maritus
Excubat, inſomneſque vices varioſque fidele
Imperat obſequium pallores. angitur abſens,
Lætatur præſente viro. ſi juſſa vocarent
Principis, & tumidos Thomæus adiret Iberos;
Illa per extremos Garamantas & ultima Thules
Indefeſſa viro comes iret, nulla viarum
Tædia, nec pelagi diſcrimina certa vetarent;
Tanti eſt fidus amor multuſq; in pectore conjux.
Uxori fidæ certat ſibi ſedula mater,

Ad-

Adq; ea, quæ didicit præcepta parente magiſtro
Lactentes cunas & primæ gaudia prolis
Fingit, & infirmo timidè nitentia greſſu
Pignora ſydereæ leviora elementa paleſtræ
Edocet, adque uſus accommodat æthera vocis.
Sic campi matura fides concredita terræ
Semina depoſitum ruris cum fœnore profert,
Priſcoſque exſolvit fœcunda meſſe labores.
Par decus affectat ſubmiſſa modeſtia mentis
Pauperibus famulata piis, ignara tumoris,
Omnibus arridens, ſuaſor ſibi demere vires,
Dignarique manus humiles. Sic itur in ipſa
Pectora, ſtellanteſque domus ſedeſque parantur.
Nobilitet vatum Pandoram fabula priſcam,
Et dotes memoret fictas, heic altera morum
Gratia, & innato numeroſior ordine virtus.
Quod ſi vel pretio foret exorabile fatum,
Vel precibus, gemitu crebro revocata bonorum,
Deſpiceres lethi diras ROSEKRANTZIA leges.
Sed quid triſte juvat gemere, aut ſingultibus ora
Laſſare, & duris impingere crimina Divis
Illuſtris THOMÆE Heros? deſpectat iniquâ
Aure preces multoſque odit mors improba que-
Devenerare Dei nutum, non impete cœco (ſtus,
Volvimur ad placitum fati, diſponimur æthræ
Arbitrio, caſuſque omnes moderatur olympus.
Eſt nulli ſperanda quies, ſibi mutua Divæ
Bella movent, ſævâq; dolor pia gaudia dextrâ
Turbat & invisâ confundit ſorte penates.
Et ſolet hæcce Deus placiti documenta miniſtri
Sumere, & in proprium pœnas immittere vulgus.
Hoc cœli indicio conſtat favor atque Jehovæ
Gratior affectus. Patienter ferre memento.
Stat vitæ menſura polo, mihi vivere, Chriſtus,

Lucrum grande mori; rumpantur ſtamina Parcis,
Impavidum properata ferent me fata ſub umbras.
Quis timor ô homines? morimur, mors copia vi-
Vivimus aſſerti Chriſto, quid plura moramur? (tæ,
Nec letho obruimur, vivit ROSEKRANTZIA vi-
Et cœlo tranſcripta ſuo meliore meatu (vit,
Orditur vero redivivum tempus in auro,
Perpetuoſque dies, quos non invectus Eoâ
Phœbus agit portâ, nec limite claudit anhelo.
Elyſium ſine Sole jubar ſincerius aſtris
Lumen habet, lucemq; miniſtrat ſyderis expers.
Eſt Deus ipſe dies, pro ſtellis grandibus Agnus
Clarius uſque micans æternos purpurat orbes.
Nullas interſtincta vices ſpatioſior ætas
Exigitur nec læſa æſtu nec frigore triſtis.
Gratia ver ſpirat ſuave, autumnumque beatum
Copia, ſic annum manet inconcuſſa voluptas,
Nullus amor rerum, mens exſatiata Jehovæ
Intuitu nihil ultra ardet, nil majus anhelat;
Angelicoſque ſonos meditata palatia latè
Perſonat, & mundi volupe eſt neſcire dolores.
Deliciis iſtis fruitur, claréque triumphum
Concinit, atq; umbras magni complexa parentis
Subſultat ſociatq; melos ROSEKRANTZIA, & ipſos
Æterni proceres regni Regemque Tonantem
Aſpicit, oblectantque piam ſpectacula mentem,
Explerique nequit; non heic faſtidia ſenſus
Afficiunt, totieſque placet quod viderat ante.
Ætheriique fidem Patris prece captat & ambit
THOMÆI ſoboliſque ſuæ mortalibus annis
Incrementa rogans Pyliaſque accedere metas,
Ut pater implacidos ſoletur pignore luctus,
Quos præmaturo contraxit funere conjux.
Annuit Omnipotens, & nutum fata ſequuntur.
(14)

(14)

THRENI HYPERBOREI
Sive
EXSEQUIÆ
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS
CHRISTIANI IV.
Daniæ, Norvegiæ, Gothorum Vandalorumque
REGIS,
Slesviciæ, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ
DUCIS,
Oldenburgi & Delmenhorst
COMITIS.

1648.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI,

FRIDERICO III.

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQUE REGI, DUCI SLESVICIÆ, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, DYTHMARSIÆ, COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST,

REGI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

HASCE PARENTIS MAXIMI EXSEQUIAS HUMILLIMO ANIMO OFFERO, INSCRIBO, DEDICO.

CHRIST. AAGAARDUS.

Excedit fors læva modum; geminantia Regum
Funera conspicimus miseri, viduumq; tiaræ
Culmen & exsangui pallens Rectore tribunal:
Nec titulis parcunt Superi, nec grandia quicquam
Nomina profuerint, apices depascitur orbis
Impia vis lethi, formidatasque secures
Exturbat, summoque metit vicina Tonanti.
Augescit cum sole labor, mensura dierum
Atque senescentes numerantur cladibus horæ,
Nec didicit jactura modum; cum tempore luctus
Sævior assurgit venientemque exit in annum.
Detrahitur sceptris facies, maculisque renidens
Infuscatur ebur, dum se Dominator inermem
Astupet, & Tyrio color intervertitur ostro,
Ignoratque suos regnatrix purpura vultus.
Inspectate vices rerum, cui littore nuper
Paruit extremo Thule, quemque ultimus orbis
Limes Hyperborei brumalibus horruit Arctis.
Jam metui nescit, vultus reverentia cani
Cessit, & invisâ Majestas clauditur urnâ.
Quem cives in pace bonum, quem miles in armis
Senserat intrepidum, pectus miratur inane
Atque laboratas vitæ segnescere curas,
Et sese nil posse stupet, Mavortius ardor
Interiit, non dextra minis, non ense coruscat
Fulmineo Regale latus non publica sentit
Otia, & innocuæ, quæ regnant, jura quietis;
Cuncta tulit festina dies, gestisque superbis
Abrupit cursum, grandescentique senectæ
Robur & illustres invidit fortiter ausus.
Sic ubi sanguineo facies operitur amictu
Solis, & ætherei fuscantur nubibus ignes,
Ereptum gemit æthra diem, segetesque solumq;

Fœcundum ſitiunt jubar, & languentibus herbis
Jam flaveſcentes metuunt ſua funera campi.
IſteP aleſtinæ fuerat lugubrior aulæ
Aſpectus moriente David, cum fine ſupremo
Tot quæſita togâ, tot forti Marte decora
Clauderet, & trepidum bellis abſolveret ortum.
Indoluit fatis Zion, Solymaſque per arces
Magnus iit planctus. ſylvoſis flebile cedris
Inſonuit Libanus, debellatuſque Damaſci
Vulgus & Euphrates toto ſubmiſſior amne
Flevit, & edomitas docuit diſpendia ripas.
Hoc deploratis queritur modò Dania ſceptris,
Et leſſus ſerit atra dies, quâ funus arenâ
Conditur, hac ſeſe credunt occumbere cives.
Sic quà lenteſcens breviori cardine plauſtrum
Fertur, & egelidi zonis hyemalibus axes
Inſurgunt, noſtri ſparguntur ſemina luctus.
Prima nefas Divûm & triſtis Selandia caſus
Percipit auſpicium, contemplatrixque jacentis
Hafnia cœruleum cupit immerſiſſe profundo
Et caput & vultus, ne conclamata videret
Atria & infauſtæ vulnus lugubre diei.
Prodigioſa nimis conſpexit ſigna ruinæ
Fridrichsburgiacus populus, ſed præſcia fati
Regia, quæ tanti vagitum expavit alumni,
Occaſum timuit vitæ inſpectare labantis,
Ne quam natales dederant, laus morte periret.
Tunc, æquæva Duci quæ tollit ad æthera tecta,
Croneburga domus dubiis tremefacta pependit
Mœnibus, & totas concuſſit vertice turres;
Tranſque fretum lugens populis ſua damna propinquis
Nunciat, & triſti pelago ſubmurmurat acta
Helſenburga tibi, turbatis Scania villis
Mœ-

Mœret, & extremis perculsa Blekingia Gyngis;
Lundia suspensas mira testudine Divûm
Fastidit sedes, crudas Malmogia Suecum
Instaurare tubas credit; quæ magna superbi
Nomina Fundatoris habet, Christiania rursum
Optat inexhaustis stagnare paludibus arva,
Autorique suis exsolvere justa ruinis.
Haurit damna procul fatumque molestius illud
Marte meus credit Cimber, sopitaque mallet
Arma pati, totisque horrere incendia pagis,
Quam Regem cecidisse suum, vicinaque multis
Oppida cum lacrymis vulnus in morte peractum
Edocet; exhaustis mœres Holsatia passim
Civibus, & largis humectas fletibus urbes.
Mœnia Luchstadii dubiæ cognomina Divæ
Nil valuisse dolent, fervet singultibus Albis
Agnatæque domus, reboat Slesvicia forti
Murmure & extremo miscet suspiria Travo.
Dumque ruit venas caligantesque profundæ
Telluris rimatur opus, livere metalla
Adspicit & crudas fossor pallescere massas
Norvagus, noscitque sui vestigia luctus,
Dum videt excelsis stillantes cautibus imbres
Laxatasque hyemes medio Finmarchia brumæ
Tempore; & algentes qui sorbet Nidrus arenas
Lappionas circum fati dispendia spargit,
Et quà descendit cœlum sua tristia signat.
Accipit immensam præceps Islandia cladem
Heclæosque apices fontisque incendia rupis
Jam leviora putat. Vastis asperrima cetis
Retia & ignavos Grönlandia projicit hamos;
Augerique stupet alienis imbribus æquor.
Consociat terris lacrymas Pater ipse remisso
Oceanus modò fonte cadens, fluidosq; sororum

Confundens thalamos, Dominum desiderat un-
Omnibus, & sociæ miscens fluvialia Balthæ (dis
Numina famosis lessus simul intonat antris,
Horrendumque ciet sonitum, nec segnius illa
Mugit, & objectos ululatibus impetit agros,
Ardua quà pando surgit super æquora dorso
Falstria, Lollandosque levi discrimine campos
Submovet, hic veteres renovant lamenta querelas
Balthica; funereas rursum palatia taxos
Principis instaurant calidasque à cæde favillas.
Nec Fionis cessare licet, quæ fertilis olim
Terra fuit Cereris, gemitu commutat aristas,
Et turbata suis lentescunt messibus arva.
Nec satis est luxisse domi, cum tramite ponti
Transfretat, & nexas venerando fœdere gentes
Ancipitis ferit aura mali. Luneburgica Divis
Cimbriacis sociata domus, pertæsa nitorem
Ferali properè sua pulpita vestit amictu.
Saxonicique lares, magni quos Principis ante
Perculit excessus, geminari funera cernunt,
Participantque vices. Sic latè Teutonas urget
Cæsareamque sacer perrumpit rumor ad aulam.
Nunc odii Suecum, nunc pœnituisse Batavum
Assiduæ poterit cladis, nunc Cimbrica Boeti
Et mediatori doluisse incommoda Gallo.
Audierit Moschus, pelles damnabit & ostrum
Nuper adoratos lugens marcescere vultus.
Scilicet haud soli fatis urgemur iniquis,
Sed socios gens quæq; metus partemque doloris
Sentit, & Europam feriunt commercia luctus.
Cur mihi Palladii Proceres decernere tanti
Funeris exsequias libuit, cùm viribus impar
Officio superante premar? cur flere caducum
Sceptrorum jubeor columen, cùm copia fandi
De-

Destituat vatem, facilesque in metra querelæ?
Nam si Regalis fletu irrorabitur urna,
Non me Pimplei latices, non unda salacis
Permessi saturare valent, mihi pôcla ministret
Phœbus, & innumeræ veniant ad munia Divæ;
Vix tantilla ferent. quò demum vertimur ægri,
Invidiam fieri Parcis, vitæque ministras
Passim amor est culpare Deas; cum milite cives,
Civibus admistus Clerus, Cleroque senatus,
Cuncti, quod lacrimentur, habent. inglorius hastas
Obnubit miles, bambardarumque cruentis
Vocibus admiscet lessus; fremitusque minasque
Magnanimus dediscit eques, in busta secures
Ingerit, & torvas balistas Martia monstra.
Nec Marti sua forma placet, non illa minacis
Trux facies coni tristesque à vertice plumæ:
Mitescit clypei fulgur, & sindone totus
Investitur apex, abeunt in pulla furores,
Et belli segnescit amor, dum cernit inertem,
Quem toties alacrem crudis colludere campis,
Bellaque spirantem vidit, cui pulvere fuscus
Vultus, & hostili rubuerunt sanguine dextræ.
Ipsa suas Bellona tubas plangoribus opplet,
Et lituos ululare docet, funestaque damnat
Classica, & exactis cantat lugubria pugnis.
Lemnius indignatur Herus fornacibus ignes.
Æoliis massamque rapi, nec abena virorum
Arma, nec in solitas liquefacta coire figuras
Æra, aut è solido consurgere tegmina ferro.
Regis ad occasum Steropes operosa remittit
Brachia, & ignavus Brontes incudibus astat,
Nec rotat immanis nunc tela trisulca Pyracmon.
Quæq; prius trepidam sævis mugitibus æthram

Terrebant, mœstoque nimis tormenta boatu
Intonuêre Duci, seu pugnatura per agros
Agmina raptaret, seu cum cessantibus armis
Delicias sereret, vel scinderet æquora transtris,
Mutatos in busta sonos & fulmina nitri
Transabiisse dolent vastæque tonitrua faucis.
Insuetum Sonipes mundum demissaque tergo
Pallia dum sentit fluitare, & Martia ferri
Tegmina & æratas membris abscedere lances
Aspicit, ornatusque dolet periisse priores;
Nec jam lascivire gradu, terramque superbo
Novit fastidire pede, aut suspendere gressus
Alcide moderante suo, sed colla jubasque
Inclinat, pannoque levi sibi crura pedesque
Impedit, & tardo simulat lugere meatu.
Non tamen hic umbras Vari, non funera Crassi
Cernis, & in medio sitientem sanguine Cyrum.
Trajani tumulos fletu Augustæaque busta
Prosequimur, Regemq; alta modò pace solutum.
Tollitur hoc magnus Josua Gedeonque feretro,
Et Josaphate tui Regum mitissime Manes.
Ingemit attonito multum lacrimosa senatu
Curia, lassatoque inducunt ocia juri,
Crebraque famosas frenant suspiria leges.
Justitium Themis ipsa facit; non sontibus ausis
Imminet, aut pœnas infameque stigma tabella
Nunciat, aut miseros ulciscitur urna reatus.
Exstincto Rectore forum litesque quiescunt,
Et formidatæ damnant sua munera sortes.
Orchestram sors læva angit, quæ judice quondam
Christiano causas didicit, tantoque furentes
Præside dissolvit motus, nunc mœsta priores
Dediscit ritus: pronos in vulnera fasces
Lictor & ultrices hebetat mœrore secures.

Sic

Sic Lacedæmonias inopinus rumor Amyclas
Perculit audita ſanctoris morte Lycurgi.
Sic totis tremuêre tibi Capitolia templis
Tulli, clamoſiſque abiit facundia roſtris
Cum Generi patuêre minæ, ſceleratæque Natæ
Auſa atque exſtincti temeratæ turpiter umbræ.
Hoc ritu Moſen deploravêre jacentem
Plebs jurata Deo, totis miſerabile caſtris
Murmur inexhauſto opplevit penetralia planctu:
Auditos timuêre ſonos, convulſaque mœſtum
Galgala muſſabant, ſtagnantes turbidus urnas
Impulit, & trepidis Jordan horrebat abyſſis.
Sufficito Tymbræe mihi, ſi flebile quicquam
Cyrrha fovet; ſi quos Parnaſſia Numina threnos
Vatibus induſſêre prius, nil carmina priſcis
Uſurpata viris poterunt vetereſque melodi.
In luctum chorus omnis eat, pro flumine fletus,
Pro modulis gemitus, & doctæ ſibila cannæ
Queſtibus immutent Eurotæ littora veſtræ:
Occubuit Rex ille tuus, tutela Sororum,
Materieſq; lyræ, & Clarii grave cymbalon orbis;
Otia qui ſtudiis fecit, qui præmia doctis
Inſtituit, patriæque omnes admiſerat artes,
Et Muſis viguiſſe dedit: ſuſtollite vocem
Ordinis Aonii proceres, turbata verendis
Ora ruant lacrimis, totiſque piacula templis
Inſtaurate Duci. Tuque ô flos integer ævi
Incipe me dictante queri. Regalia menti
Occurrant benefacta tuæ: ſubſellia, ſtoas,
Sacra aditis ſociata ſuis, araſque focoſque,
Defuncti monumenta vides, hic illius eſto
Pulvis & auguſtis ſanctiſſima manibus urna.
Vos quoq; quos melior aditis admovit olympus,
Eloquiiſque dedit ſtupefactos flectere cœtus,

Ingeminate preces & læso vota Tonanti!
Numinis ira patet, cecidit Pietatis & omnis
Justitiæ columen. isto sub Præside certum
Invenit pretium, & latè sua semina misit
Relligio summique potens reverentia cœli.
Horreat in pullis ædes, præsensque ministris
Nubilus annus eat, delubris gaudia cessent,
Purpureique patrum velentur syrmate cinctus.
Haud secus ac moriente Numa convulsa recentis
Sanctio divini cultus, responsaque nullis
Innotescebant extis, lymphata sacerdos
Antra Deûm stupuit mutosque silere recessus.
Tum quæ secretos nemoralis Aricia lusus
Senserat Ægeriæ, flenti sua vulnera Nymphæ
Tristius admugit, frondoso stridula lucu.
Aut veluti Solymæ totis radicibus arces
Josia occumbente foras tremuêre, nec ipsis
Prisca sacris mansit facies, purgataque templi
Atria neglexêre fidem ritusque Jehovæ,
Et clamata tholis cessêre oracula summis.
Sed si quid miseris sociato nænia lessu
Proderit, ipsa etiam lugubres sydera vultus
Ostendunt, acuuntque truces in funera crines.
Credo equidem Phœbum, dum concamerata
Atria, perque ruit cœlos, nil tristius illo (volutat
Perspexisse die; sed ne sævire nefastas
Adspiceret Divas, nebulas immisit opacas.
Indignabantur lævo dispendia lapsu,
Quæ tacitè algentem subterlabuntur in orbem
Sydera, & oppositum vulgarunt fata per axem.
Invidiæ ferit illud onus glacialia pisces (anni
Astra, quòd hybernis peragunt dum mensibus
Jam jam exspirantis senium, fatale propinquent
Tempus, & Arctoo celerent extrema Monarchæ,
Tum-

Tumque adeò occubuisse optant; sed portitor Helles,
Qui dedit auspicium vitæ, nascentia cœlo
Ora procul verno traxit. sic Maxime Rector,
Qui quondam propriis anni natalibus ortum
Irradias, anno pereunte exhausta recondis
Secula, signiferique modo tibi desinit ætas.
Obruit humentes vultus, & in æquora totus
Mergier appetiit Cepheus, qui sceptra ferenti
Adstiterat toties, sociumque abducit ab astris
Persea magnanimum; Regis dum funera cernit
Engonasis ferale rubet. meminisse favillas
Heic subit Oeteas, crudisque ambusta jacentis
Membra pyris. laxis trepidans Ophiuchus anhelat
Ignibus, elabique sinit, quem presserat, anguem.
Andromedæ redeunt sua vincla, putatq; jacere
Persea & antiquis contristat sydera fatis.
Arctophylax sine luce sedet, servataq; quondam
Limina fastidit Matris, plaustrumque supinat
Temonesque suos, & hiulco cespitat astro.
Nunc Arcti custode carent, patuloque revelli
Cardine & antiquis malunt latitare sub antris.
Sic Divos suus angor habet, hominumq; querelis
Inmiscent gemitus & fata nocentia lugent.
Illustres tumuli magnique cadaveris urna,
Quis decet exequias ritus? quo thure litandum
Manibus, & quînam tumulentur sanctius umbræ?
Non illud violæ marmor, non discolor ornet
Pæstani fœtura soli, nec cinnama ruri
Lecta peregrino, casiæ neque mollis aristæ,
Aut quæ Panchæis manant opobalsama sylvis.
Conveniunt isthæc animis imbellibus, aut quos
Effœtos lurcosa quies & inertia vitæ

Fi-

Fixit humi. tales ſibi Sardanapalus honores
Appetat, & Phrygius procus, atq; natator Abydi,
Semimarumq; chorus; nos heic Movortia ſanctæ
Munera Relliquiæ, nos Mauſolæa beati
Maſcula depoſcunt cineres, ſed quanta columnis
Conſurgant pariis aut montibus edita Grajis.
Artificum coëat labor, & liquefacta caminis
Æra fluant habitus præſentatura jacentis,
Laminaque argento diti ductetur, & auro
Nobile vernet opus, veterum textura labores
Exeat, & vivos exæquent ſtamina vultus.
Ipſe ego Palladiis tenue extorquebo Camœnis
Carmen, & ingentes leviore poëmate Manes
Eloquar, atque rudi modulabor pectine Regem:
Nam mihi ſi populi nequit impetrare favorem
Carminis ingenium, meritis & nomine Regis
Invehar, & gratas dabit hoc impenſius aures.
Vos modò Pimplæo ſaturatas Numine vires
Impertite Deæ, perque omnia ducite vitæ
Tempora, & Heroem primo evolvamus ab ævo.
Pro violis moduli fuerint, & lilia metris
Penſatote Duci, ſacrum hoc vivacia ſaxa
Vincit & æterno ſuſpenſas fornice moles.
Cum primum noſtro natura benignior orbi
Annueret tam grande decus, partuſque verendi
Moliretur onus, arcanæ ſemina maſſæ
Pallados & crudum ſociavit prodiga Martem
Et Jovis è cerebro quiddam: nempe æthera fas eſt
Sceptrigeris miſceri animis, ubi grandia Divûm
Munia, & abſtruſi latitat perſona Tonantis.
Utque Ducem genuiſſe putes, cunabula ſignis
Nunciat, & pavidum compellit in omina mun-
Conſcia fatorum crinitos æthra Cometas (dum.
Parturit, Oceanuſque ſuis oracula monſtris
Extor-

Extorquet, populisq; aperit, quid destinet æther
Partubus, & qualem sperent sibi secula prolem.
Quid Jove prognatum mendax mihi fabula Vatum
Objicis Alciden, pluvioque è semine cretum
Persea, & Indigetem Cytherea è matre recantas
Æneam; magis ille meret ab origine cœlos
Et magnum numerare Jovem, cui plurima retro
Nomina, cumque ipsis certant exordia seclis:
Ductaque per magnos excurrit utróque tribules
Linea, & antiquo series ligat ordine Dive
Progeniem Gormere tuam, Vitikindiaq; arma,
Valpertos, Theodoricos, & Martia gentis
Nomina Mauritios, ipsique affinia cœlo
Pignora Christianos, & amica vocabula paci
Fridricos, totumque refert ab origine Danem.
Cui genus Anthyrii dederint, æquæva Crateris
Nomina Lysimachisq;, & quorum robora norat
Pellæus Macetum Princeps; hinc sancta Nicloti
Imperia, Henricique truces, & grandia Magni
Fulmina, Johannesq; pii, tum proximus autor
Sanguinis Uldricus, quotq; Obotritia quondam
Regna tulêre Duces, factosque ad sceptra Buthones; (cum
Auroræ quos per thalamos, per inhospita Thra-
Littora, per Druidum saltus, Tarpeiaq; regna,
Trans freta, trans populos, Solisque cubilia Gades
Traxit fama viros, & inerti exemit ab ævo.
Hos inter titulos oreris, spemque evehis Arcti,
Et Cimbros sua vota doces, lætataque fausto
Regna puerperio. Latè borealia mundi
Limina & egelidi subsultavêre Triones,
Et tardi micuêre poli; quà terra nivoso
Sydere perpetuum fervet, dum pendet ab udo
Pi-

Piſcator ſcopulo, canas præſagia cautes
Oſtentare videt, priſcaſque exterritus artes
Excutit, aſtrictiſque Deos rimatur in undis,
Et turbat ſolitas Divinus Lappio ſortes.
Finnoque veloces dum verſat in omina cervos
Alituumque vias, nil non lætabile cernit,
Auguſtumque aliquid tacitos ſpondere volatus.
Tum Sueco minui furor, & Dalekarlia cepit
Agmina torpor iners, queis quondam claſſica feſtus
Ludus erant, galeas crudoſque à cædibus enſes
Abjiciunt; tum venturas Germania clades
Sentit, & audacem percellunt fata Viſurgim.
Sic ubi vitales haurit leo parvulus auras,
Naſcentem ſua luſtra tremunt, armentaq; longè
Creſcentem metuunt hoſtem; ſtat torva tenellam
Progeniem ſupra genetrix, cumq; unguibus ora
In ſpem lambit ovans, referunt ſetoſa parentem
Colla jubis, ſervatque iras non mitior infans.
Simplice decantet geminata crepundia nixu
Latonæ miſerata vices circumflua Delos,
Et tumidas tollat criſtas reptata Tonante
Creta Panomphæo: Tegeæa ſuperbiat ora
Mercurio, Bromioque ſuo Mavortia Thebe;
Has laudes Boreas & fœta potentibus Arctos
Pignoribus ſupra ponit, protrudere terris
Ordine ſceptriferam gentem, ſubque axe rigenti
Tot Dominos rerum genuiſſe; nec altius ire
Sors auguſta valet, quam ſi dominantia ſummo
Pectora ſemideoſque Duces connectat olympo.
Adſtitit ad cunas, & dum lactentis alumni
Intuitur Pater ipſe habitus, vultumq; ſeverum
Æſtimat in tenero, tantæ veſtigia ſecum
Indolis expendit, curaſque & anhela profundi
Vota

Vota animi ſeroſque ſciens ediſſerit annos:
Creſces parve puer ſydus venerabile ſceptris,
Orbis delicium Borei, quo ſoſpite Danus
Auctior exſurget, non arcto tramite ferri
Mens ſpatioſa volet, nec quæ nos geſſimus armis
Infra eris, aut propriis Dithmarſica prælia bellis
Anteiiſſe ſines: en membris quantus inerrat
Terror, & in parvo torvum quid fata minantur.
Hæc Sueonum ſpirat clades, hæc dextera Rheno
Parturit ingentes ſequiori Marte ruinas,
Et magnum ſibi ſternet iter; cum ſole recenti
Surget fama tibi, & prono temone calentes
Evolet ad terras, ac quo ſe limine condit
Phœbus, Cimbriacæ virtutis conſcius horror
Stabit, & occaſum magnis enaviget auſis.
Sic ait, & parvo properè circumdat amictus
Et trabeas proavûm, lateriq; accommodat enſem,
Imbelleſque manus robuſtæ conferit haſtæ,
Et ligat ærata vernantes caſſide vultus.
Sic tener in cunis ludebat Martius infans
Amphitryoniades, geminos cum fortiter angues
Prenderet, & propriis elideret ora venenis.
Sic levibus Pangæa rotis proſcindere Marti
Jam parvo ſolenne fuit, & pulvere pulchrum
Imberbes turpare genas, dum cæde ferarum
Inſtrueret vires crudumque ad prælia corpus.
Creverat interea ſpatiis majoribus ætas
Jam ſtudiis matura ſuis, elementaque ſuper
Mens ſapuiſſe parat, nec quantum diſcere geſtit,
Sufficit aſſiduus Doctor, præcepta modumque
Anteit, & fidum prævertit cura magiſtrum.
Irruit in ſenium mundi, Patrumque vetuſtas
Evolvit vitas, ſeroque exquirit ab ævo,
Qua ſerie ſua ſceptra ruant, quot nomina retro
Per-

Percenſere queat, quantis hæredibus erret
Sanguis, & antiquos quot donent ſtemmata Reges.
Heic videt exhauſtas gentes meliore renaſci
Fœdere, ſopitumque genus de ſtipite parvo
In crebras abiiſſe tribus, dubitataque ſenſim
Robora & amiſſas reſtauraviſſe tiaras:
Seq; ſuoſque ſtupet toties nunquamque revulſos
Stirpe Patrum penitus, miriſq; ambagibus ortum
Defluxiſſe ſibi & regni tutamen aviti:
Nempe libet fatis increbreſcentia lento
Carpere defectu, rurſumque cadentibus ingens
Ferre incrementum, numerumque attollere priſcum.
Hinc fata imperii diſcit, quis proſpera regnis
Fundamenta locet genius, quæ ſydera ſceptris
Fortunata cadant; contrà quis lævus ab aſtris
Ingruat aſpectus; quæ per compendia rerum
Creſcat, & æternum perſtet fortuna regentis;
Queis ſolidare licet tranquillæ tempora vitæ
Conſiliis, ut tuta gerant commercia cives,
Externiſque queant miſcere negotia terris.
Quas artes pax alma decet, quo limine claudi
Bella volunt, & queis ſumenda duellio cauſis.
Penſitat hæc animis, Patrumq; exempla recenſet
Per Tritavos gradiens, perque Oldenburgica Regum
Facta legens trahitur, nihil his divinius unquam
Arcticus agnovit cuſtos: in Patre recentes
Enumerat laurus, geminiſque aſſerta trophæis
Ocia, ſed primas fervens cuſtodia cultus
Cœleſtis meret & fidei tutela beatæ.
Arma Deumque viris araſque focoſque retenta
Jactat grandis Avus, qui portentoſa nefandi
Do-

Dogmata Pontificis ſtygias legavit ad undas,
Et cœlum Cimbris pacemque reduxit in arva.
Et Proavus, quæ donet, habet, laudabile quam ſit
Cautè preſſa malis exſolvere regna tyrannis,
Et demoliri dire Baalitica Papæ
Sacra, nec aut vires, aut arma timere minantis,
Ut mage tutus amor, quàm circumſtantia pila,
Et quàm tenſa levi pendent diademata filo,
Tu Chriſtierne doces, quæ laus in pace ſecures
Stringere, & imbelli gladios temerare cruore?
Parcere qui didicit, & ab omnibus optat amari.
In Johanne videt, quid ſumptis conferat armis
Sorſque favorque Dei, nil te vexilla ſupremo
Æthere lapſa juvant, ni bella ſecundet Olympus.
Magne triumphator ſortis Chriſtiane perenni
Te cantu ſublime ferent ſuper æthera cygni,
Qui prior Arctoum ſtabili diadema ligaſti
Semine, & ingentes miſiſti in ſceptra tribules:
Te grandæve Parens magni didicêre nepotes
Reſtituuntque ſibi, ſed nos pro munere tali
Florea ſerta damus, & per Parnaſſia tempe
Naſcentem ſobolem Clariis modulamur in an-
Sic faſtos terit, & pluviis ultricibus udos (tris.
Indigenas, atque inde ſuos remeare ſub ortus
Gaudet, & in mores inquiſiviſſe priores.
Non opus Auſonios his immiſcere Superbos,
Pompilios, Tullos, vel Grajos Marte valentes,
Atque triumphatum Pellæo milite Gangem;
Nempe domi ſuperat, quod præmonuiſſe legen-
Evalet, & titulis jam præformare futuris. (tem
Mens tamen & tales non dedignata labores
Evolvit veterem Romam, quæ robore parvo
Crevit in immenſum, & latè dominantibus armis
Cum Phœbo permenſa ſolum, faſtigia Grajis
Jam

Jam possessa diu Tarpejo in culmine fixit;
Publicolasque tulit, Fabios, parvoque potentes
Fabricios, stantesque in curribus Æmilianos,
Atq; equitum crebro cum Dictatore Magistros.
Tum bellatrices præceps irrumpit Amyclas
Pellæosque lares Regis, qui paupere terra
Ivit in Imperium mundi, mixtosque Crateris
Antigonos rapidis docuit prævertere castris
Languentes Darii cursus, auroque micantes
Massagetas ferro pepulit; hinc ipse Frotonem
Contra vel ingentem Valdmarum ponit, & armis
Arma Ducum confert, ac res in Marte peractas.
Tum Xenophontæo formatum fornice Cyrum
Excutit, & Persas, quos sceptra Monarchica longè
Sustulerant, tum quot Babylonia terra potentes
Instituit rerum, raris cum civibus ingens
Patria consumptos visa est lugere colonos. (do
Semiramimq; Ninumq; & quorum gloria mun-
Surgit ab infanti, creperumq; supermeat orbem.
Legibus his pectus versat juvenile, nec ipsum
Absterrent tremulo vigilatæ lumine noctes.
Dumque parat rerum majora capessere jussa,
Vix jam tum juvenis, confundit cuncta Parentis
Excessus, Parcisque nimis properata sinistris
Funera, ferventemque animis studiisq; superbis
Gnaviter instantem mediis fomenta palæstris
Destituunt, cœptoque perit tutela labori.
Sed sua fata Pater doctus prius augure cœlo,
Hunc vocat, atq; jacens monitis informat amicis:
Nostræ Nate modum vitæ, mandataque summi
Numinis ista vides, umbris sociabor avorum,
Te linquam terris, te successore tuebor
Regna polum scandens, tu, nobis si qua negavit
Festinata dies fatis, modò pectore fido

Per-

Perfice, & immensam sapienter digere molem:
Jam jam tempus erit, sed cùm te vota Quiritum
Imposuêre thronis, animos ne tolle, nec illos
Despectare velis, te quos augusta remotis
Sors infra gradibus posuit, mutabile nil sic
Mundus habet, quam regnantis fortuna tiaræ est.
Dilige Rex cives, non te sic ferrea Martis
Defensare seges poterit, quam civis inermis,
Dum sit Regis amans. hic murus aheneus omni
Imperio placuisse suis. his deme tumorem
Fascibus, ad cives odiosa superbia regni est.
Ne peccare velis, quò tu sublimior exstas
Elatus fati spatiis, hoc certius orbis
Te peccasse sciet, latebras fortuna potentum
Abstulit erratis; civis exempla regentis
Et mores fingit populus, quos vidit in illo,
Quem timuisse volunt. expers sit dextera cædis,
Nec finito vitium recti sentire tenorem.
Sis vigil, & geminas peragat mens provida curas,
Et patrium tutare Deum, laus maxima Regis
Hæc est, ætherei sacris præstare Jehovæ
Juge patrocinium; vix tantum lingua peregit,
Cum sacer infirmos exosus spiritus artus,
Transque orbem raptus numerosæ ascribitur æ-
Audiit hortatus, monitisq; salubribus aures (thræ.
Laxavit dociles vitam cum voce labantem
Aspiciens Princeps, animoque recentia magno
Vulnera sustinuit, atque ægrescentia cœptis
Corpora versavit studiis, modoque ora lupatis
Spumantis contundit equi, modò cuspide ludit
Martia bellorum simulacra, aut semet in hasta
Mensurat patria, vel cursu pernice velox
Absolvit stadium, tremulæque insultat arenæ.
Si per rura meat, discurrens æstimat arva,

Quis

Quis locus insidiis, quâ sint statione locanda
Agmina, rectáne hinc aciem raptaret in hostem,
An foret utilius cursum obliquare sinistrum
In cornu, aut dextrum vexare, aut prælia turmas
Ferre per extremas; quid cœptis commodet illis
Arbutus, & patulo quis tutus ab aggere limes.
Nil habet abjectum, Reges & prælia Regum
Factaque percenset, paribusque edisserit acta
Danis & Humbleti, qui primi Danica forti (orbis
Sceptra tulêre manu, Macetum vel regna, vel
Terrorem Tyberim, nil non facundia grande
Fingit, & in minimis reperit sibi pondera sermo.
His pupillaris teritur conatibus ætas
Prætextæque moræ; non præceptoribus auster,
Non flecti indocilis, per sacra precesque diei
Orditur nascentis iter, cum vespere vota
Fundit, & exactos sepelit modulamine soles.
Ante oculos Deus est, præsensq; in pectore Chri-
Sensa ligat devota sibi, versare diurna (stus
Biblia sancta manu volupe est, noctuque superni
Volvere jura poli; testantur symbola mentem
Spemque animi tacitam; Pietas ubi regna gubernat,
Inconcussa manent. hominem se perspicit, & nil
Humanum se posse ultra; sedisse paternis
Contingat soliis, homines sunt, quos videt infra,
Lege pari natos & eodem semine secum.
Excolit officiis redimitque merendo favorem,
Nec crepat elatum quicquam, cum civibus instar
Civis agit placidi, nec menti rustica sordet
Turba, nec innocuos castigat in Iride mores,
Omnibus arridens. hæc vera est forma regentis,
Imperiis populos, meritis innectere cives,
Obsequio Proceres, & recta sequendo Senatum.
Emicet

Emicet auguſtum cœli jubar, atque perenni
Semper inardeſcat lux irradiata ſereno,
Quâ te ſublimem ſolio ſceptriſque potitum,
Atque coronato geſtantem vertice mitram
Cimbricus aſpexit populus; cum milite lictor
Roſtraque cum caſtris coïerunt, cumque togatis
Haſtati venêre Duces, ſua vota ſuas ſpes
Non ſatis eſt vidiſſe ſemel; ſatiata recurrit
Turba foro, repetitque avidè ſpectacula plebes.
Tunc adytis horror crevit conſuetus, & aris
Relligio ſacroſancta ſtetit, cortinaque Phœbi
Mugiit, & Clarii modulis ſonuêre penates.
Extulit æthereum Pietas caput, atque theatris
Jam ſediſſe parat. grandes animoſa curules
Ambiit & rigidas Themis introſpexit in urnas.
Tunc poſſeſſa diu boreali prodidit orbi
Nomina libertas; mentem conſtantia vinxit,
Nec levius quid velle ſinit, vel lumine fati
Expetere indignum; grandæva modeſtia mores
Comſerat, & juveni fulſit reverentia vultu.
Tum ſtudium pacis radices altius egit,
Tum patrocinium, tum pignus ſimplicis æqui
Juſtitiæ legumque intellexêre ſecures
Adventare foro; roſtris injuria ceſſit,
Exilioque abiens ſcelus & damnoſa libido
Aſpexit profugum procul exceſſiſſe furorem
Immodicum, prædæq; ſitim; conſueta potentum
Poſtibus improbitas effrons & grandibus error
Infeſtus titulis olido ſub carcere clauſa.
Nec jam paſſa moras odiis flammata tyrannis
Aſſiduis Perſas ſubiit Thracaſque feroces,
Et Diomedeis laceras præſepibus urbes.
Sola per Orcheſtram latè clementia regnat,
Conſiliiſque præeſt, & regni exordia ſanctis

Evehit auſpiciis, conſultaque triſtia multum
Temperat, & rigidas exorat provida leges.
Nunciat aula Deam, manſuetos undique mores
Oſtentans ſimileſque Duci. non Regia faſtu
Clauditur, aut humiles fugit averſata clientes;
Unanimis totum nectit concordia vulgus.
Ipſa aditus ſibi fama parat, genteſque remotas
Permeat, & cunctis feſtiva illabitur oris;
Tarteſſique Duces dominatoreſque Philippos
Fœdere conſociat: non noſtram Sequana pacem
Abnuit, aut alio ſudatas vomere meſſes
Qui redimit pugnax Batavus, ſua munera Rhenus
Spondet, & Auſtriacæ captatur curia terræ.
Gaudet, Hyperboreas qui proximus aſpicit urſas,
Moſchus amicitia, & pelles pretioſaque rerum
Quæ legit, Arctoo citat impendiſſe favori.
Antevenit ſtudiis Anglus, qui lege vetuſta
Cimbrorum favet imperiis. hic vincula regnis
Fœdere congeminat lecti, jurataque quondam
Sanguine pacta ligat. ſoli fiducia Sueco
Decreſcit, metuitque vices, quas fecerat ante.
Permeat Europam borealis buccina famæ,
Nec ſerit abſurdi quicquam, te plena vigoris
Regem forma probat, & celſa fronte coruſcans
Ardua majeſtas, proceros ſurgit in artus
Corpus, & antiquos exæquat imagine Divos.
Æquiparas patrios vultus, & avita refulgent
Signa per auguſtam faciem; non magna Tonantis
Grandius ora micant, aliter neque Martia lucet
Effigies cœli, cum formidantia terret
Sydera, & hybernis exaſperat ignibus æthram.
Sed dum fama foras ſpatioſam remigat auram,
Excubat ipſe domi, perque intervalla recurſans
Regnorum relegitque vices impuberis ævi

Acta-

Actaque Primorum. Propriam dehinc ſedulus aulam
Ordinat. agnoſcit primum mandata ſatelles,
Atque miniſteriis format palatia juſtis.
Tum curas aliò partitur, & ardua rerum
Fortiter aggreditur. jam totus corda ſenatus
Poſſidet, indigenûm cauſis patronus & idem
Serius ultor adeſt. turbam tutatur egenam,
Nec patitur cecidiſſe bonum, fiducia paſſim
Creſcit in innocuis, ſed deſperatio ſontes
Exanimat, jugulatque malos vis plurima recti.
Informat civile forum, quo tramite lites
Explicet, & quales peragat cenſura reatus,
Ne juris titubare tenor vel fallere poſſit.
Et quæ ſancierat vetus indulgentia Patrum,
Seu trabeas ſpectent Procerum Phœbeáve caſtra,
Ampliat, & priſcis adicit ſtipendia donis,
Munificum Regale putans. ſit fama potentum,
Lucra penes cives. nunquam deceſſerit ulli
Imperio, ſi lauta ferant compendia vulgus.
Et ne quid fatis deſit, jam pronuba Juno
Molitur flammas animis, Regemque procari
Addocet, & rigidis inducit flammea mitris.
Brandenburgiaci venêre in fœdera Patres
Brennorumq; domus; thalamis Regalibus Anna
Incubat, & placitis hæret Dominator in ulnis;
Auguſtoque unâ recubat ſpes anxia lecto
Orbis Hyperborei. Regina puerpera votis
Sufficit, & patriam non vult fruſtrarier aulam.
Exieras Chriſtiane toro, Germanicus Arcto
Marcelluſque tuæ, quem tantum oſtendere terris
Cenſuerant ſuperi. ſuccedis in omina tanti
Magne hæres fati Friderice, ortuque penates
Evehis Holſatum, & noſtri confinia Cimbri.

Vix norant tum vota modum, per templa per a-
Funduntur plebes, & per convivia passim (ras
Cum fœtu teneræ dicunt bona verba Parenti,
Atque iterat tantam repetita diota salutem.
Qualiter impregnata Thetis, cum pignore magno
Claruit, & faustos solvit Lucina labores;
Audiit Ossa modos, gavisaque partubus Othrys
Antiquas dedit ire nives, & vertice nudo
In cunis parvum supplex aspexit Achillem.
Provehitur cum mole labor, vix Delphica cœ-
Numina sufficient istis, si carmine totum (ptis
Expediam regnantis opus, quid pace sub alta
Egerit, & quantis turritas sumptibus urbes
Excierit; si templa loquar habitataque summo
Limina crebra Deo; non quicquam opulentius orbis
Vidit Hyperboreus, quam cum surgentia Divûm
Atria conspiceret. sic summæ prodigus æthræ
Erogat impensa, ut pietas numerosior ædes
Incolat, & sancti crebrescens copia verbi.
Militet, & canos sub casside transigat annos
Alter, & ad tostos extendat regna Moluccas;
Occubuit, laus ista perit, monumentaque famæ
Convellit senium, magnosque obliterat ausus;
Quas pietas molitur opes, quos rectius ævo
Transcribit titulos, rutilo cum sole perennant,
Annorumque moras superant, dum templa frequentet
Et fundatori bene dicet turba Monarchæ.
Hafnia delubris regione potentior ampla
Mille dabit testes, quot versat signifer orbes,
Tot potis est magno numerare altaria fastu.
Antiquam quantum superant Tarpeïa Romam
Mœnia, & excedit modò priscam Portua formam.
Aspi-

Aſpice, muratum deducto limite vallum
Surgit, & infeſtis aditus campoſque patentes
Liberat inſidiis; Tethys quà ſegnibus olim
Stagnabat reſupina vadis, non paſſa coïre
Anguſto nimium ruptas diſcrimine terras;
Nunc expugnatum conſterni pontibus æquor
Et Chriſtianenſem lautè conſurgere Portum
Aſpicit, & nautis tutos aperire receſſus
Tædia poſt pelagi; quibus æſtivare ſub undis
Sueverat æquoreum Nereï pecus, ardua cernit
Atria, & auguſtis ſpatiis conſurgere Burſam,
Auctaque continuis Granaria meſſibus, & quæ
Fulgebant ſpoliis Armamentaria Martis.
Sed quam vix anates querulo ſtridore volantes
Incolerent quondam, famoſis Holmia tectis
Vix proprium modò novit onus, penetralia cre-
Perpetuant ſeries. cumulatur acervus acervo (bræ
Multipliceſque trabes. incudibus æra reſultant
Formatura rates. operoſa laboribus ora
Fervet inexhauſtis. hic fundamenta futuræ
Inſtituit navi, vel ſaucia tranſtra reſarcit;
Ille ſupinatæ reparat tabulata carinæ;
Ordinat antennas alter, numeroſaque ſolvit
Vincula, & ad curſus abituras præparat alnos.
Nulla quies operi, nec cum glacialibus annus
Horreſcit ſignis. hæc unius eſſe recuſant
Spectantes Regis, cum vix conatibus iſtis
Sufficeret ſeclum, ſecloque anguſtior ætas.
Sed quod ſat famæ eſt, ſoli non ſufficit illi,
Quem laus tanta vehit, ſpatiis quem promovet amplis
Nominis augmentum. cautes & inertia ſaxa
Mitigat, & trepidæ ſcrutatur viſcera terræ,
Intactum nihil eſſe ſinens, ſuperinduit arces

Rupibus, & patulis ſuſpendit Martia petris
Culmina Varbergæ; denſis Halmſtadia munit
Littora præſidiis, totumque obit aggere limen.
Sed Chriſtianſtadii depreſſa paludibus imis
Fundamenta locat, mediaque voragine glebas
In molem cumulat, ſtagnis exhauſta profundis
Vallum format humus, tollitq; crepidine labrum
Celſius, & lentâ radices circinat undâ.
Occinat edomitam Lernæ ſtagnantis abyſſum
Et formidatum virus celebrata Poëtis
Fabula. Parrhaſiis eadem cernuntur in arvis,
Herculeoſque æquat ſimilis fortuna labores.
Sed Chriſtianopolis propriis ſe ſaltibus abdit,
Tuta ſitu, defenſa loco, gremioque reſedit
Naturæ, paucisque jacet metuenda colonis.
Non potis eſt ceſſare animus, vel ſumtibus ullis
Parcere, ſed pariter partes diviſus in omnes,
Quà procul algentes excurrit limes ad arctos,
Quaque peregrinus Cimbros diſterminat Albis;
Oppida, caſtra, domus, turres, delubra, palæſtras,
Temporis & ſi quid vitium peccaverit, aut quid
Hauſit inexſpectata dies, fatique reatus,
Inſtruit, inſtaurat, damnumq; obliterat ævi.
Asloviam ſubitis rapuêre incendia flammis,
Et profugos egêre homines, Rex protinus ingens
Sublevat excidium miſeris, civeſque palantes
Convocat, atque novæ jubet aſſociarier urbi,
Et Chriſtianenſes ſecurum habitare penates.
Te quoq;, Croneburga domus, Vulcanius æſtus
Hauſerat, & ſonti lambens prætoria fumo
Splendida perpetuis ſepelivit tecta favillis.
Tum proprias miſeratus opes, diſpendia lautè
Sarcit, & exuſtas reparat pompoſius ædes
Ruderibus mediis, multoque palatia cultu
Pan-

Pandit, & augusto facit elucere nitore.
Sic cineres proprios & iniquas Regia flammas
Dememinit, poteruntque ipsæ placuisse ruinæ.
Ut solet Assyrius reparare crepundia Phœnix,
Et flammis crevisse suis, cumque arserit ultrò
Splendidior solitos fertur revolutus ad ortus.
Crescit honor Regi vatique poëmata, neuter
Ambitione caret. Regem spatiosior angit
Fama, poëtantemque Deus. trans æquora raptus
Transque meos Cimbros rapidis vestigia servo
Passibus, & necdum lassam ad molimina men-
Inspectare libet, ubi nobile mœnia tollit (tem
Lüchstadium, affinique ferox multum incubat Albi.
Aspice, qui torvos fluvius per Teutonas exit
Sævior, & nusquam patitur se ponte ligari;
Heic turgescentes sedato gurgite moles
Lambit, & Arctoïs faciles conatibus undas
Commodat, & tanto pudor est obsistere Regi.
Exerit infestos apices, & ab aggere celso
Ingruit, ac latos inimicat Cremptia campos,
Hostiles non passa vices, magnique capaces
Explicat autoris raro cum milite muros.
Parte alia Christianprisium super ostia Balthes
Amplius exsurgit, trepidosque tuetur agellos
Indigenæque amnis ripas, vel nomine quoddam
Grande ferens, servansque sui vestigia Regis.
Hactenus implevit pectus, sumtusque peregit
Commodior patriæ tutela quiesque patentis,
Nunc animum pietas mentisq; potentius aulam
Occupat, & proprios monet instaurare penates,
Natalesq; domus; parvus quæ limina quondam
Reptavit puer, & tremulo clamaverat ore,
Sumtibus ædificat lautis, prætoria tollens

Fridrichsburgiacis latè incumbentia ſtagnis.
Hic quod demireris habes, ſeu ſplendida cernas
Atria & immenſo radiata palatia faſtu.
Seu tot contempleris opes, compendia regni
Cernere vel priſci credes miracula mundi.
Sed pretio rerum magnum præponit alumnum
Regia, & effulgens cunis Regalibus aurum
Poſthabet, & rubri lutulentas æquoris algas:
Nam pretium fulvæ potis eſt abſcedere maſſæ,
Et gemmis ſuus ille nitor, ſed laudibus iſtis
Annorum nulli parient oblivia curſus. (ti;
Sed cur lenta domi creſcunt mihi metra canen-
Dum Regem, dum facta loquor, cum plurima dixi
Dicere pauca tamen valeo, me fallere credet
Poſteritas, magnoque aliquid donare favori.
Sed ſuperat rerum cumulus, numeroq; diſertam
Pierin & Clarium laſſabunt acta ſenatum.
Jam me bella vocant, pacatæ cedite Muſæ,
Et Tymbræ moderator abi, mihi Martius ardor
Pectora poſſedit, totuſque in prælia Rege
Concomitatus eo, qui bellis jura miniſtras
Implacidis Gradive Pater, mihi pauca furoris
Sufficito fomenta tui, quo verius arma
Perſequar, & crudas perſtringam carmine laudes.
Brunſvici ſeriem orditur fortuna duelli,
Et fatis aditum reſerat, Regemque futuram
Præparat ad famam; quàm juſtas ſumſerat iras,
Quàm fuit auxilio promptus, cum dira rebelles
Tela coruſcarent cives, & Marte ſiniſtro
In caput Auguſtum plebs tota inſurgeret urbe.
Non tulit indignum ſcelus, aut incendia volvi
Affinis per tecta ſui, ſocioque paratu
Dux ad caſtra venit; venientem exhorruit amens
Vul-

Vulgus, & abjectis trepidarunt agmina signis;
Supplicibusq; animis pacem veniamq; precati
Principis oravêre fidem, ne viscera terræ
Scinderet, aut justis vindictam sumeret armis.
Demeruêre preces animum, culpamq; professis
Promtius ignovit Princeps, nil sævius orbem
Persentire putans, quam cum discrimina cives
Intestina rotent, non alta laude triumphat,
Qui domuit civile nefas, civilibus armis
Absilit, & tales odit victoria palmas.
In patriam regressus erat certamine clarus
Rex Danæ telluris apex, & legibus Arcton
Frænavit placidis, turbas exosus & arma.
Protinus insidiis tranquilla silentia pacis
Impetit, atque novæ tacitè serit impia rixæ
Semina Tesiphone, non passa quiescere gentes.
Pronus in arma ruit Suecus, nec pallia desunt
Consiliis, titulosque leve est prætexere cœptis.
Prima pruinoso damnatas sydere terras
Norvegicas vexat latè incursatio, vulgum
Percellitque rudem, priscisque absistere pactis
Imperat, & Regi jurata remittere verba.
Indignabatur leges sancitaque retro
Fœdera convelli temerè, sed lentus ad iras
Tristia bellorum Rex cunctabatur ad ausa.
Ast ubi pacificis clausas hortatibus aures
Cerneret, ingentes tota regione paratus
Occeptat, trepidæque citat prævertere famæ,
Cessantemque domi quassare valentius hostem.
Convenit ad bellum mora, quò bene cocta capessas
Acta, nec autorem proprium conamina fallant
Præcipitata nimis; sed cum maturior æstus
Impellat, rupto transcurrat carcere Mavors.

Impetus in lucro eſt. vix dum moviſſe putabant
Agmina, cum ſubitis ardere domeſtica bellis
Limina conſpicerent, paſſimque incendia villis
Serpere; quemque prius venientem haud ſen-
ſerat hoſtis,
Nunc videt immenſis urgentem cladibus urbes,
Armaque partiri; rapitur Calmaria rupi
Celſius incumbens, terræ mirabile quoddam
Luxuriantis opus. nec jam ſuperarier ultra
Diſpudet; acceptam devicta Finlandia cladem
Ampliat, & ſummo pendens Borcholmia regni
Margine, quodq; rubræ ſurgit cognomine maſſæ
Oppidulum. in partes tandem conceſſit eaſdem
Elsburgum, & tantis venit bona portio geſtis.
Arva ruit circum turmis dominantibus Heros,
Nec cœptum remorantur iter vel ſaxa, vel ignes
Moleſque undarum: trepidos Natura relaxat
Delaſſata ſinus, nec inexpugnabile quicquam
Objicit audenti: quò demum conferat arma,
Omnia pugnanti concedunt ardua Regi.
Non ſitus in tuto eſt, non dependentia ſaxis
Culmina, vel quicquid validum fore credidit ho-
Sed dum ſat dubiis decernitur alea fatis (ſtis.
Martia, torva inter ſævit Libitina tiaras,
Et Regis populata toros, veneranda triumphis
Funera permiſcet commutans laurea taxo.
Anna Cathrina domi moreris, dum militat extra
Rex tuus, & totis inducens nubila caſtris
Dememinisſe facis victores bella maniplos.
Quæ fuit illa dies, quæ Te Regina jacentem
Aſpexit, quâ Te deploravêre Trionum
Vulgus, & Arctoo triſtata Orcheſtra ſenatu;
Atra fluat, populoq; velut malè fauſta gerendis
Rebus inardeſcat, numero ſocianda nefaſto.
Fœ-

Fœminei decus omne chori, quâ conderis urnâ,
Hanc circum excubias pietas & pervigil æther
Alternant. tenebrisq; tuum defendere nomen
Virtutumque diem satagunt, dum Balthica Te-
Subjacet Augustæ soboli, tua fama manebit. (thys
Sed Rex ipse foras, dum torva casside septus,
Sanguineis maculat rutilantes cædibus agros,
Accipit infandum vulnus, rumoreque tali
Perculsus, belli ferme oblivisscitur acta.
Utque erat immenso respersus pulvere campi
Regreditur, propriique videns divortia lecti
Prælia suspendit, magnæ dum sanctius umbræ
Exequias paret. hinc luctu cumulatus & ira
Ingruit, & strictos crudelius asperat enses.
Ut leo, si quando venantum concidit uxor
Insidiis, cognata dolens ob vulnera cristas
Sævior erectat, & acutis unguibus exit
In turmas, terretque infesto murmure sylvas.
Senserat infausti Suecus discrimina belli,
Jamque præoptabat pacem sociataque rursum
Fœdera & exactis coluisse silentia turbis;
Convenit, Rex pacis amans sat mitia dixit
Jura, & devictæ tandem miserescere gentis
Magnanimum duxit: nam quæ victoria bello
Speratur, solidam nequit æquiparare quietem.
Dulce quies populis; sors arma duellica cæcis
Casibus exagitat, nec semper partibus iisdem
Assilit, assiduóve sinit vicisse, triumphos
Vertit, & immensis rotat ampla tropæa ruinis.
Discite terrarum Proceres non fidere sorti;
Quid favor ambiguus Martis, quid proderit armis
Exturbare solum? patratur adorea crebris
Cædibus; & multo cumulantur sanguine laurus.
Pax animat terras, pax viles ampliat urbes,

Pax homines crevisse facit, pax fœnerat orbi,
Te cupimus, pax alma, frui; te sensimus omnes
Implacidos pepulisse Deos, & rura colonis
Explicuisse suis, tumuerunt messibus arva,
Et pater autumnus dites indulserat horas.
Sed velut ignavo recubant ubi littora somno,
Frendent Æolii fratres, & claustra revellunt,
Atque superjectum luctantur tollere montem,
Temperiemque quiescentis rupisse profundi:
Sic nobis, pax alma, tuos furialis Enyo
Invidit radios, & tanti Numinis usum
Pacatosque dies. quis iniquæ crederet astus
Hoc potuisse Deæ, aut natas sub origine magni
Danubii rixas, tantis ambagibus actas
Et demolitas Arctois otia terris?
Portentum Bellona parat, vestitur olympo
Auspicium sceleris, conturbatisque ministrat
Relligio causas animis. quam prælia sanctè
Moliris populis Mavors! quis rectius arma
Sumserit, æthereos quam qui defendere cultus
Præsumat? sed bella cave, non discupit istud
Præsidium pietas, ferro robustius omni
Ætheris eloquium est; quod si nutare salutis
Fundamenta videt, tum tempestivior aura
Numinis afflatu mentes refocillat anhelas.
Hæc cœptis nocuere tuis miserande Boheme
Fata, & ab insidiis temet venata rapinis
Prostituêre lares & sceptra Bohemica magni
Cæsaris, & totos debellavêre furores.
Nec pateris solus, serpunt incendia latè,
Teutonicosq; ruit Mavors prædator in agros.
Victrices aquilas cornutus flumine Rhenus
Horruit, & totis tremefactus fluctibus Albis,
Agnovitque procul sua detrimenta Visurgis.

Nec

Nec Danis ſat fida quies, vicinia nobis
Obfuit, & tandem tulit in diſcrimen inertes.
Dicito, naturæ ſi quis miracula callet
Abſtruſaſque vices, quo demum tramite caſus
Decurrant hominum; num ne hos fortunet ab
aſtris
Lætior influxus, vel magni dextra Jehovæ
Dirigat, aut dubiis permiſerit omnia fatis?
Nutat relligio, temerantur dogmata, vulgus
Urbibus exigitur, ſi quos deſiſtere veris
Cultibus abſterret pietas; & robora creſcunt
Hoſtibus, innocuæque perit fidentia cauſæ:
Auſtriaciſque adeo vis ille potentior armis
Exit, & intactos tentat perrumpere fines;
Nec ſatis eſt viciſſe, ſacra ejurare priora
Cogit, & exoſis victos emancipat aris.
Viderat illa domi diſpendia relligionis
Exiliumque Heros, preſſæque aſſiſtere genti
Et debellatis properè ſuccurrere ſacris
Inſtituit, ſed & aura piis allabitur auſis
Pronior, inceptoque favet fortuna labori.
Confligit, vincit, circumſidet oppida, raptim
Expugnat, non caſtra ſuus defendere miles
Sufficit; antiquum damnat ſtratagema peritus
Tyllius, armatoque timet concurrere Regi.
Sed fortis quam fluxa fides, ut cardine ventus
Non patitur ferri ſtabili, modo ſibilat Eurus,
Nunc Boreas rigidis Aquilonibus aëra turbat.
Luttera fatalis locus eſt, hæc Allia nobis
Canenſiſque dies fuit, & Thraſymenica ſtrages.
Non tamen hic errat quicquam, non agmina Du-
Præcipitat, non difficilis patet area pugnæ. (ctor
Pugnabant pedites jamjam viciſſe putantes,
Cæſareamque retro validè pepulêre phalangem;

Sed cedit malè fidus eques, tergumque rebellis
Vertit, & aufugiens aciem terroribus opplet:
Non prece nec lacrymis dolus hic avertitur ullis,
Nec pretio, fugit, quem vix aſpexerat, hoſtem,
Nec metus in cauſa eſt; ſic denudata fatiſcunt
Prælia, & immenſis cumulantur cædibus arva
Danorum. Tylli quid jactas, parva trophæi
Pars tibi debetur, verè hæc victoria fati eſt,
Infidæque fugæ, noſtrorum fraude triumphas.
Noverit hoc Cæſar, nec terror priſtinus illi
Abſcedit, metuitq; Danum, quem fregerat armis
Succeſſu potior, quamvis Holſatica tempe
Cimbriacaſque inſtar nivis exundaverat oras.
Pax agitur, pacem victis plus victor anhelat,
Elabique cupit. Pax laudatiſſima terris
Sancitur, qualem vix ſi ſuperaverat unquam
Rex potuit voluiſſe ſibi; ſic vincere Cæſar
Noluit, & victus nunquam majora dediſſet.
Vix turbas belli formidatoſque tumultus
Exuerat Cimber, cum rurſum in prælia trudit
Ceſſantes, rutilatque minas, & ab æquore ſævum
Ingruit Hamburgum. tepidus Dominator ab æſtu
Martis adhuc reficitq; animos, & claſſibus Albim
Irrumpit, ſenſère ſuum vada cœrula Regem,
Et bellaturo ripæ atque fluenta reſultant.
Jam tremefacta dies repetita tonitrua crebrò
Hauſerat, & tantis potuit palleſcere fumis,
Cum delaſſati furioſa negotia belli
Detrectant hoſtes; ſic primæ copia pugnæ
Perculit audentes, noſtræque acceſſio paci
Maluerant fieri, quam lævi præmia Martis.
Sed velut infido coëunt ubi vulnera filo,
Si ſtagnet pus triſte intus, malè ſana cicatrix
Gliſcit, & antiquam ſaniem vomit; ipſa ruentem
Non

Non potis eſt vinclis remorari fibula tabem;
Sic malè pacatis animorum motibus iram
Exoraſſe putant illi, ſed mente repoſtus
Offenſæ cumulus maturo in pectore lentum
Æſtuat, & tandem perſuadet claſſica Regi.
Aſt Hamburgenſes pertæſi impendia dudum
Decertare negant armis, precibuſq; frementem
Sollicitant Regem, ſed clementiſſimus ille
Supplicibus pacem promptus dedit, altius illud
Eſſe putans, humilem ſi quando aſpexerit hoſtem,
Quàm ſi ſanguineos liceat geminare triumphos.
Jam, ſed firmus adhuc, incaneſcentibus annis
Famoſas ſenii meliori ſydere metas
Tranſierat Princeps, ſpatiiſque immotus iiſdem
Intrepidus curas regnique gravamina tractat,
Otia creſcenti ſperans ſecura ſenectæ.
Sed fatis quàm dulce ſacras vexare tiaras,
Et furias populis Martemq; admittere terris!
Extulerant Suecum, & longè victribus alis
Invaſiſſe ſolum dederant, populoſaque regni
Oppida Germani; ſic ferme incognitus orbi
Parrhaſio quondam, nunc quà præruptior æther
Occidit, & patulis ſtatuit pomæria terris,
Clareſcit titulis, & formidabile cunctis
Inſurgit nomen Martiſque potentia Sueci.
Hic ſua fata retro lugens acceptaque bello
Damna, parat noſtris cumulata refundere Danis
Vulnera, & antiquis tacitè diſcedere pactis.
Utq; erat egregiis jam tum numeroſus in armis,
Agmina molitur, famaque citatior ille
Obruit infeſtis Holſatica rura maniplis,
Cimbrorumq; domus, quà longè terminus exit,
Teutonicoque jacet confinis patria Travo.

Scano

Scano idem terror, Suecico prorumpit ab Isthmo
Hornius, & trepidos populatus cladibus agros
Malmogiæ fines turmis minitantibus intrat.
Nec satis est terrâ Martem celerasse nocentem,
Classibus insternit pontum, conductaque ducit
Transtra per Oceanum. miseros bellator ab undis
Exilio prohibet vitare pericula cives.
Conciderant animis omnes, sed pectore firmus
Rex timidos sperare jubet, tremulæque senectæ
Plenus ad armorum nequiit horrescere molem.
Bella parat, propriasque mari sub vere triremes
Instruit, & Batavum mens est domuisse fremen-
Venalesq; minas. celeri Rex impete naves (tem
Anticipat socias subiitque pericula primus.
Pelluntur statione Sueci, trepidatque fugatus
Navita, & exhaustis repetit sua littora transtris.
Lista tegit memori cumulata cadavera terrâ,
Et monstrat tumulos angustaq; jugera cæsis.
Illi difugiunt, sed Rex super æquora victor
Regreditur, laxatque citis victricia coris
Carbasa, Norvegiciq; legit prærupta profundi.
Interea totis instaurat classica Suecus
Portubus, èque omni conscribit limine nautas,
Australemque ruit numeroso remige Balthen.
Occurrit Princeps, aciemq; informat, & hostem
Æquore disturbat, pulsumque coërcet anhelo
Gurgite Kiliaci tractus, ubi lentus arenâ
Hæret, & adversæ dolet infortunia pugnæ.
Pugnantem Colberga Ducem glomerataq; vidit
Prælia, & infestis displosa tonitrua dextris.
Audiit & si quis Germanum limen arabat,
Ruraque Selandi. trepidis Lollandia villis
Insolitis stupuit fluctus ardere favillis,
Et scintillantes globulos torvosque boatus.

Ex-

Excubat à pelago victor, sed territus ille
Restat, & audenti trepidat concurrere Regi.
Tandem opportunis adjuti flatibus hostes
Exierant, sed bella negant, lacerasq; triremes
Abduxere domum; sequitur jactantior Heros,
Atque triumphatas à tergo territat alnos.
Dumque redit tantis Princeps animosus ab actis,
Hic ubi vicinos dispandit Amagria campos,
Obvius invehitur Batavus, velut alter ab illo,
Quem prius invisæ domuerunt prælia Listæ.
Sed timidus pugnæ, pelagoque potitus aperto
Rapta propinquanti subducit classica Dano.
Sic bellatori cumulatur adorea Regi,
Successuque senex claret, fortique senecta
Æquiparat viridis quæ sunt decora ampla juven-
Sed favor ancipitis fati mutatur in horas, (tæ.
Instabilique gradu raptus laudata retardat
Consilia, & nostris vecors conatibus obstat.
Victores luimus, numero non robore victæ
Funduntur puppes; Salamin Albogia nostris
Exstiterat nautis, & verè Cimber Alanus
Mundius intrepidam celeravit perdere lucem.
Arctoæ telluris apex, quo carmine laudes
Fas cecinisse tuas? curas, discrimina, pugnas,
Vulnera pro nobis pateris, tibi patria sanctis
Carior est oculis, & amati luminis usum
Amisisse velis, si sic servare jacentes
Fas fuerit cives, regnisque avertere Martem.
En tuus ô grandæve parens, quem largius illo
Vulnere fundebas sanguis, per secula manans
Stillabit fastis, omnique perennior ævo
Stabit par Deciis, Fabiique æquævus honori.
Invidiæ domitor Princeps excelsior exstas
Fortunâ; non læva tuam non prospera mentem
Atte-

Attenuant, ſed uti celſa ſublatus ab arce
Errantes infra caſus confuſaque mundi
Gaudia deſpectas, ſummæq; propinquior æthræ
Delicias ſuperum ſentis, affineque pulſas
Limen, & ignavæ properas abſcedere terræ.
Cimbrorum memores faſti, queis omnia retro
Arctoi ſecreta ſoli, quibus ordine gentis
Factaque fortunæque latent, ingentia vobis
Scribimus, & veterum quæ prævertêre decora,
Seu belli ſeu pacis erunt. quæ ſingula priſci
Tranſegêre Duces, heic convenêre ſub unum.
Virtutum ſpectate Pharon, ſpectate bonorum
Omnigenum Colophona viri, quæ ſparſa per omnes,
Heic ſibi mixta fluunt. titulis bellator abundat,
Et Proavis majora tulit, paria egit inermis,
Martiaque exæquant laudes momenta togatæ.
Militat incanus Ductor, vitæque fatigat
Puncta labaſcentis; non ſævis ille procellis
Abſtrahitur campo, tetriciſq; abſcedere caſtris
Egelidi faciunt menſes, quâ miles arenâ
Excubat, & tenui ſtraviſſe cubilia ſomno
Imperat, humenti madefiunt ſtragula nocte,
Atque paludato dependet ſtiria lecto.
Cum turmis commune ſolum ſub ſydere cancri,
Atque Cleoneo cum fulgurat axis ab æſtu,
Indecoris latuiſſe putat, veloque calentem
Declinare diem, galeâ potare paludes
Et ſemicrudas non aſpernarier offas
Bellanti ſolenne fuit, tum grata falerni
Pocula ſordebant lautæque obſonia menſæ.
Non alitur Mavors odiis, non invida ſuadet
Materies pugnas, pro relligione ſuiſque
Decernit, bellumque facit, quò tutior arvis
Pax

Pax vigeat patriis; non turpibus arma rapinis
Deſtinat, aut pacem ſpoliis. ediſſere Teuto
Conatus animumq; Ducis, quantiſq; frequenter
Inſtiterit ſtudiis, ut tranquillata videret
Arma fatigatis tandem diſcedere terris.
ThebæEpaminondam populis per ſecula cantent,
Codrumque Actæi, Decios gens priſca Quirini
Fabricioſque ſuos, tecum Maſſyla domaret
Oppida bellipotens Marius, tua caſtra Catones
Diſcuperent, ſociumque in Celtica bella Metellus
Duceret, & Libycæ flammator Scipio Burſæ.
Sicque Numam Tullo, & placidum miſcebat Achilli
Neſtora, non belli cupiens, nec ſubdola paſſus
Otia, & indomitos, qui vertunt regna, furores,
Sic paci populiſq; ſtudens, plus fœnerat æthræ,
Depoſitumque fovet cœli, tantoque patrono
Inſonuit clarè cœleſtis buccina verbi,
Et pietas ſecura ſtetit; nil hæreſis auſa eſt,
Schiſmaque deliri cœtus; non certior illo
Tempore pax ſteterat fidei, cum priſca Joſias
Sacra repurgatis faceret crebreſcere templis;
Cumque forum, cum roſtra pius clamoſa Joſaphat
Inſtrueret, cum jura daret, vix ſimplicis æqui
Orbita ſic laudata fuit, non legibus unquam
Abrupit normam, civemque afflixit egenum.
Non Solymos apices, vel regia tecta Zionis
Sumtibus innumeris Salomon & divite cenſu
Lautius exſtruxit, Pario neq; marmore Romam
Sic poliit veterem Auguſtus, quam Danica paſ-
Oppida magnifico fecit conſurgere cultu (ſim
Cautus ab impenſis ſed honeſti prodigus æris
Rex meus. hac tandem concluditur area fati
Laude

Laude tui, magnisque venit sua vespera gestis.
Incola magne poli, terrarum gloria quondam
Jam super astra meas, & si fas credere priscis,
Sideribus mixtus Phœbum reliquosque Quirites
Anteis, & magno radias spatiosus olympo,
Arctoisque faves spatiis, ubi fræna capessit
Atque tribunali residet Fridericus avito.
Et licet absumpta est vestri mensura vigoris,
Plus terris vivis tamen, & post fata superstes
Aspiceris populis. magno cognominis hæres
Surgit avo juvenis, patriisque crepundia metis
Devolvit veneranda nepos; hic busta coërcet,
Et donat toties sanctos juvenescere Manes.
Magne parens non australis tibi portio cœli
Algentisve placet glacialis temo Bootæ:
Interes Orchestræ superum, Proavisq; remixtus
Antiquas Regum series & grandia cœli
Nomina dinumeras, quos vel tua Dania misit,
Vel Solymi tenuere throni, quo cardine tandem
Exstiterint genus omne; tui modò Principis umbras
Amplexu stringis, vel amato pronus ab ore
Uldrici pendes, vicibus Catharina beatis
Assilit, & veteres instaurat sanctius ignes
Æthereosque sales. cernis & cerneris omni
Ætheris æterni populo, Jehovæque perenni
Pasceris aspectu, Regisque in imagine Christi.
Et si quando oculos proprio deflectis olympo,
Quæ placeant tuus orbis habet, quo lumina sancta
Gratius oblectet. Patrio Fridericus in auro
Emicat, & pariles rerum complexus habenas
Consiliis fasces & legibus instruit urbes.

Non

Non moriere, tuis augustæ munere vives
Prolis, & Arctoâ semper memoraberis aulâ,
Et famæ durabit opus, dum circulus ille
Sanguinis,& grandes redeunt ad sceptra nepotes.

HOMAGII (15)
Solennem actum

Serenissimi & Potentissimi Principis

FRIDERICI III.

Daniæ, Norvegiæ &c. Regis, æternùm fortunet παντοκράτωρ
DEUS.
1648. *ipso die Homagii.*

Erigimur sensim miseri grandesque ruinas
Expiat Omnipotens cœli favor, undique mœstis
Induciæ surgunt lacrimis, queruloque tumultu
Exsolvi tantisper amant, dum commoda cives
Obsequiumque Deûm discant, lacerasque tiaras
In vultus rediisse suos; ululataque magnis
Regia funeribus priscâ diademata cernat
Inflorere domo, Danicique insignia Regni
Hæredes tetigisse manus, consuetaque Sceptris
Nomina, & augusta serie descendere fasces.
Irarum superos tandem piget, atque feroces
Invidiæ parcas, nec iniquo secula luctu
Ulterius turbare libet, sat triste feretrum
In Danos potuit, sat bellavêre Sorores.
Nunc Summum tua pax FRIDERICE exorat Olympum

Fer-

Ferrataſque colos, fulvo juveneſcit in auro
Quod Divæ meditantur opus, ac ſecula penſis
Proſpera deducunt nitidis,& fata refingunt (cton
Jam poſitis manſueta minis; modoq; igneus Ar-
Mortibus informem Regum terraſque ſerenat
Proſperiore comâ Titan, atque æmula ſolis
Cynthia nocturno pompoſior exit ab axe,
Et conjuratis reſplendent ſydera flammis.
Hic tuus eſt FRIDERICE dies, hoc limine vellet
Surgere & exhauſtis numerari curſibus annus,
Quô Tibi magnanimi Proceres jurataque plebes
Sacramenta ferunt, quo per ſuffragia gentis
MagnusHyperboreo PRINCEPS imponeris orbi.
Hac pompâ Natura Jovi moderamina rerum
Obtulit, & totus ſolito jactantior æther
Horruit in facibus, ſcintillavere Deorum
Atria, & arcano florentes lumine cœli.(Sorores
Quam vellem Clariæ mihi ſplendida metra
Ingererent, luctuque animus graviore levatus
Partibus inſtaret ſolitis, nec Regia vatem
Fata nec Aonios turbaret præfica cantus;
Non ego grandiſono fugerem certare Maroni,
Sim licet inferior modulis, & plenius ille
Inſonet, ac rerum exæquet momenta canendo:
Sed nec Mœonii genium ſenis, aut mihi plectra
Diſcuperem quondam Phario celebrata Canopo;
Sat Vati, FRIDERICE, fores, melioraque Phœbo
Robora ſufficeres, fœtaſque in carmina vires.
Namq; cruentatos Regum ſi quando triumphos
Et bellatrices laurus, aut otia pacis
Et miteſcentis creſcentia proſpera ſortis (ni;
Multum aſſurgentes tulerant ſuper aſtra cothur-
Aut populi properatus amor interprete verſu
Effulſit, memoreſque notas tranſmiſerat orbi;
Heîc

Heîc rerum fœcunda ſeges & præmia longè
Per Proavos numeranda retro, tituloſq; Parentis,
Quicquid & auſpiciis meruerunt PRINCIPIS Arcti,
Debita ceſſantes poſcunt encomia Vates:
Sed nocet officiis mœror, pietaſque feretri
Vertitur imperiis, quò nos tua grandia ſecum
Facta vocant, atque Arctois communia terris
Gaudia, Speſque ingens, PRINCEPS, furor avocat urnæ.
Ecce parant TIBI fata dies, quos vellere Parca
Nectit Jaſonio, cum TE manſuetior æther
Suſcitet in ſceptris, ſolioque inſternat avito;
Tum mihi ſollicitos animis diſpellere luctus
Mens erit & lepidas hortari ad metra Camœnas.
Triſte ruina Ducum populis, quâ conditur urnâ
Ductor, & inviſo tumulatur funere rerum
Certa ſalus cœlique fides, hoc obſide Divis
Jungimur æthereis, animumq; paciſcimur æthræ.
Nam vicina Deo ſceptra atque affinia cœlo
Stemmata ſunt Regum, ſoli cenſura Tonanti
Linquitur in trabeas regnatriceſque ſecures.
Tumque adeo favet aula poli, ſortiſque benignæ
Viſitur aura procul, cum Defenſoribus iſtis
Imperii fulcitur apex, tutelaque regni
Creſcit, & in miſeros ſerpunt compendia Cives.
Vivitur ad fatum Regis, hoc ſpiritus ore
Publicus & tantæ trahitur mens anxia molis.
Occiderit, pax dicta perit, fortunaque gentis
Labitur, & triſti occumbit Reſpublica caſu.
Exuit imperium & veteres faſtidit habenas
Neſcia turba regi, placitiſq; ſalubribus obſtat,
Et parat infeſtis convellere motibus orbem.
Nutat ſueta bonis conſtantia, curia Patrum
Con-

Consiliis malè tuta suis, suspensa procellas
Ancipitesque vices spectat; calcata fatiscit
Pristina majestas legum & reverentia recti.
Rex sibi quisquis erit, propriiq; ad jussa cerebri
Fertur, & indomitos sequitur pro lege furores,
Et pulchrum est quodcunque cupit, ruat impete mundus,
Dum quod vult, poterit, votiq; licentia vincat.
Sic ubi in æquoreas trepida Palinurus ab alno
Præcipitatur aquas, turbant sua symbola nautas,
Nec votis tenor ullus adest, dumq; arma carinæ
Et clavum sibi quisque rapit, fortuna salusque
Spernitur, at viduæ dominantur flamina navi.
Hos metuens motus Arctoi gloria mundi
Dania, jam bellis nimium jactata sinistris,
Funeribusque exhausta Ducum, modò Numina priscam
Ejurasse fidem credens fata inter & urnas
Hæret, & incertas rotat intus pectore curas.
Sidereasne domos veniat, questumque Tonanti
Festinet vexata nimis; vel PRINCIPIS aulam
Juratumque suis columen venerabile Cimbris
Ambiat, & propriis recitet sua tristia Divis;
An Danica sat tuta fide, quid publica possint
Consilia & Patriæ transcripta electio toti
Spectet, & eventus exoret ad acta secundos.
Talia jactanti tandem sententia sedit.
Est Dea quæ solio solet advigilare Jehovæ,
Consultisque immixta sacris mandata gubernat
Cœlica, & immensum compescit legibus orbem.
Creditur à populis Pietas, æquæva Tonanti
Antevenit cœlos totis antiquior undis.
Hanc, quia Divini Dea servantissima jussi est,
Exilii quondam metuentem exceperat omni
Dania

Dania prompta ſinu, templiſq; locarat, & aras
Cultibus ac famulam ſtudiis ſubmiſerat Arcton.
Hanc adit, & luctu multum turpata perenni
Dequeriturque vices & acerbat fata querendo:
Quod nocet afflictæ vitium? quæ crimina damnis
Expiat aſſiduis? anne indulgere rapinis
Apparat & læſo ſcelus eſt miteſcere cœlo?
Sat belli nocuere minæ, nec cladibus illis
Placantur ſuperi, augeſcunt diſpendia Regum
Mortibus, ac gemino ſceleratur funere creſcens
Annus, & occiduæ pereunt per buſta Calendæ.
Reſpice Diva potens formidatique Tonantis
Delicium, ſciat ira modum, cumq; omnia poſſit,
Sufficiat potuiſſe Deo; non perdere laus eſt,
Quos poteris, aut velle hominum numerare reatus;
Si pœnæ ſatis eſſe queat, vel quicquid ubique eſt
Supplicii, ſtat velle pati, modò deprecer unum.
Sceptra redintegret; quæ truncæ gratia mitræ?
Quis reget informes anima ſine ſpiritus artus
Quis magnos ſine ſole polos? nil ſenſimus unquam
Triſtius interitu Regum; ſpes priſtina rerum
Nutat & attonitis decedunt gaudia regnis.
Ut cum Phœbeæ perit aſtris lampadis uſus,
Limina fuſcantur Divûm, portentaque tellus
Horret, & affligunt trepidantes omina gentes.
Sunt apices rerum Reges, ſua robora civis
PRINCIPE menſurat, nec certius indice quoquam
Æſtimet indigenas vires momentaque regni.
Si qua procelloſæ minitantur prælia ſortes
Iraque fortunæ, Ductore ſuperſtite tantus
Deſævit furor, & triſtes damnatur ad umbras.

Hic caput est vitamque orbi viresque ministrat,
Atque ministeriis seriem disponit, & omne
Cogit ad obsequium vulgus, nec ferre recusant:
Hæc est quæ populos felix junctura maritat.
Redde Ducem, nec plura velim, nec plura mora.
Audierat miserata vices & fata precantis (bor.
Solaturque metus Pietas, moresque Tonantis
Edocet, affatuque dolorem mitigat ægræ:
Quid flevisse juvat, si quæ deliberat æther?
Est Deus & flecti nescit, quæ lucra ruinæ
Orbis habent Dominoq; ferant? immota voluntas
Perstat, & alterius renuit mandata vereri;
Sancit, & in mundi consultat commoda solus
Juppiter, ac partes pariter divisus in omnes
Prospicit & nulli curas manifestat amico;
Nec patitur cœli peregrinum Orchestra senatum;
Noscitur eventu quæ sit sententia Jovæ.
Est exoratu facilis cum fervere cernat
Vota Deus, pectusq; humiles agitare querelas;
Quasque infregit opes semper cumulatius auget,
Et desperatas cupit instaurare, nec unquam
Assolet occiduis præceps incumbere fatis.
In lucro reputa damnum, cum sævit Olympus
Dona parat, mediamque ruit clementia stragem.
Nil habet æternum mundus, hoc providus ille
Novit, & hanc rebus voluit transcribere legem.
Sed cave desciscas animo, per sacra Tonantis
Perque fidem cœli dico, tibi sceptra perenni
Semine descendent, & qu. tibi computat annos,
Semideos longo numerabit in ordine Reges.
Oldenburgiacus sanguis, quo sanctius orbis
Nil habet, augustoque videt gaudentius ortu
Surgere sceptrigeras animas, celebrata reducit
Secula, & innocui molitur regna Josaphat,
His-

Hiskiæque Ducis; ſeries numeroſior æthram
Irradiat, ſed Hyperboreis quæ ſtemmata terris
Liquimus, effulgent titulis, vetereſque laceſſunt
Heroas meritiſque ardent contendere cœlo.
Hæc Danæ laus eſt gentis, nec verius ulli
Oſtendunt Regum decora, hinc Tibi proroget æther (avitum.
Nomina, & in ſolium FRIDERICUM mittat
Ipſa ego, quæ veſtros fidiſſima pectora Danos
Poſſideo, fideique dedi documenta per orbem
Cimbriacæ, ſubito cunctos in vota colonos
Ordiar, & pomptos cogam ad ſuffragia cives.
Regalemque animum parili pietate movebo,
Ne velit excuſſiſſe preces, Regnique paterni
Grande patrocinium; fatis effulta ſecundis
Regna geret, populoque dabit reſponſa petenti.
Hic AUGUSTUS erit, non quo malè ſana triumphat
Roma, ſed excelſi quem monſtravere parentes.
Omina portendit nomen, quia pace ſerenus
Regnet, & in miſeros cumulet benefacta clientes.
Tumque adeo feſtiva tuæ ſpectacula genti
Cœlitibuſque meis venient, cum pompa theatris
Emicet, & ſolio PRINCEPS ſublatus eburno
Jurantes cives ſacramentiſque ſonare
Accipiet fora lata ſuis, nil fauſtius æther
Adſpicit, ipſi etiam cupiunt jurare Triones.
Sume animos, tibi Jova favet, damnataq; voti
Rurſus Hyperboreis diſpones jura profundis
PRINCIPE nixa tuo, noxæque oblita prioris.
Vix dum finierat, cum concava tecta coruſco
Fulmine concuſſit dexter, cœlumque triſulca
Terruit omnipotens Genitor face & inclyta terris
Signa dedit patriis manſuraque fata tiaris.

Dumque parat reditus ſpe reſtaurata potenti
Dania, ſidereas perrumpens fortiter arces
Aliger, ingenti deſignat nubila gyro;
Impellenſque tubam toto conclamat Olympo:
Naſcere Mygdonio ſat jam ſatiata cubili,
Purpureiſque genis creperas, Aurora, tenebras
Et Phœbo reſerato diem, nec ſydera turbes.
Hocce meo ſacrum eſto Jovi Boreæque rigenti
Luciferi properantis opus, ſoliſque labores
Accelerent REGIS nunc reſplendere ſereno.
Ætheris ad placitum propriis juratur Achivis
Indigetique Patri FRIDERICUS ſcribitur hæres.
Dîs adamate Heros laudes tranſcende Parentis
Et ſenis Auguſti titulos, tibi ſydere fauſto
Auſpicium regnique oritur fortuna recentis.
Sis felix PRINCEPS, dediſcunt priſtina Divi
Prælia, & æternâ tranquillant ſecula pace;
Neſtoreaſque Tibi metas longævaque ſpondent
Tempora & aſſiduis claros ſucceſſibus annos.
O eat auguſtis Regalis adorea fatis,
Ignoretque favor ſummi ſegneſcere cœli.
Hæc ait, & ſuperâ velox ſeſe abdidit aulâ.

---

(16) IN
Rectoratum Academicum Excellentiſſimi & Experientiſſimi Viri

D. D. OLAI VORMII,

Medicinæ in Academia Hafnienſi Profeſſoris ordinarii. 1648.

Sceptra Camœnarum fortunatæque ſecures
Et Phœbi Regale decus, quo limina Cyrrhæ
Diſ-

Disponit, patriisque procul dominatur Athenis,
Subjacet Imperio VORMÎ, tantoque triumphat
Hospite, & assuetas habitat pomposius ædes.
Conveniunt manui fasces, quæ dextera currus
Rexerat Aonios notis aptatur habenis
Pieriumque gubernat iter, quò cardine surgat
Rectius & totas absolvat circulus artes.
Stat famulo Doctrina sinu, Dominumq; veretur
Officiosa suum, momentaque grandia rerum
Ad nutum manifestat Heri, secretaque promit
Dogmata & ex omni dispandit limine Pindum.
Hic annus Phœbæus erit & nomina fastis
Altera præscribet, Coo sub consule cœlos
Torqueat, & solitos decurrat signifer orbes
Mensuretque dies: cum summo namq; Tonante
Tempora partitur Phœbus, nec ab æthere semper
Imperii pendet majestas; & sua Musis
Sint regna ac Deli Divos quoque vestiat ostrum.
Pallados hic ordo est, non quo mundana feruntur
Jura potestatum, series ubi stemmate longo
Sceptra per innumeros transcribit avita Monarchas;
Aut ubi præcipitant deliri vota tribules,
Plebejusve favor fora perfurit, atque Senatum
Turbat & ad meritos hominum rixatur honores,
Sæpe atque indignis rerum fastigia credit.
Emeritos heic sceptra manent & grandibus annos
Æquales curis; accommoda fascibus hæc est
Palladiis ætas; quæ doctæ jurgia plebis
Crescentesque sciat bene tranquillare tumultus,
Et vitiis posuisse modum; quæ plurima caute
Dissimulet, vultuque Ducem præferre severo
Noverit atque leves pœna absolvisse reatus.
Mugiat Enceladus fornacibus excitus Ætnæ

Intentetque Jovi bellum cœloque ruinam,
Stabit & infracto ſceleratos fortiter auſus
Pectore disjiciet; trepidum tutata Tonantem
Non orbi nocuiſſe ſinet; ſic provida virtus
Militat & ſubito convelli turbine neſcit
Aut terræ expaviſſe nefas; hac laude, SCAVENI,
Exuis imperium, notæque imponitur aulæ
VORMIUS & ſeriem regni molemque prehendit
Priſcaque continuo locupletat honore decora.
Vicimus ignarum chaos exoſaſque tenebras
Diſcuſſit Phœbea dies, quæ tempora crudis
Acta prius populis Muſis & Apolline nullo
Nobis fœta ruunt; modo formidata Latinis
Deſævit virtus Cimbri, Martemque profanum
Palladiæ pepulere Deæ; qua panditur Arctos
Regna Camœnarum tranquillatoſque penates
Erexit bona ſors, admiratæque prioris
Exuviæ famæ & quæcunque antiquior ætas
Grandia poſſedit, patriis viſuntur in oris
Et Pandionias Dani æquiparamus Athenas.
Nempe ſubeſt fatis Pallas & regna tyrannis
Quæ rotat, in Muſas exit, clariamque quietem
Subruit & divis fixas negat impia ſedes.
Hæc dites quondam miſerè ſpoliavit Amyclas
Ogygidumq; domos, caroque a littore Phœbum
Expulit & profugum longe ſuper æquora miſit,
Heſperiiſque exul vix tandem conſtitit arvis.
Heic modus exſiliis, conſternatæque Sororum
Affulſit pax alta fugæ; gens aſpera bello
Artibus adſuevit placidis Phœboque magiſtro
Roma triumphato bis victrix extitit orbi
Quantum armis tantum arte potens. Sed fata
Indulſere lares, Italis vexatus in oris (nec illos
Phœbus ad Arctoi conceſſit littora Rheni,
Tranſ-

Transque Albim penetrans gelidoque sub axe rigentes
Permensus populos, nostræ novus advena Balthes
Hafniacos subiit fines, subque æthere crasso
Afflictas Deus explicuit gaudentius artes.
Heic Tymbræ regimen fingit pacataque Cyrrhæ
Otia, Cimbriacasque effert Helicona per urbes,
Et latè Aoniis partitur regna Deabus.
Heic quæ consurgit melior Claros, arte virisque
Pollet & antiquas vix mallet Phocidos arces.
Est aliquid Musas serò coluisse, sed ævum
Exæquare patrum jactataque munera priscis
Hoc opus hic labor est, sic crescunt robora Phœbo
Et Clariæ cumulantur opes, cum postera primis
Secula decertant proavosque excedere mens est.
Ista fatiscenti veniunt tum gaudia mundo,
Cum studiis mitescit ebur, grandesque tiaræ
Juge patrocinium spondent; hæc cura Tribules
Commendat FRIDERICE tuos, nunc circulus ad Te
Et famæ melioris opus magnique favoris
Devenit auspicium; Te defensore triumphet
Pallas, & assidua cumulata scientia fruge
Expiet antiquas fœcunda luce tenebras.
Qui modò Portuacis VORMI dominaris Athenis,
Quis tantum tibi credit onus? num sceptra recursans
Ordo vehat? vel sueta tui tutela favorque
SESTHEDII culmen Pindi Phœbeaque dextræ
Destinat arma tuæ dictaturamque priorem?
Sic ne sub arcano regni dum pectore molem
Disponit, satagitque suo vigilare Tonanti,
Musarum cathedras augescentisque Lycei
Cogitat auspicia, atque operosa mente volutat
Quid fasces deceat sacros Phœbique tribunal?

Aſpice quam pronis Te plebs Academica votis
Suſpicit in trabeis, Rectoratuſque Senatus
Lætior aſſurgit titulis; Te præſide nobis
Annua conſuetos relegat menſura labores
Antiquaſque vices: tum demum fœnore certo
Labitur, atque animis non faſtidita recurrit
Hora, ubi continuæ diſpellunt tædia curæ.
VORMIUS exemplo eſt, qui dum Phœbeia tractet
Fræna, atque imperiis diſpeſcat Pallada Juſtis,
Pæonios urget ritus febreſque malignas
Corpore diſturbat læſo, vicinaque letho
Firmat & inſtantem debellat fortiter urnam.
Hinc cathedræ famulata ſuæ facundia monſtrat,
Quæ caput infeſtet tabes, quæ ducat origo
Perpetuos æſtus, & qua vertigine circum
Tempora deliret morbus; quæ turba cerebrum
Pulſet, & emoto confundat cardine ſenſus.
Hinc aciem quæ vis hebetet oculiſq; profundam
Inducat noctem; quæ ſurdas obſtruat aures
Atque miniſteriis retrahat contagio priſcis.
Hinc uvas collique vias vitiumque laryngis
Explicat & totis regnat Sapientia roſtris.
Sic peccat pulmo, ſtomachique potentia læſi
Infirmata cadit, ſic inteſtina volutant
Tormina & inſanæ depaſcunt viſcera peſtes.
Sic ſævit pituita, ſed expugnare podagram
Pharmaca non poterunt vel amari potio ſucci.
Scilicet obruimur miſeri, luxataque morbis
Robora decreſcunt; non bella ciere neceſſe eſt
Ut pereas, aut ſanguineas accerſere dextras;
Quæ jugulent ipſe intus alis; & ſemina letho
Machina ſuppeditat dubiæque exordia maſſæ.
Quid cum theſaurum Muſæi divitis omnem
Excutit, & mundi ſpoliis ditata recenſet

Atria,

Atria, totius compendia cernere credes
Orbis & abſtruſi naturæ ſi qua receſſus
Omniparentis habent ævo ignorata priori.
Mirantur cathedræ numerum ſecretaq; nunquam
Viſa prius Cimbris, ſtupet admiranda Juventus
Immenſi documenta Dei; vis enthea formis
Emicat in minimis, & quæ quoque vilia, cœlum
Quo teſtentur habent; autorem turba videndo
Haurit & attonitas ducit reverentia mentes.
His teritur fœcunda dies, nec ſimplice lucro
RECTORI labor ille perit, cum limite rerum
Certat, & algentes pervadit fructus ad Arctos.
Heic mundi ſeges eſt, & formatoribus iiſdem
Culta Danûm ſoboles, varios raptatur ad uſus;
Hic ſacris adytiſque Dei dominatur, & ore
Facundo rudibus cœlos inſtillat Achivis.
Orbilii legit ille vices, gentemque tenellam
Primitias Phœbi docet, & titubantia blæſis
Vocibus effingit labra emendatque loquelas.
Hic Hippocraticis curis vacat, ægraque totis
Viribus admoto reparare Machaone diſcit.
Socraticas alter ſectas famoſaque quicquid
Stoa viros docuit ſudore exquirit anhelo.
Auſpiciis animata tuis ſic ordine fauſto
Cuncta meant, ſuaque agnoſcit modo commoda Cimber.
Ecquis enim Clarias Te regnatore ſorores
Abnuat, atq; animos ſpe multa extollere molles?
Qui propriis vivis monitis, quaſque arbiter artes
Dirigis, ipſe doces & primus juſſa capeſſis.
Hæc Procerum dudum penetrarunt acta penates;
Hinc trabeis jurata manus, quam lucis honoræ
Grande rudimentum moderandæ deſtinat aulæ,
Ad tua ſigna venit, placidiſque aſſueſcere Muſis

Optat & imbelles ſtudiis emancipat annos,
Ut ſatis indagare queat, quid conferat orbi
Pallas & effulti Phœbo meliore calores.
Imperiis VORMI bene ſit, faſceſque reducat
Sæpius & manui commendet ſceptra fideli
Juppiter, atque vices geminent pia fata beatas.
Sic quæ Rege novo tibi quartum gloria venit
Incaneſcentes decoret jactantius annos
Dumque redit, fama quoq; dexteriore regentem
Tollat & æternis tranſcribat nomina faſtis.

---

(17)

Novis Conjugibus

MATTHIÆ JOANNIS

Scribæ Sorenſi, &

DOROTHEÆ VOLFIÆ

Cœpta Conjugii auſpicia fortunet
Deus. 1648.

Qui modò fœcundos numerando condere ſoles
Sueverat, & ſcitis advigilare ſuis:
Qui poterat totis expenſa ciere tabellis,
Et memores animis expediiſſe notas;
Partibus abſiſtit ſolitis, conſuetaque neſcit
Munia, & antiquas mutat amore vices,
Æſtuat, & flammas flammis alit: ipſa calenti
Sufficit augmentum mens temerata Deo.
Quos toto repetita die laſſabat ocellos
Pagina, nunc lepidis ducit amica genis:
Quaque prius doctè verſare numiſmata dextra,
Nunc gaudet tepidos exagitare ſinus.

Oſcula

Oscula pro calamis, & pro bis mille trecentis,
Alternis numerat basia sumpta labris.
Nulla quies animo, nec cum molimina tractat
Seria, & assuetum fervidus urget onus.
Sensus abest operi: mens omnis aberrat in illos,
Quos meminit vultus, quosq; præivit amor.
Linea nulla placet, nisi Cypria, nulla litura,
Præter quæ placitum nomen amantis habet.
Sed fortè in lucro est prisci jactura rigoris,
Atque juvat mores dedidicisse suos.
Dispereant numeri, nisi quos Regina Dione
Approbat, & leges Cypria jussa premant.
Nam numerus numero Paphius caret, & sibi scri-
Non patitur leges ambitiosa Venus. (bi
Qui, quæ fecit amans, numerat, malè parcus
Præteriit largæ munera multa Deæ. (amator
Scribe jocos, transmitte sales, misceto lepores,
Et fieri quicquid læta marita cupit,
Feceris hæc toties, toties repetisse licebit;
Dissimula, non vult nosse quid ipsa dedit.
Aude aliquid Neonymphe, favet Cythereia votis
Mater, & ad placitum Cypridis aula patet.
Accepti expensique modum si noveris ante,
Nunc disces licitos quæ decuere toros;
Quæ dici sibi mandet amans, queis vocibus uxor
Pareat, & quanam basia lege petas:
Ne si crebra nimis, vilescant sumta marito,
Et facies tantis pondus abesse bonis:
Aut si rara nimis, lentescat cura maritæ,
Et careat stimulis impetus ille suis.
Hic modus expensi est, ne quid desideret uxor,
Sed peragat partes osque manusque viro.
Non hoc lineolis disposita numismata certis,
Non stylus, aut radio facta litura docet.

Utere DOROTHEÆ monitis, hac tiro magistrâ,
Maturo quæ sit vis in amore scies.
Perpetuate jocos, cum Cypris vincula nectit,
Delicias non vult delituisse suas.

---

(18)

Ad Dn. Cancellarium

CHRISTIANUM THOMÆ SEHESTED.

Hactenus inferias & plena cadavere magno
Mausolæa Ducis cecini lacerumque tribunal
Regis Hyperborei deploratosque penates,
Cum cecidit Princeps obituque exterruit isto
Saxonas & tristi convulsit funere Danos.
Nunc ausu meliore impallescentia fatis
Numina feralique obductam sindone Vatis
Sollicitabo chelyn modulisque avertere lessus
Mens erit & lepidas hortari ad metra Camœnas.
Heroasque viros & sustentantia regni
Grande patrocinium excubiisque vacantia nostri
Pectora magna soli leviore poëmate dicam.
Fas est virtutem proprii incrementa decoris
Noscere & æternis sacrata encomia fastis
Et famæ augescentis opus, dum commoda gentis
Ampliat & meritis nostrum licitatur amorem.
Quem sumes tibi Musa virum? Quis carmine cœpto
Decantandus erit? Te nostræ lusus avenæ
Argumenta cupit *Thomæ*, novoque labori
Materies oneris. Te dictatore superbit (mnem
Phœbus & ad partes Permessum convocat o-
Eve-

Evectatque melos. Phariæ Stilicona Camœnæ
Et Mæcenatem facundi Musa Maronis
Occinat & sero benefacta recenseat orbi;
Hic laudum series meritique perennior ordo
Surgit & Arctoo famulantia sensa Monarchæ
Grandius ostentant pondus, seclique prioris
Illustres pietate Duces decora ista lacessunt.
Atlantem Vatum gens mendacissima crebro
Occinat exhaustas humeris requiescere stellas
Et fessum librare polum; quæ credita stultè
Secula percellant spissis damnata tenebris
Ignarumque genus feriant: Te cernimus omnes
Augustas animis curas & pondera regni
Volvere Parrhasiique Jovis oracula cunctis
Dispensare locis. Te Dictatore Trionum
Regna reviviscunt, solitoque valentior orbis
Arcticus exoritur. modo robora prisca Leones
Arripiunt istoque animari sydere gaudent.
Ecce per exsangues juba serpit densior armos
Et prisci redeunt animi, quæ murmura quondam
Dididerant, rictu geminare potentius audent.
Utque supertensi quo vertitur orbita cœli
Spiritus immensæ miscet sese undique moli,
Astrorumque vices facit & variabile regnum.
Et Terris leges transcribit & impete multo
Suscitat effœtas vires, melioreque donat
Robore naturæ modo decrescentia puncta;
Sic tuus, ô Heros, per cuncta negotia præceps
Distrahitur Genius, nutantem roborat aulam
Atque fatiscentem sævæ ad discrimina sortis
Orchestram valuisse facit, sua commoda plebi
Servat & infracto dispensat jussa tenore.

(19) Ad Heroem

GESTRUPIUM.

Musa paludatos audens tetigisse penates
Disce verecundo cautius ore loqui.
Non libet ad tumulos Regum geminare cothur-
Aut semper grandi detonuisse metro. (nos
Gestrupio tenues poterunt placuisse Camœnæ,
Atque Phileteæ plectra remissa lyræ.
Tu modo, magne Heros, Vati aspirato canenti
Me juvet Heroum posse decora loqui
Et mutata meis jam Danis secla, nec usquam
Ingeniis fieri bella minasque sacris.

---

(20)

HANNIBAL

Navigans.

Navigat & remis festinus sauciat æquor
Hannibal, ac vitreas vocat ad spectacula
Divas.
Vos, quibus audaces amor est servare carinas
Et dubias dare nosse vias, advertite curas
Dorides ac solitos ne detrectate labores;
Quaque patent latè tremulis sulcanda profundis
Oceani senis uda domus componite fluctus,
Et placidis despumet aquis non improba Tethys,

(21)

Ad XXV. Primæ in Philosophia Laureæ Candidatos.

Regreditur cum vere Deus, tenerique Juventam
Obſervat Pæan anni, tunc inclyta Pindi
Limina & Aonias aperit pompoſius ædes,
Et titulis diſponit iter. hæc tempora Phœbi
Sunt Clariique dies, tunc oſtentare theatris
Naſcentes hederas primæque crepundia laurus,
Et libet ad palmam ferventia vota ciere.
Progredere o Phœbi cœtus, quantumq; Senatus
Pieriumque forum largitur & area Cyrrhæ,
Id titulis adpone tuis, magnumque putato
Sic potuiſſe ſacras ſibi devincire Camœnas.
Exierant Phœbuſq; parens, Clariæq; ſorores,
Et Linus, & toto celebris Permeſſide pubes,
Perque Eurotei transgreſſi littoris oras
Umbroſis ſecreta locis latebraſque petebant;
Heic ubi Pieriis ſaturæ concentibus undæ
Ingeminant docto acceptum Pæana ſuſurro,
Vicinumque nemus lauru blanditur opaca.
Jam ſol ferventes cœlo produxerat horas,
Decliviſque dies portum ſpectabat Iberum.
Frigora tunc creperi ſpondent peramœna receſ-
Tunc umbræ ſomniq; juvant, riſuſq; ſaleſq; (ſus,
Heic procul undanti ſurgentem vertice laurum
Aſpicit, & priſcos tandem reminiſcitur ignes
Dirceaſq; faces Phœbus, cum virgine primùm
Incaluit Daphne, cum poſt Pythona peremtum
Otia diſcuperet tantæque piacula cædis.

Ob-

Obstupuit, veteresque animis rediere dolores,
Sopitique diu luctus: ah, cortice, dixit,
Quanta sub hac nostri latitat occasio questus.
Ah utinam Daphne nunquam mihi visa fuisses,
Non tibi virgineos tegeret liber improbus artus,
Nec modò dequererer nostros frondescere lusus.
Daphne noster amor Daphne! Vox faucibus hæ-
Crebraque ruperuntquerulas suspiria voces. (sit,
Adstabant tristes Heliconia turba Camœnæ
Grande satellitium Phœbi, jam jamque parabant
In pariles junctim diffundere plectra querelas.
Tunc Erato, [namque hæc lacrimas solatur
amantum,]
Ulterius non passa suum mœrere magistrum
Aoniasve Deas: Tymbræ cur maxime Rector
Gaudia discutiunt vestri Parnassia luctus?
Credis ne his Daphnem jam posse revertier, aut
In vultus rediisse suos? fecere Dii quem (sic
Truncum, truncus erit. Phœbo rediviva juge-
Aspicies subitò nostras marcescere laurus, (tur,
Et sacra calcari, pretiumque abscedere Musis.
Cum tamen haud alia placeant mercede labores
Et vigiles curæ Clariæque molestia chartæ:
Quis nollet sic posse mori? mors munere lucis
Gratior ista fuit. tot jam rivalibus illa
Ambitur, doctæque petunt hinc præmia frontes.
Hi tua sunt soboles Pæan, quos innuba Daphne
Educat, & nostræ favet alma puerpera Cyrrhæ.
Vere novo tua virgo parit, cum seminat alter
Orbis, & assuetos sic intervertere cursus
Convenit, & Musis proprias decernere metas.
Quod nisi Castalio Peneia virgo Tonanti
Visa foret, formaque Deum cepisset amantem,
Fabula Parnassus fieret, nos umbra Camœnæ,

So-

Somnia Pimplei fontes, deliria Pindus,
Cynthius ipse nihil; viret, æternumq; virebit,
Quam vixit, melius Daphne, lucrosior aulæ
Pieriæ, multaque parens jam prole celebris.
Finierat. risit Phœbus, risere sorores,
Facundamq; humeris cytharam detraxit, &, o sic
Exarsisse juvat, dixit, fallique comantem
Tymbræum. Vireat Daphne, Peneia Daphne
Arbor adoratis multum ambitiosa capillis,
Erectasque trahat mentes, spoliisque decora
Emicet Aoniis soboles Pimplea, nec unquam
Serta neget Pindus, curasve recuset ephebus.

---

(22)

Ad XXVIII. Præstantissimos Juvenes Laureæ primæ Philosophicæ Candidatos. 1649.

Phœbeas laurus Sophiæq; insignia primæ (helat
Nascentesq; in honore gradus & quicquid an-
Spes animosa virûm, tenero cum vere reducit
Signifer, & Clariis partitur tempora Divis.
Jam Phœbi regimen, jam doctæ sceptra Camœnæ
Exertant cum sole caput, cum grandibus astris
Infloret labor & segnem prævertit Olympum.
Et latuisse pudet, turpes exosa tenebras
Exsilit & populis cupit innotescere virtus.
Per titulos abeunt menses, & secula verna
Pallas agit numeratque dies, dum Vesta patentes
Exserit alma sinus, picturatumque lacessit
Æthera, Palladiæ coeunt ad præmia dextræ,

At-

Atque coronatis inſerpit Flora capillis. (æſtum
Quid ſudare nocet, Juvenes? cum fregimus
Inſtat hyems, brumæ cum per momenta volutus
Sudor inardeſcens redeuntis tempus anhelat
Veris, ad antiquas exhauſta moleſtia metas
Et priſcum renovatur onus, hoc ordine fertur
Orbita, & ignaris obreptat ſerior ætas.
In lucro labor eſt, tum demum vivere ſcimus,
Cum vitæ traxiſſe gradus per pondera rerum
Creſcentesque licet numerare laboribus annos.
Exeſto terris, quem frangunt aſpera, cuncti
Naſcimur in fœnus mundi, vitæque novellum
Limen obit Natura parens, & ab æthere leges
Accipiens ipſis diſpenſat munera cunis.
Transfuga ſit, quem terret onus, ſub pondere per-
Fortis, & emenda ſortem virtute profanam. (ſta
Hic honor eſt rigido longè ſupereſſe labori,
Atque triumphatas terris oſtendere curas.
Tunc tuus eſt orbis, tunc quæ natura receſſu,
Implicat abſtruſo cupidè indaganda propinat,
Tironemque ſuum noſcens ſecreta recondit
Ætheris, & ſummi, quæ poſſidet aula Tonantis,
Imperioque tuo famulum ſubmittit Olympum.
Quid mihi pallidulas demens ignavia chartas
Objicis, & ſtudiis conſumpta crepuſcula multis,
Atque actos ſocia crebros cum Pallade ſoles;
Hæc operis laus prima mei eſt, impendere Muſis
Puncta renaſcentis ac decreſcentia lucis
Tempora, & ignavos turbare poemate ſomnos:
Cum te perpetuis religabunt fata tenebris,
Quæ venit aſſiduo mihi convectata labore
Sola ruinoſo ſapientia grandior ævo
Evolet, ac ſeros implebit laude nepotes.
Vive tui non usque memor, damnataque maſſæ
Pon-

Pondera, quæ geſtas, ignorans, nempe ſupina
Dum tu languentes componis ad otia ſenſus,
Nos antiqua virûm ſcrutamur dogmata, & ætas
Inclyta quæ ſanxit Patrum; quo concitus œſtro
Magnus Ariſtoteles Divini caſtra Platonis
Liquit, & ingenti confudit lite cathedras.
Quidnam Socraticæ dubitantia ſcita catervæ
Intortis quærant ambagibus; unde Cleanthis
Accrevit genius; queis formatoribus hauſit
Pythagoras animæ exſilium, mutataque crebrò
Hoſpitia, ac ſenſim primam ejurantia formam.
Excutimus mundi ſenium, quo ſemine crevit
Orbis, & immenſi quis fundamenta locavit
Ætheris, ac crebro ſuſpendit fornice cœlos.
Quo ſolidata modo medium ſuper aëra tellus
Conſtitit, ac nullas timet inconcuſſa ruinas.
Quid vetet aſpectu temerarier aëra noſtro:
Quem pellunt retrahuntque animæ; quis littore pontum
Cingat & infeſtos concludat carcere fluctus.
Scilicet hoc ſummis miſcet mortalia Divis
Ingenia & mentis facit incunabula prima
Agnoviſſe ſuæ, ne ſint terreſtria tanti
Ut cœlum ſpreviſſe velis; ſi concidat orbis
Mens tamen ad ſuperos redit, & diſpendia rerum
Ridet, & æterna fruitur ſpatioſius aura.
Sic veſter meruit, Juvenes, labor, inde tropæum
Erigit ad primas placido conamine metas.
Auſpiciis veniant tituli melioribus, & quæ
Cynthius ac Clarii donat cenſura Senatus
Accumulet multo Deus ipſe decora favore.
Felix veſter honos eat, & quæ laurea mittit
Præmia venturum diffundat fama per orbem.
Pergite, ſic meritis aberunt oblivia veſtris.

(23)

LAUREÆ

Viginti Clarissimorum Virorum

1649.

Scandit Apollineas plausu meliore cathedras
Gens Clariis operata sacris, Phœbiq; tiaras
Sumit, & Aoniâ palam inclamatur in aulâ.
Nymphæ noster amor Lebetrides, orsa melosque
Tollite tergeminis modulis, totoque recessu
Personet Aoniis rupes peragrata choreis.
Tuq; Hippocrenes rectos Tymbræe cothurnos
Indue, & auratâ chlamydem circumdato pallâ.
Palladiamque intende chelyn & carmina prome,
Carmina phlægræas quibus enarraveris iras.
Vestra hæc Sicelides, hæc sunt solennia Phœbi
Festivo radiata die, quô pulpita scandit
Et parat Aonia vestiri tempora lauru
Ille decus vestrum, chorus impiger, ille voluptas
Phœbe tua, abstrusis quem multum nutriit antris
Pieris, & tota Permessi laverat undâ.
Scilicet in lucro est jam deservire Camœnis,
Et Pindi leges & jussa capessere Phœbi,
Æthereo si stat meritis favisse parenti,
Atque laboratis pretium decernere curis.
Scandite, Pegasei subsellia scandite templi,
Et debellatas populis ostendite sortis
Annorumq; moras, veterisq; incommoda vitæ,
Terrarum pelagique minas, odiumque viarum
Tædiaque & quicquid prisci tulit orbita fati,
Hoc uno pensate die, victricia tandem

Signa

Signa levat virtus, calcataque frigora Rheni
In lucro numerat canescentesque nivosis
Verticibus moles & opacas nubibus alpes,
Et si quid trepidæ formidat inertia mentis.
Celsior assurgit generosi pectoris ardor,
Et cœlo vicina petit, nec suspicit infra
Exstantes scopulos, & acuta cacumine saxa
Fatorumque vices famæque exceptus habenis
Evolat & serum meritis enavigat ævum.
Nascimur exiles, & vix sua pondera mater
Senserat, ætherei cum nos orchestra senatus
Destinat auspiciis, fatumque attemperat annis
Et vitæ disponit iter, longasque futuræ
Objicit ambages & tædia mille quieti.
Obfirma mentem, cupit expugnarier æther,
Et votis aperire viam; vitæque labores
Amplior æterna cumulabit adorea laude.
Noverat hos animis pietas superesse labores,
Et tristes miserata vices, properata theatris
Invehitur superûm, & Jovis amplexata tribunal
Orat, & ætherei testatur sceptra parentis:
Ævi magne Sator, qui per commercia rerum
Nosceris & tantos aperis in imagine vultus,
An libet humanas incassum perdere curas
Et vitæ properantis iter, cur labilis ævi
Puncta per assiduas pateris decurrere turbas,
Si pretium nescit labor & vigilantia, si se
Dequeritur sterilem virtus? Gens nostra remotis
Distrahitur terris, & per discrimina mundi
Tranat ad opposito divisos orbe Britannos:
Non Rhodani properantis aquæ, non alveus in-
Eridani, non qui vicinus adæstuat urbi (gens
Romuleæ Tyberis tardabit mole ruentes,
Non freta nec scopuli, accelerant cum tramite
Phœbi Au-

Auroræque thoris, & quà ſol feſſus Ibero
Excipitur portu, poſuiſſe cubilia gaudent
Pars veteris rimatur opes & dogmata ſtoæ,
Quæ crudam rerum faciem & cunabula mundi
Confuſumque ratis diviſit legibus orbem.
Et ſtellas dedit ire polo, brevioreque gyro
Circuit Oceanum terraſque eduxit ab undis.
Hic Clarium conatur epos, Latiosque melodos
Atque cothurnatæ relegit veſtigia Romæ,
Nec patitur Muſis ſolos placuiſſe Pelasgos
Iliadumque genus; coëat famoſa Peligno
Mantua, Mœonioque ſeni ſociato Philetam,
Inveniet Boreas, quem contra ponere ſolum
Audeat, & famæ probet anteiiſſe priori.
Ludimur ô Genitor tamen & perit optima vitæ
Portio, & ad meritos ſeri revocamur honores.
Dixit, & extremis libavit baſia ſceptris.
Aſt pater orantis vultum miratus, ab alto
Fatur, & æratos jubet hoc ediſcere fuſos.
Scis Dea quam lentè feſtinet cura Tonantis,
Velle Dei ſerum eſt: ſtetit hæc ſententia menti
Firma, nec aſſvetum eſt immutatura tenorem;
Virtutis certum eſt pretium, ſed creſcere ſenſim
Aſſolet & ſpatijs ma urum acquirere robur:
Perficitur gens veſtra morâ, ſapienter olympus
Palladium texit ſophos, & ſudoribus amplis
Juſſit ad Aoniam contendere ſecula palmam.
Qui cupit arreptâ tandem inclareſcere metâ,
Duret, ab obſequijs merces cumulabitur omnis.
Quæ citò patratur, ſu itis diſpellitur auris
Gloria, & annorum non ſufficit illa ruinis:
In lucro ſpes cuique ſua eſt, ſit lubrica quamvis
Et votis incerta nimis, tamen adjicit auſis
Calcar, & intrepidè ſtimulos ſuperaddit eunti,
Nec

Nec meminisse finit, qui prævertére labores,
Fatorumque metus, aut quicquid mobile vulgus
Horret, & insanis cupit evitare querelis.
Nec mens est unquam gentis lusisse labores
Diva tuæ, sit sera licet, quam dixero, merces,
Certa erit, & justam non longa morabitur horam.
Hæc Pater, ast Pietas verbis animata Tonantis
Evolat, & festis ambit Hyperiona votis,
Spargat luce polos facilique illuminet ore,
Cum titulis sacrata dies, cum venerit ille
Circulus, & Clarijs crebrescet pompa theatris.
Ast Dominam Genius longè comitatus ovantem
Ut sensit favisse Deos, conclamat olympo:
Scandite Pegasei pars laudatissima cœtus,
Atque theatrali suspendite tempora lauru:
Non brevis est mensura lucri, dum volvitur axis
Noster, & ad priscas parat usque recurrere metas,
Palladius durabit honos, & purpura Phœbi
Dedita per longos clarescet sera nepotes.
Hæc ait, & cœptis properè se immiscuit actis.

NUPTIIS (24)

Viri Excellentissimi, Clarissimi

D. M. ERASMI VINDING,

& Præstantissimæ Virginis

MARGARETÆ FINKIÆ.

6.9

Qui pubescentem Phœbi moderarier aulam
Sueverat, & docili scribere jura gregi;
Nunc patitur leges & jussa magistra Diones,
Et priscas gaudet sic variasse vices.

Quem

Quem modò Palladiis Musæ stupuere cathedris
Verba per Ogygias devoluisse sonos;
Nunc Hecubæ damnat furias Priameiaque ausa,
Et dementatæ fata cruenta stolæ.
Nulla cothurnatæ vis est aut gratia Musæ,
Fabula nec tragicis jam placet ulla modis;
Mutatur scenæ facies, grandesque cothurnos
Vertit Acidaliis Cypria virgo jocis:
Personam sibi fingit Amor, Paphiique juventus
Regis, & antiquis legibus ire negat.
Eventum nescit Cythereia fabula tristem,
Attamen & faciles improbat illa faces.
Semper habet quoddam tragicum Venus, & sua non vult
Prostitui nimiâ commoditate bona.
Felix, ô nimium felix, Regina Dione,
Portio si scenæ cui licet esse tuæ.
Angitur atque angit, capit & captatur amator,
Et curis pretium mutua cura facit.
Tunc poterit miseris jucundior esse querela,
Anxia cum parilem sentit amica metum.
Hæc illa est merces, quâ deliramus amantes,
Qui sapuisse cupit, desipuisse cupit.
Sit dolor & luctus Paphiis succumbere regnis,
Gaudia cede Venus, & mala tanta feram:
Namque ubi sopitis desæviit aura procellis,
Tunc poterunt teneri bis placuisse sales.
Erubuit tandem VINDINGI Erycina labores
Faustaque jam cupidè flammea pandit amor.
Scena tibi torus est, heic exerceto lepores
Gaudiaque ambiguis intemerata moris.
Ludite, jam spatium lepidus circumspicit hæres;
Festinato parens, scena sat ampla patet.

TUMULUS (25)

Nobilis & Generosæ Heroinæ

SOPHIÆ BRAHE,

Illustris & Generosi Herois

OLIGERI ROSEKRANTZII

defunctæ Uxoris.

Illustres manes lamentandasque parentis (lugent
Umbras tergeminamque necem Rosekrantzia
Stemmata, fatalemque suis rediisse Decembrem
Aspiciunt, multoque annum cum funere claudi.
Crescunt morte dies, redeuntq;in pulla Calendæ
Syrmata, seclorumque ordo per busta senescit,
Partiturque ævum spatio sibi præfica justo.
Nondum sopiti lessus, non limine luctus
Excessit Procerum, cineresq; animare tepentes
Mors parat, & calidis busta ingessisse favillis.
Fœminei BRAHÆA chori generosius augmen
An tibi fata nocent & inexorabile pactum
Ferrati pensi? rumpantur corpore nervi
Et carnis compago hujus, cum fœnore lethum
Advenit, & largâ pensat mercede dolores.
Exuitur mundus, caligantesque tenebræ
Mutantur meliore die, prope cernere Jovam
Et trinum numerare Deum mens enthea gestit:
Quæque animo sperata olim volvebat anhelo,
Uberiora videt; in lucro tristia ponit
Temporaque assiduo quondam exantlata labore.
Si foret adversis cœlum mercabile certis,
Quis vitæ extendi cursum, momentaque quævis

Ingenti cumulata malo ſufferre negaret?
Æterni quam meta procul! nos limite parvo
Cogimur, atque brevi gyro deſcribitur ætas.
Illic certa quies, nullis abrupta procellis
Otia tranquilloſque dies ſpatioſius ævum
Semper habet, neſcitque immenſum tædia tem-
Horæ inſtar ſanctis eſt millenarius annus. (pus,
Hæc animo BRAHÆA tibi ſedere fideli;
Hinc terræ tam vilis amor, cœleſtia cordi
Jugiter arriſere pio. cum pallia latè
Penderent humeris & veſtri ſplendida ſexus
Veſtis, morderetque auratum fibula ſyrma,
Antiqui obverſari oculis documenta reatus,
Impuræque inſigne luis vidiſſe putabas.
Tu magnus pietatis honos, tua limina ſummi
Hoſpita tecta Dei cœlique palæſtra fuere.
Cum matutino pallerent ſydera Phœbo,
Aula replebatur cantu; cum pronus Iberam
Sol portam intratet, magnum reſonare Tonan-
tem
Mens erat, atque diem ſanctis clauſiſſe querelis.
Manibus OLIGERI bene ſit; ſuper aſtra locatus,
Quod ſperabat, habet; placidè BRAHÆA quieſcis
Et ſanctis aſſcripta choris complexibus hæres
Conjugis, & mentem neſcis ſaturare beatam.
Dum ſtellas ſuus error aget, dum littora pontum
Arctabunt, nomen veſtrum pietaſque perennet.

NÆNIÆ (26)

In obitum

Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri JOHANNIS FRISII Conſulis quondam apud Ripenſes primarii.

Occidit, & late ſpargit ſua fata, nec urnam
FRISIUS unus habet; publicus ille rogus.
Heic trabeæ, faſceſque ſacri, pullæque curules,
Et lepor, & legum non temerata fides,
Atque laboratæ cumulata negotia vitæ
Et patris & magni Conſulis acta jacent.
Quid gemis o ſoboles effœti lenta Parentis
Funera, & emeritos fata morata dies.
Hamatis ne forte putes licuiſſe Deabus
Rumpere laſſata fila voluta colo.
Vivitur ad placitum cœli, non altera lex eſt
Quæ poterit metas accelerare necis.
Hinc auguſta trahunt meliores ſemina mentes
Labuntur vitæ hoc dinumerante vices.
Hinc ſortes hinc fata domus. hinc orbita rerum
Ducitur &, ſtulti queis macerantur, opes.
Omnia diſpenſant placidi ſuffragia cœli
Et tribuunt cauta munera tanta manu.
Exegit ſtadium Genitor, quod ſanxerat æther,
Altaque propitio numine ſecla videt.
Exhauſit quicquid fati menſura faventis
Contulit, & tali ſors bene fida viro.
Nil habet infelix tumulus, nil præter inanes
Relliquias & quæ contegit oſſa ſolum.

Ille calor mentis, ſapidique in pectore ſenſus,
Et quæ rara ſacer ſpiritus intus alit,
Famaque non propriis contenta quieſcere terris
Deſpicit informi marmore velle tegi.
Obruit incautos & totos funere condit
Et penitus crudum comprimit urna genus;
Si gens non ultra præſens ſapit, & ſua neſcit
Aut decora aut quali fomite corda tument.
Innocui cineres, Divumque auctura penates
Qua demum umbra poli ſede beata viges,
Aſpice creſcentes meliori ſorte nepotes
Et toties de te nomina nata viris;
Aſpice jam tumulum violis & vere recenti
Spargit & amiſſum Neptis adorat avum;
Non ultra miſeræ ſentis diſpendia vitæ,
Aut querulos ſubito diſperiiſſe dies;
Mens olim jam pacta Deo melioribus annos
Induit auſpiciis & ſua lucra videt.
Heic ubi purpurei ignorant occumbere ſoles,
Et viget æterna pace beata quies.
Tum vixiſſe juvat, cum te ſuper aſtra locatum
Fama vehit nullo jam temeranda rogo.

---

(27) EXEQUIÆ

Illuſtris & Generoſæ Heroinæ

JUTTÆ GYLDENSTIERN,

Illuſtris & Generoſi Herois

DN. TAGONIS TOTT,

Domini de Ericksholm/
Equitis Aurati Regni Daniæ Senatoris,
& in arce Malmogienſi Præfecti
Regii piè defunctæ Uxoris.

1650. Ab-

Abripimur miseri, fatique ruentis in arma
Lis sumus, & subitæ dedita præda neci.
Nec senium cani, nec canos meta tuetur
Longior, aut juvenes spes animosa dies.
Labimur, & facili solvuntur stamina nisu,
Nec tardant fluxas vota iterata colus.
Ne tibi ne soles homo polliceare futuros,
Nec cura incertas disposuisse vices;
Vitæ quicquid agis, lethi sua bella parantis
Invidia est, jam te jam cecidisse velit.
Forsitan innocuis quodcunque inviderat annis,
Apponit fatuo tristior urna gregi.
Sancta fides non ulla tui reverentia porro
Numinis, aut sociæ post pietatis erit; (nis,
Occidimus passim, & paribus confundimur ur-
Seu gens sancta sumus, seu male sana cohors.
Nec pretium pietas, nec mens famulata Jehovæ
Invenit, aut ipsi vita probata Deo.
Ecce jacet tua fida comes, nunc portio cœli
Reddita, & è re nunc *aurea stella* cluit;
Et propior jam facta tibi miratur Olympi
Atria, & æterno templa coæva Patri.
Inde maritalis percenset gaudia vitæ,
Gaudia grandævo quæ placuere Seni.
Et si fas terras sanctis subijsse relictas,
Excubat ad thalami pervigil illa fores;
Et gemitus numerat crebros, & flere Maritum
Ægrè est, ac fatis ingemuisse suis.
Magne senex, tremulos luctu quid conficis an-
Reddita jam cœlo est *aurea stella* suo. (nos?
Forte per illunes niteant cum sydera noctes
Factaque jam damnis ditior æthra tuis,
Illa levi flammâ, vel forsan sydere toto
Amplexus repetet delitiasque suas.

Hoc eſt affini ſociaſſe cubilia cœlo,
Cum ſit ſtella poli, quæ prius uxor erat.

---

(28)

Præſtantiſſimo Juveni Viro

ELIÆ RESENIO,

Cunabula Salvatoris metricè enarranti.

1650.

Dum procul excelſi pignus venerabile cœli
Naſcitur, & proprium mater adorat onus,
Paſtoreſque ſtupent clamata bovilia tanto
Nixu, atque infantis conſcia tecta Dei;
Verſibus argumenta tuis fit prodigus æther,
Et Deus, atque ultrà ſi qua fuere poli,
Quæ vel virgo parens vidit, vel cœlica cantu
Agmina rurales edocuere caſas.
RESENI ſpes ampla tui columenque Parentis,
Non alios decuit plectra ciere modos,
Quam quibus æterni veracia ſcita Tonantis
Pandis, & afflicto pharmaca miſſa ſolo.
Cernitur in caulis miſeri ſpes anxia mundi,
Depoſitum cœli delitiumque Patris.
Facundum modò tende chelyn, fidibuſq; canoris
Incipe & Angelicis metra refunde choris;
Conveniunt caſtis Divina Poëmata Muſis,
Sic & non aliter ſe cupit æthra cani.

(29)

Viro Excellentissimo,

D.M.PETRO J. KRAGLUND,

Diœceseos Ripensis Episcopo Summa in Theologia Laurea, honorumque amplissima incrementa quam felicissimè eveniant.

1653.

Hafnia, quæ magnæ properata negotia Balthes,
Et desudantem circum commercia Mundum
Aspicis, & fessas portu meliore carinas
Lassatosque foves nautas, & lenta viarum
Tædia non uno detergis sedula lucro,
En tibi dum moritur sterili decus omne Decembri,
Præcipitemque rapit declivis signifer annum,
Et trabeas Doctis & magna vocabula Phœbus
Parturit, ac grandi conscendit pulpita plausu;
Egelidamque anni pompâ graviore senectam
Pensat, & effœtos facit inflorescere menses.
Nil ultra vulgare placet, vocalia Pallas
Atria & Aonias percellit fortiter ædes,
Abstrusosque aperit penitus Doctrina recessus.
Discite mortales, quâ surgat origine virtus,
Quos numeret proavos, magnosq; à stirpe tribules.
Scilicet hanc labor & longus proseminat usus,
Et duros tolerare sciens patientia casus.
Hos Dea natales, hos ortus mascula virtus
Novit, & infantis æquat cunabula mundi

Syderaque & ſummos contingit ſanguine cœlos.
Quid juvat inſcribi cinerum cuſtodibus urnis
Majorum titulos, unoque minora Tonante
Nomina & innumeras retro percenſere curules.
Non hoc non pretium famæ impetraverit un-
Si parcas operæ, ſi te ſocordia pigrum (quam;
Affligat terræ, ſi menti nobile deſit
Robur, & imbelles trepident ad pondera ſenſus,
Nec frater nec amicus eris virtutis, at omni
Scriberis populo proprii mala fabula ſecli.
Aſt ſi te mentis generoſior impetus urget,
Et vigilare facit, ſi juſſa magiſtra cerebri
Tota facultatum collegia juncta minorum
Accipiunt, rectique modum limenque decori
Tranſiliiſſe timent, brevior ſi portio vitæ
Fœta bonis fuerit ſtudiis, momentaque ſacris
Partitur curis prægnans menſura dierum;
Jam Therſite licet genitus patre, & tibi mammas
Pauperies ſuxiſſe dedit, te patria civem
Thule, aut exuſtus Garamantum dixerit orbis,
Scriberis famæque hæres lætabileque ipſi
Virtuti pignus, & ſi quæ poſtera mundus
Decrepitus generis venturi ſecla videbit,
Te diſcent nomenque extremum excurret in or-
bem. (cundis
Antiſtes KRAGELUNDE Pater procede ſe-
Cominus auſpiciis clariiſque oſtende theatris,
Unde ea pars oritur noſtri, quæ ſola Parentem
Æthera & altrices reputat pro matre Camœnas;
Et quæ mortales animas commercia Divis
Aſſociant, ſpondentque polo meliore locari
Hæc latet abſtruſis concluſa ſcientia venis
Mentibus inſipidis populoque ignota profano.
Hoc eſt ſcire Deum, qui ſe menſurat, & ipſe
Cun-

Cuncta ſui ſecreta videt ſibi pervia ſoli,
Indigenamque æternum habitat Deus incola lu-
Qui verbo immenſi diffuſa palatia cœli (cem.
Et tantum molitus opus, geminoque ſub axe
Juſſit inexhauſto decurrere tramite ſtellas.
Qui ſolem pleno voluit ſplendeſcere vultu
Nonque ſuis Phœbes reparari cornua flammis
Aſt infanti ignes emendicare nitore.
Et ne vaſta poli ſubjectam machina terram
Opprimeret, propriiſq; involveret æthra ruinis
Quæ mare, quæ gremio tellus ſpatioſior ambit,
Aëre ſuſpenſam tibicine fulſit eodem,
Hic medius pluvias & amicos frugibus imbres
Parturit, ac totos latè rigat ordine campos;
Et tempeſtivo languentes rore maritat.
Hunc omnes trahimus & hianti reddimus ore,
Ille indefeſſos pulmonum infrigidat æſtus,
Atque fatiſcentes reficit ſpiramine folles.
Non cerni facilis, nulli palpabilis unquam.
Naturæque tamen defectas corpore partes
Sufficit, & vacuum toto procul orbe relegat.
Jova parens ævi, cum nos deduxerit ordo
Ad vicina magis, quam te veneramur, & illa
Tam validâ fabricata manu miracula rerum.
Quæ Pater Oceanus fœcundis abdidit antris,
Et diſtincta vagis ambagibus exſerit alma
Terra parens, neſcitque ſuos numerare colonos.
Cuncta tamen ſordent projectâ vilius algâ,
Cum Patris exſculptos ſimiles ab imagine vultus
Ætherii, faciemque illam referentia cernas
Ora, atque ingenii, quas commendaveris artes,
Et memores rerum vires, & preſſa tenebris
Quæ poterit ſecreta intellexiſſe facultas.
Talia dum teneris tecum emeditaris ab annis,

Et Phœbum pariter, pariter juvenescere Musas
Aspicis, atque ingens doctrinæ accedere pondus,
Musarum clarios juvat irrupisse recessus,
Abstrusosque sinus & docta silentia Pindi
Excutere, & cunctas animis admittere Divas.
Otia damnantur quod decurtata diei
Invidet hora tibi, fœtæ fuligine noctes
Attribuunt, & adhuc vicinis fusca tenebris
Purpura, quâ primi decus interstinguitur ortus.
Illa quies animi est, doctæ impallescere chartæ
Cum licet, & multâ tibi condere Pallade soles.
Omnis & in lucro labor est, sic itur ad illud
Culmen & his emitur sacræ reverentia mitræ.

KRAGELUNDE Pater meritam modo suscipe laurum,
Quæq; tuis quondam studiis promisit Olympus
Aonij decora ampla fori; nil Pieris ultra,
Quod numerabit, habet, nil quo cumulabitur illa
Infula & æterno virtus famulata Jehovæ.
Perge ipsi vigilare Deo, quos Phocidis aula
Ignorat titulos, summi domus inclyta Patris
Conferet, atque aliâ vittabit tempora lauru.
Sis felix sospesque diu, dum sydera stabunt,
Dum maris horrescent vicini murmura Ripæ
Damnosasq; minas, nomen cum sole perennet,
Famaque postremum KRAGELUNDI enaviget ævum.

In obitum (30)

Nobilissimæ Matronæ

OLIGAARD SEHESTED
DN. NICOLAI KAAS

defunctæ uxoris

1655.

Vita quid & mors est tetricæ nisi portio sortis,
Et mors vita foret, si sine morte foret;
Nunc vitæ tibi cursus erit schola mortis, & inde
Quod vixisse velis, sit didicisse mori.
Nam tantum a letho distat, quam transigis, hora,
Quàm procul umbra tuo corpore abesse solet;
Ne canat idcirco de te mors atra triumphum,
Ancipitem vitæ fac meminisse modum.
SEHSTEDIAM petiit primâ exturbare juventâ
Et tenerum ætatis mors pepulisse decus;
Sed cui damna parat, lucro cumulatius omni
Æternis fecit luxuriare bonis;
Et vitæ dum rumpit iter, nil præter & umbram
Exuviasque leves se retulisse videt.
Vita manet, summo quæ facta æquæva Parenti
Mortis ab ætherea despicit arce minas.
Sæviat, & cunctos citet in nos Parca tumultus,
Et secet infestâ stamina pauca manu.
Vita per & lethum & per tristia jura feretri
Occupat æternos, quos habet æthra, dies.

(31) Nuptiis

VITI BERINGII & ANNÆ

Dn. Nicolai Petræi S. S. Theologiæ Professoris filiæ.

Vitus amat, vicere genæ, vicere lepores,
Artibus ô bene sit, blande Cupido, tuis,
Nec melius quicquam vestræ potuere sagittæ
Seu facis ista puer, seu facit illa parens:
Ille decus Phœbi languet, quo pectore Pallas
Conditur, ecce aliæ delituere Deæ.
Nil magnum jam plectra sciunt grandesque co-
Assuetos quondam dedidicere modos; (thurni
Nulla fides calamo, quicquid dictaverit æstus
Lætior id totum dextera prompta notat.
Ampullas solers & verba sonantia vitat,
Sola placent dici quæ velit *Anna* sibi,
Historiæque omnis scribenti invertitur ordo,
Totumque auctoris Virgo reformat opus.
Non grandes animas, non decantata Tonanti
Prælia & irati perfida bella soli.
Augustasve iras Regum, Trojamque ruentem
Materiam scripti destinat ipse sui.
Sed Jovis in Ledam furtum mentitaque Cygni
Gaudia & alternis rostra rotata labris.
Ac quoties tales laudavit Numinis astus
Fabula tota placet si modo vera foret.
Ah animis nomen quoties occurrit amicum,
Bellaque scripturus basia scribit amans.
Et placet ipse sibi, quod sic delinquere possit
Nempe aliquid gratum tam sacer error habet.

Beringi

Beringi mi *Beringi* quid ſuavius omnes
Hiſtoriæ referunt, aut numeroſa Chelys.
Hic labor, hæc virtus, hoc eſt molimen amicæ
Falleris & falli ſic potuiſſe juvat.
Sit labris decus utque ſuum mel ſtillet ab ore
Quæ te fecerunt dememinisſe tui.
Sponſa veni, quia forte tuo Pimplæa cubili
Invidet & noſtri cultior aula Dei.
Sola tenes, quicquid decima cum Pallade Muſæ
Deſcripſere novem, quodque habuere prius.
Sit mora ſit procul hinc, ſi te lenteſcere ſentit,
Quæ tibi debentur gaudia, Muſa velit.
Et tu ſponſe tuos maturè præcipe luſus,
Et voti urgeto debita penſa tui
Non modulis ultra locus eſt, cito circulus exit,
Nec tibi cunarum diſplicuere ſales.
Si meſſem ſperas, herbas ne ſperne tenellas;
Fallere cultores vix ſolet illa ſeges.

In Congreſſum (32)
Sereniſſimorum & Potentiſſimorum
Orbis Arctoi Imperatorum
FRIDERICI TERTII
Daniæ, Norvegiæ, Wandalorum, Gothorumque Regis, &c.
&
CAROLI GUSTAVI
Sveciæ, Wandalorum, Gothorumque Regis, &c.
qui Friderichsburgi factus eſt 3. 4. & 5. Mart. vertentis Anni 1658.

Gentis Hyperboreæ gemini, duo Numina, Reges
Adsunt, pande sacros Fridriciburga lares;
Et tua fac niteant meliore palatia pompa,
Sedis & augustas ingeminato vices;
Et bene dic Dominis, isti bene dicito luci
Quâ liceat tantos tam prope nosse Deos:
Quâ coëunt pax alma, salus, & mascula virtus,
Hæc verè est niveo vellere nata dies:
Alter habet titulos & amica vocabula pacis,
Nomen at alterius robur & arma sonat;
Alter pace bonus, belli virtutibus alter,
En belli & fulgor pacis & omne decus.
Enumeret toties duplices modò Roma secures,
Nil tamen augusto hoc compare majus erit.
Vive diu FRIDERICE, supersis CAROLE, vertat
In Moschum & Turcas bellicus ille tremor.
Sit diuturna quies Regi, qui nomine pacem
Nuntiat, & Cimbris otia tuta suis.
Victricem Regi portendat adorea laurum,
Quem vigor atque ipsum nomen ad arma vocat.
Armaque sic faveant paci, pax militet armis,
Dum CAROLUS sospes, dum FRIDERICUS erit.

---

(33) Ad

CAROLUM GUSTAVUM

Suecorum Regem, 1658.

Sis sospes, faustisque avibus, Gustave, venito;
Quàm sunt adventu tempora festa tuo.

Nam

Nam belli princeps modò sanctæ gaudia pacis
Ingeminas, multum & prosperior afacis,
Dum tam mitis ades, positis clementior armis,
Omnemq; Augusto discutis ore metum.
Splendidior titulis pacis, qui prælia tractas,
Sic ut nolueris quid nocuisse bonis.
Bellum erat, & nostros cumulata pericula Cim-
Et cæde & variis distinuere malis, (bros
Antiquâque ferè depulsæ sede Camœnæ,
Plorabant Clariæ damna futura domus.
Sed prohibes timuisse Deas, Phoeboque redonas
Otia, & assueto pergere more jubes.
Conjuncta hinc Musis sua templa & sacra cole-
Eusebie, veluti tempora pacis erant. (bant
Aspice quàm multo resonent delubra Tonante;
Sedulus & proprios formet Apollo lares.
Hoc opus, hæc animi est clementia, Carole, ve-
Qui facis innocuas arma fovere Deas. (stri,

---

(34)

PAX RUPTA.

1658.

Dum furit, & dubio confundit bella tumultu,
Exhaustasque urget gentes Bellona, nec ullam
Arctoi fas est partem segnescere mundi,
Jura abeunt multoque olim investita Tonante
Fœdera rumpuntur, pacis tutela decusque;
Et sceleri fas omne datur, cædesque protervè
Ingeminat mortale genus, nec tristibus ausis
Obstat, at æterni teritur reverentia cœli. (dum.
Arridet modò quodque nefas, quodcunq; nefan-
Laudatur, qui jura terit; plausumque meretur,

Qui

Qui Divos hominesque animo despectat iniquo.
Hac emitur mercede quies, atque ocia surgunt.
Et debellatam tranquillant alterasortem
Tempora, & afflictis redeunt solatia rebus.

---

(35)

VICTORIA DANORUM.

1659.

Fausta renascentes sumunt exordia lauri,
Et Danis reparatur honor, redivivaque surgit
Gloria, & antiquas pomposior explicat alas,
Audirique cupit; quà sol brevioribus horis
Angustatque diem, tacitæque silentia noctis
Ampliat, & Boreo citius devolvitur axe,
Arctoas lætis complet rumoribus urbes,
Atque triumfali tranans super æthera cornu
Buccinat, & populos decora edocet ista rigentes.
Jam didicit vinci Suecus, jam frena momordit
Ista vagabundæ perjura licentia linguæ,
Frustrantesque logi. dubiam jam vindice ferro
Liberat æthra fidem, nonque ultra sontibus ausis
Misceri patitur toties juratus Olympus.

---

(36) Ad

SCHACKIUM.

Adjicitur titulis reparata *Fionia* regni,
Fitque suo tandem grata rapina Duci.
Jamque placent artes, jam juramenta Suecorum
Atque doli, queis seu compede vincta fuit.
Ut sic ad patriæ reveniret portio corpus
Lætior, utque armis sic repetenda foret.

Non

Non ultra infesto disjungimur æquore cives,
Fraudibus aut Gothicis dissociantur agri.
Sat sceleri licuit, sic spretum vindicat æther
Numen, & adscriptum in fœdera ruptaDeum.
Macte animis SCHACKI, Te secula sera loquen-
Et tua jam Suecis nomina terror erit. (tur,

(37)

Rupti fœderis Pœna.

Exsuperat tandem justæ fiducia causæ,
Elusamque diu vindicat æthra fidem.
Sat sceleri licuit, non imposuisse Tonanti
Frustra erit, aut falsò in pacta vocare Deum.
Namque odiosa Deo est perjura licentia linguæ,
Et quæ pacta fide, verbaque mente carent.

(38)

In obitum ELISABETHÆ D. Mag. LAGONIS VELLEII

νῦν ἐν ἁγίοις defunctæ uxoris

1659.

Invidit requiem Elisæ mors atra beatam,
Et festas vetuit rumpere fila colus;
Sed dum parcarum percenset rapta labores
Jamque hoc jamque illud falce retexit opus,
Quæ prius edixit non rumpere stamina divis,
Incauta secuit præcipitata manu.
Exclamatque ferox? quid jam parsisse juvabit,
Quæ amens invidi gaudia, sponte tuli.

Ad

Ad requiem rediit Domini, nec tendere contra
Fas fuit, o requie fœmina digna poli.
Scilicet ambiguo pietas non militat ære,
Et mortis ſpernit imperioſa minas.
Erret & immenſo ſe crimine mundus onuſtet,
Plus habet hic vitii, plus habet illa Dei.

---

(39)

In obitum
JOHANNIS POUCHII
Pharmacopolæ Ripenſis.
1659.

Pouchius occubuit, communem fleto ruinam,
Et velut ad proprium plangito Napſa rogum.
Namque Machaoniæ ſpes altera concidit aulæ,
Et nutat dubio poplite quaſſa ſalus.
Quaque jacet tymbâ, cumulata ſcientia rerum
Conditur, & medica clarus in arte labor.
Et quæ mille malis totidem medicamina norat
Artificis toties cura probata manus.
Et vigor ille viri, & quæ ſæpe ſtupentibus ægris
Pro doſi centena vox medicantis erat. (quo
Cuncta tulit longæva quidem, tamen ocyor æ-
Hora, & tam miſeras nil miſerata vices.
Crudelis nimium, fatoque injuſtior ipſo
Nox, quæ nolueris hoc licuiſſe tibi.
Amodò te, Phœbe, ſolito ſine tranſiget igne,
Et proprium faciet te doluiſſe nefas.
Vos ſolæ gaudete neces, nam ſpicula veſtra
Immenſum poſt hæc funera robur habent.

HOMAGII (40)

Solemnem actum, quô

Serenissimus & Potentissimus Princeps

FRIDERICUS III.

Daniæ, Norvegiæ, Gothorum, Vandalorum Rex, &c.

Hæres Daniæ inauguratur

Ex alto fortunet Benignissimus DEUS.

1660.

REgis Hyperboreï grandescit honoribus aula,
Atque hæres patrii scribitur ipse throni;
Et titulis stabilitur ebur, cum sanguine sceptrum
Nascitur, & cunas purpura sacra decet.
Jam Regum est Reges gigni, diademata confert
Ortus, cum votis jam tacet urna suis.
Hæc sunt fastorum memori dignissima cerâ,
Hæc sunt Mœonio scribier apta Seni.
Mutatur seclorum ordo, jam ferrea Divûm
Auratâ incipiunt pensa rubere colô.
Seclaque texuntur fulvô meliora metallô,
Qualia nec Vatum fabula dives habet.
Has Saturne vices, hæc tempora Jupiter optas
Argento prudens antetulisse tuo.
Terrarum immortale decus, spes maxima cœli,
Atque salus Danis Rex FRIDERICE tuis;
Ecce tibi toto populosa palatia cœtu
Sacramenta ferunt, plebsque Patresque simul.
Non quâ lege tibi jurata dedere priora,
Dedidicit tales pompa secunda vices.

Nam

Nam mater *Regina* suo sociata *Monarchæ*
Claret, uti solo Juno Tonante minor.
Grandia circumstant Borei decora, inclyta mundi
Pignora, Regalis pignora Diva tori.
Eminet augustus *Princeps* interque *Sorores*
Agnosci gestit masculus ille decor. (mni,
Quô modô utrumque latus Tegeæi claudit alu-
Igne minax Cypris, Lunaque Fratre tumens.
Firmatur cunctis Borealis gloria Sceptri,
Portioque Hæredes tot pretiosa manet.
Non summo tam læta dies infulsit Olympo,
Nec tot cœlicolis aula repleta Iovis;
Atria cum primùm astriferæ conscenderet æthræ,
Et quateret juvenis tela trisulca Deus.
Aspice Magne Heros ferventia gaudia vulgi,
Utque ratas læto spes canat ore suas.
Jam verè in lucro est, quicquid trucis orbita fati
Peccarit, jamque id sic tolerasse juvat,
Hæredem dum Te patriæ vidisse licebit,
Sceptraque Regali perpetuata domo.
Vive diu FRIDERICE, supersit AMALIA,
Ut soboli Arctoæ consolidentur opes. (Divæ
Dum solitos Titan cursu referetur ad ortus,
Et creperum noctis Cynthia verret iter,
Non deerit regnis hæres, cum grandibus astris
Sceptriferæ finis posteritatis erit.

---

(41) NUPTIIS.

Clarissimi Viri,

D. M. LAURENTII TRANII & CHRISTINÆ CHRISTIANI.

QUid juvat ulterius populos meminisse remo-
Atque pererrati dissita regna soli? (tos,
Us-

Usque quid arrident Patavinæ gaudia terræ,
Romaque ruderibus semisepulta suis,
Nos licet illecebris natura removit ab istis,
Arctoique minus luxurientur agri;
Non exhæredes voluit tamen esse bonorum;
Invenies & quæ sunt placitura domi,
Pallada seu spectes, lauru dignabere Phœbi,
Et referes Clarii jura suprema fori.
Seu libet Idaliæ tete addixisse magistræ,
Eveniet votis pars bene serta tuis.
Tunc neque deliciis ultrà illectabere Romæ,
Nec poterunt Paduæ detinuisse sales.
Tunc animo Phœbum, tunc dedignabere Musas,
Virginibus potior tunc erit una novem.
Gallia delitiis rerum lautissima tellus,
Tuque triumphati Roma magistra soli,
Quid juvat assiduis fessos erroribus annos
Usque per ambiguas præcipitare vices?
Aut vestras peragrare domos dubiosque recessus,
Quos vel fons Rhodani vel Tyberinus obit?
Dum procul Eridani malè lentus obambulat arva
Hospes, & Hesperium sedulus urget iter,
Exierat juvenis, jam jam vergentibus annis
Miratur serus tempora cana redux.
Dumque orbem creperus vestigat in orbe viator,
Orbe caret, nec se sentit obire sibi.
Jam vigor & potior decedit portio vitæ,
Quæque solet Paphios hora decere sales.
Succedit morosa dies & ineptior ætas,
Quæ fugit Idalium seu furiata jugum.
Ludere conveniens juveni est, tunc oscula sumat,
Cum sua maturo flore juventa tumet.
Ver serit, ast æstas sata nutrit & educat arva,
Quæ legit autumnus, tarda tuetur hyems.

Ver

Ver hoc crede tuum, cum non lusisse pigebit,
Tunc tibi tunc poterit tota placere Venus,
Et Charis & quæ sunt socialis gaudia lecti,
Tunc fas est patriæ, tunc meminisse tui.
Rudera Roma suis permitte vetusta latebris,
Tuque procax fastus Gallia conde tuos; (est,
Non sunt hæc tanti, nec ob ista senescere mens
Et Boreas dotes, quas mihi donet, habet.
Hic meus orbis erit, ubi sacra jugalia Cypris
Instruat & placito det caluisse toro;
Macte pererrati, TRANI, post tædia mundi,
Nunc alios pandit Cypria mater agros,
Quales non fas est Rhodani meminisse sub ortus,
Aut Mosæ ad ripas, aut ubi Rhenus obit.
Dum Venus ad nutus tibi vernas commodat ho-
Utere propitiæ commoditatæ Deæ. (ras,
Qua juvenis spargis modò fœta novalia fruge,
Hæc erit effœto messis adulta seni.

---

(42) NUPTIIS

Illustris & Generosi Viri

JOHANNIS FRIS

Domini de Kraggerup

Et

Nobilissimæ Virginis

HEDVIGÆ MARSUIN.

Phœbe parens lucis lentas molire quadrigas,
Exspectant reducem risus amorque diem;

Ille

Ille Jocis instat, tædas parat ille jugales,
Atque maritalis gaudia mille tori.
Si potes humenti tantisper abesse cubili
Tethyos, & veteres dememinisse Jocos,
Sparge comâ meliore polos trai eataque circum
Limina purpureas ingeminato faces.
Aut si detrectas, Sponsæ exorabimus ortum,
Gratius est, tenero quod micat ore, jubar.
Phœbe licet toto frustra tibi currere cœlo,
Sufficiunt thalamis labra genæque suis;
Lectum scande FRISI, rubuerunt astra maritæ
Et lepor, & primi pronuba flamma tori
Quod Batavâ quondam docuit te Cypris in um-
Quod te Lutetiæ præmonuere scholæ. (bra,
Experiare licet, tua sacra silentia poscunt;
Et Deus & votis nox genialis adest.
Non bellatrici dehinc insudabis arenæ,
Impia nec pugnax induet arma manus.
Area lectus erit, hunc tu gladiator obibis,
Et cupies priscas dedidicisse vices,
Bellandique artes. non jam decernere ferro
Fas erit, aut tumidas ejaculare minas;
Otia poscit amor, thalamique modestia sancti,
Non pugnare docet te, sed amare Venus,
Idaliusque puer; desævit in oscula fervor
Omnis, & amplexu prælia finit amor.
Mille Joci, totidemque sales, totidemque lepores
Hæc sunt infantis tela sudesque Dei.
Scande FRISI thalamum, solitos festinat ad ortus
Phœbus, & humenti sydera turbat equo,
Jam tuus hic rivalis erit; dum tardat amator,
Gaudia nascentis anticipato tori.

(43) HONORI

Illustris & Generosi Herois

ANTONII REDZII

Domini de Bartisskow

SPONSI

Et

Nobilissimæ Virginis

ELISABETHÆ SEHESTED

SPONSÆ

Sacrum.

Altera bella cupit modò REDTZIUS, & sua Marti
Prælia & undantes tabe relinquit agros.
Non hastæ, non tela manu crispata minaci,
Sed jocus & risus delitiæque juvant;
Ista decent. hæc tela Deus cum matre Cupido
Vibrat, & alterno vulnere corda ferit.
Non pax certa Jovi, aut Gradivo à cæde calenti,
Sed bellatorem bella timere facit:
Nec tonuisse juvat, Genitor, qui fulmina torquet,
Horret ad Idalias, si volet ille, faces.
Et dulce est tamen ista pati. mihi commoda cedant
Devicto, en servum, blande Cupido, tuum.
Isti sunt in amore doli; si viceris instat
Victus, & in damnis ampla trophæa parat.
Si fugit, à tergo jam certius ille sagittas
Mittit, & urgentem fortius urget amor.
Si latet, è tenebris facibus desævit & igni,
Et lentis urit pectora læsa moris.
Et tamen ille preces ac mascula thura recusat;
Obsequiis cedit, pareat omnis amans.

Disce

Disce novas Heros artes, quas flammea dictant,
Queisque Dionei personuêre lares.
Qui nescit vinci, nec vincere surdus amator
Noverit, hac emitur Cyprius arte favor.
Cede manus victas, ELISÆ cedito jussis,
Et geniale tori devenerare sacrum.
En tuus infestas submittit ad oscula cristas
Mars, & privigni vincere bella jubet.
Jupiter & tenero blanditur sæpe Nepoti;
I nunc, & mores Sponse imitare Deûm.
En bellam, si bella cupis, Tibi sopiat arma
Uxor, & invisas temperet ore minas.
Scande Heros thalamum; quâ quondam spicula (dextrâ,
Nunc agites tepidi tubera bina sinus.
Virgo cita, non ille tuus dehinc prælia victor,
Pignora sed gestit dinumerare pater.

NUPTIIS (44)

NICOLAI VICHMANNI & CATHARINÆ PLUMIÆ

Dni Doctoris & Professoris

CLAUDII PLUMII

Filiæ.

SEnserat insolitos VICHMANNUS pectoris æstus,
Atque faces Paphias tacitosque Cupidinis astus
Ignorans, animum quis demum impelleret æ-
Languor, & assuetâ fraudaret corda quiete (grum
Cogitat, ac flammas nutritque fovetque recentes.
Nulla Machaonii secreta potentia succi, (ta
Nec medicæ vis nota herbæ, aut quæ pyxide mul-

Auratis noſcenda latet panacea lituris (ta
Exturbare valet flammato incendia corde.
Faſtidita jacet Cyrrhæi gratia montis,
Et Clariæ ſordent artes, quæ tempora Phœbo
Pœoniiſque indulta ſacris, nunc tædia læſo
Inſpectata creant cerebro; parere recuſat
Senſus, & ad vultus acies diſcedit amatos.
Sæpe characteres optata vocabula ſignant,
Quæ fervens dictavit amor, erroreque dextræ
Charta verecundæ recitat ſua vulnera menti,
Teque ultro CATHARINA notat; tum pectore crebri
Erumpunt gemitus, ſimul & rubor ora colorat
Non ſuus, ac viſo confundit nomine vultus.
Hoc dudum aſpexit Paphio de vertice Princeps
Agminis Idalii, & roſeis jactantior alis
Advolat, ac teneræ blandè libanda parenti
Ora ferens fuſuſque ſinu ſua prælia narrat;
Exertanſque arcus infit: priùs exul ab aſtris
Æthereus cedet genitor, priùs æquora noſtrum
Deſtituent patruum, me quam mea ſpicula fal-
Scis Paphiæ Regina domus, ut pectora certis (lant.
Intempeſtus agam flammis, magis impete recto
Non ferit arva poli ſumma jaculatus ab arce
Cynthius, aut Phœbe creperis evecta quadrigis.
Seu placet occultos vulgo inſpirare calores,
Sive palam libet infeſtis ſævire ſagittis, (ptro.
Cuncta meo parent, penetrant quâ ſpicula, ſce-
Excipit orſa parens, vultum ſpeculata loquentis
Subridenſque animo: Quæ tanto prælia faſtu
Eloqueris? nam ſi telo Pangæa trabali
Atque cruentatis ſuperaſſes Biſtonas armis,
Non mage pompoſo recitares bella profatu.
Tunc ille: hæc noſtra eſt victricis gloria dextræ
Ere-

Erectos domuisse animos; sine sanguine nobis
Palma venit, nisuque levi spolia ampla parantur.
VICHMAND insolito tandem vexatur ab æstu
Tiro novus, patiturque mea modò lege jugari,
Et cupit implacidas amplexu expellere curas.
Scilicet ut Paphiæ declinent fulmina matris,
Orbe procul toto fugiant, vel inhospita terræ
Et subeant refugo pallentes sole Mycenas,
Insequar & rapido trepidantes igne morabor.
Si foret aut studiis nostrum evitabile pactum
Terrarumve situ, VICHMAND nesciverat ignes;
Conceptosq; animis dudum exturbarat amores,
Ast indefesso non vincimur usque labore.
Tu verò ô veneranda parens miserator amantem,
Atque puellares ducantur sub juga sensus
Obsequioque suo doceant mansuescere curas.
PLUMIAS est, quâ sic miser æstuat, & sibi cœlos
Stare putat cupidisque moras innectere votis.
Audierat Cytherea preces & prælia nati,
Atque Cupidineis multum oblectata tropæis
Sæpius insinuat puerilibus ora labellis.
Stellantique erecta toro sua fræna capillis
Illigat, & laxas suspendit jaspide vestes:
Tum flammis onerata manus velocius, inquit:
Cessantesne iterum revocas ad castra penates (tis
PLUMIADUMQ; genus? mihi nota modestia gen-
VINSTRUPIÆ, pietasq; ac immortale celebris
Nomen avi, quo nil præstantius Hafnia vidit
Doctorum fœcunda parens. Sic dixit, & ipso
Æthere digreditur, PLUMIOQ; in limine gressus
Festinos sistit. Penetrale recessibus intus
Sese aperit crebris, sed quà discrimine parvo
Pars secreta domo patet interiore, puella
Juncta sedet matri; versatque ad munia doctas

Ingeniosa manus: campi velut aggere fœto
Lilia bina virent, huic ver maturius amplos
Indulsit laxare sinus, jam flore parenti
Excipit auroræ radios solemque recentem,
Et calidas largis refocillat odoribus horas;
Ast huic vix tenui natura puerpera rima
Disrupit tunicas, primique crepuscula Phœbi
Horret & ardentis sitientia puncta diei.
Tunc confessa Deam, sic ora potentia solvit:
Salve VINSTRUPIÆ soboles formosa parentis
Insigni prognata domo, paritura nepotes
Te dignos, quonam usque libet servilia pensa
Et teretes agitare colus? accingere mecum
Atque maritales animis præsumito leges
Non humiles passura toros: modò Pœone toto
Et Phœbi dotanda sacris; quæ commoda vitæ
Cœlibis aut sterilem sic transegisse juventam?
Exorimur cupido præda expugnanda marito
Et faciles in amore sumus; truculenta Sabinas
Virginitas decet; in lucro est jactura pudoris,
Et perit ut crebro augescant hærede penates.
Hoc sua VINSTRUPIO quondam EISENBERGIA conjux
Indulsit, materque patri; tu prisca tuorum
Fac possis exempla sequi, non omnibus annis
Ludere concessum est. Juvenis quæ pignora cunis
Parva foves tremulo mulcebunt cana parenti
Tempora, grandis avo decor & solatia matri.
Sic ait, & tepido tetigit præcordia motu.
Dumque columbinis Virgo Cythereia bigis
Cyprum regreditur Paphio stipata senatu,
Agmine prosiluit medio, perque aëra præceps
Tranat Hymen; calamosq; sciens inflare sonoros
Matris & edoctus modulos, his personat auras:
Exue

Exue Sponse metus, atque augescentia lente
Tædia, non ultrà dubiis jactabere votis,
Spem nunc portus habet, frænos CATHARINA momordit
Atque Dionæis passa est accedere regnis.
Nunc licet amplexus iterumque iterumque ciere,
Et placitos celebrare jocos. Quæ fortibus armis
Prælia perpetuo vidisti exhausta furore,
Nunc subeant, Venerique meæ sub imagine tali
Sæpe move pugnas; sint oscusa crebra sagittæ,
Nervorumque vices sinuoso brachia nexu
Exhibeant, campi pro tempestate cruenta
Esto torus, juvet hoc Paphii certamina Regis
Ingeminare modo; compensent oscula mille
Oscula mille tuis raptim libata labellis.
Sit purus, sit fœtus amor cum fœnore gentis,
Atque tenellus avi confidat PLUMIUS ulnis
Æquiparans vultus patris, simulacraque matris.
Hæc modulatus Hymen velocibus æthera pennis
Perrumpit celeratque vias, Dominæque volantes
Prætergressus aves Paphias delabitur ædes;
Moxque soporiferus procedens Vesper olympo
Cantatos thalamo Sponsos sociavit eodem.

EPIGRAMMA
AD SPONSUM.

IMplumes avium recusat auceps,
Nec curat querulos adire nidos:
Sed dolis simulac fit apta proles,
Et matris solitas relinquit ædes,
Ausa remigiis avita lustra

Metiri, tenuesque agi per auras;
Tentat insidias studetque visco
Et pedes tereti ligare nodo.
Tu matura tibi beatiore
Sponse tempora sorte consecutus
Veros nunc PLUMIÆ prehendis annos:
Nunc præstet cupido vices marito,
Quas dedit media nec ægra luce
Vati fusca suo Corinnna, sed quas
Solus scribere nesciat Poëta,
Solus audeat expetisse Sponsus.

---

(45)

ENEVALDUS PASBERGIUS

Αναγραμμ:

GENUS VALDE SUPERABIS.

Et genus & proavi & longævus sanguinis ordo,
Sunt claris veluti certa tropæa viris,
Quorum intra metas proavorum sistere virtus
Nescit, & angusto limite clausa premi.
Nam mens plena sui cœlo contermina quærit,
Sortis & invicta ridet ab arce minas.
Hæc laus terrarum dominos super æthera tollit,
Scande huc, sat poteris, si potuisse velis.
Macte animis Heros PASBERG, tibi velleris albi
Licia festivo pollice Parca trahit.
Et multo inflammans operosum stamen in auro
Tramite deducit prosperiore dies,
Incipe labentis patriæ fulcire ruinas,
Atque ægras rerum restituisse vices.
Mars pater & belli furiosa licentia frænum
Audiat, & certos discat Enyo modos.

Sic

Sic GENUS & titulos VALDE SUPERABIS avitos
Præmiaque à grata posteritate feres.

ALITER.

GENUS LAUDE SUPERA BIS.

Dum terras lustras alieno sole calentes, (notas,
PASBERGI, atque hominum scita vetusta
Et mores & multiplicis commercia linguæ,
Quicquid & egregium Gallus & Auson habet.
Te propriis Rhodanus potiorem dicit alumnis,
Teque optat Tybris progenuisse sibi.
At Boreas solus tam fausta prole superbit,
Et proprias Cimber noscere gaudet opes.
I nunc vince GENUS, SUPERA BIS LAUDE tribu-
Anteit, ignotis qui placuisse potest. (les

Ad (46)

GENEROSUM TOTT

ad exteros iter facientem.

Otia torpentes feriant, mens enthea cœlos
Tranat & abstrusi magna theatra Jovis;
Dumque alii tacito propellunt secula cursu,
Et resides annos luxus obumbrat iners.
Perpetuos haurit stimulos, atque æmula cœli
Volvitur & motu splendidiore ruit.
Valde indignatur claustra, ardescitque morando,
Et tarda immensum tempora calcar habent.
Spernit humum meliore fuga, gremiumque re-
Naturæ, & mundi gestit adire situs. (censet
Cum sole exoritur primo paribusque rotatur
Cursibus, & Phœbi lenta cubile subit.

Non illam æterno ſudans Hyperione limes,
Nec terret nimio Zona peruſta gelu.
Oleniique minæ pecoris pluvialeque ſydus,
Aut turgeſcentis flamina dira noti.
Mens inceſſa Deo ventis dominatur & undæ
Arbitrio eludens aſpera quæque ſuo.
Infractoſque odere Dii convellere ſenſus,
Et pudor eſt forti velle nocere viro.
Rumpe moras, TOTTI, faſtiditamque quietem,
Et fauſta optatas ſorte capeſſe vias.
Laxentur tandem generoſo fræna calori,
Et ſpatio greſſus liberiore ferat.
Explicet auguſtæ præſignia munera mentis,
Ingeniique amplas nobilioris opes.
Te dudum æternis exſpectat fama quadrigis,
Te toto admittit nomina tanta ſinu.
Perge, dies lentos formoſior impetus odit,
Et ruit ignavos mens generoſa lares.
Ipſe favens cœptis famulantia commodet æther
Numina, & ad nutus excubet uſque tuos.
Sive Moſam Rhenique obitus magniq; trophæa
Cæſaris, atque ingens tranſgrediaris opus,
Et Batavos venias, torrenti ſemper Ibero
Et Tarteſſiaco nomina ſacra duci.
Seu Tameſin inſano miſcentem civica fluctu
Prælia, & in proprium ſtagna refuſa caput.
Sive Ararim Rhodaniq; citum ſublegeris æquor,
Aut Sequani luſtres vaſta theatra lacus,
Sit comes, & toto veſtigia ſtipet olympo,
Proſcribatque omni fata nociva ſolo,
Rerum teque uſu multo præclarius auctum
Tranſmittat patriis Jova benignus agris!

(47)

Pro Felici in exteros abitu
Generosi Juvenis

OVENI TOTTII

Et ipsius studiis adjuncti Moderatoris
Clarissimi Viri

D. VIII BERINGII

Evergetæ & amici verè Pyladæi.

Te quoque Musarum spes & sincera, *Beringi*,
Gaudia consimili Numina lege vocant,
Atque jubent alio radiatos Sole Britannos
Visere, & extremo conscia regna polo.
Sicne exoptato privabitur hospite Sora?
Atque hoc Pierius exulet orbe lepos?
Jam pulsata silent tumido palatia plectro,
Ignorantque sacræ nobile murmur aquæ;
Antraque sublimi toties lassata Camœnâ
Et Decus & solitum dedidicere melos.
Jamque præsagâ jactaverat arbore sylvas
Sora, & vocali laverat amne caput,
Impellet frustra sitientes carmina quercus,
Mœstaque dehinc mutis proluet ora vadis.
Jam quo sopiti fregere silentia Dani,
Alterius vates post erit orbis honor.
Sed cur ista queror? cœlo parere vocanti
Quis neget, aut fatis, cum meliora ferant?
Tottius & meritis novus hæres instat avitis;
Et patri & magnis Dania debet avis.

Tot divis igitur merces placitura, *Beringi*, es;
Egregium eſt patriæ ſic meruiſſe fidem.
Ergo comes tanto princeps adjunctus alumno
Soſpes age atque pium ſuſcipe lætus onus;
Orcheſtræque ingens patriis amplectere curis
Depoſitum, & ſoli pectora nata Deo.
Seu Batavos redeas tumidos, ſedeſque canori
Barlæi & tali regna ſuperba viro;
Atque cothurnatæ mireris grandia Muſæ
Syrmata, & ingenii luxuriantis opus.
Seu juga vicinas Alpina terentia nubes
Tranſgreſſus Romæ mœnia magna ſubis;
Tota ſatellitio clareſcat ſemita cœli,
Et fluat auſpiciis orbita trita bonis.
Si tibi feſtino peragretur tramite tellus,
Inſternet vaſtos officioſa ſinus,
Sin Amphitriten Nereique invadere regna,
Cœruleaſque pares ſollicitare domus:
Manſueſcet latè placido Saturnius Heros
Æquore, & inſanas pacificabit aquas,
Caurorumque minas trabibus frænabit ahenis,
Civicaque excutiet fratribus arma feris,
Et Zephyros ad ſigna vocans melioribus auris
Æolus, & leni flamine mitis aget.
Ipſe ſerenato formoſior ore nitebit
Jupiter & triſtis victa recedet hyems.
Tu quoque Pimplæos imitatus luce lepores
Phœbe coma ſparges candidiore dies.
I comitate Diis, quibus abſentaveris oris
Beringi placidum Jova ſecundet iter.
Et reducem demum patriis indulgeat arvis
Heic ubi te votis uberiora manent.

Ad Virum Excellentissimum (48)

DN. D. CASPARUM ERASMUM BROCHMANNUM

Sielandiæ Episcopum vigilantissimum, & S. S. Theologiæ in Regia Hafniensium Academia Professorem.

Quod si doctorum laudes jurataque Phœbo
Nomina cessantes animare in carmina Vates
Suffecere prius, tanto cur tempore differs
Calliope clariis *Brochmannum* ornare coronis?
Vile putas donum, cantu levioris avenæ
Si tantum moliris opus, cum celsus abundet
Fandi opibus, totaque extet Permesside clarus.
Delectant doctos tenues aliquando Camœnæ:
Aspicis ut pleno ripas everberet alveo
Oceanus, fluviosque tamen fontesque minores
Excipit& tenui venientes murmure rivos.
Sic solet esse bonis venæ conatus amori
Pauperis atque rudi sudatum incude poëma.
At tu, qui caneris, cœptis *Brochmanne* faveto
Atque comas onerent hederæ pallentis honores.
Quid primum memorem? series immensior urget
Carminis, atq; ipsos transgressa encomia cœlos.
Natalem primum tantique *Coagia* civis
Ostentat cunas, cinerumque decora priorum
Hos infra ponit titulos & quicquid ubique
Auditur magnum. Sordet reptata Catullo
Verrona & magno sedes celebrata Marone,
Quæ dedit Arctois *Brochmannum* Patria terris,

Exſerit alta caput tantoque ſuperbit alumno,
Proficimus ſenſim Dani, priſcaſque tenebras
Exuimus meliore die, modòque inclita mundo
Lumina largiti quodcunque laceſſimus ævum.
Ergo age fama prior radiatas omine cunas
Labraque miretur, Clarium ſtillantia nectar,
Et Platonis apes, gentis decus omne prioris,
Et quicquid majus vero ambitioſa vetuſtas
Finxerat, excedit *Brochmanni* gloria noſtri.
Heic juvat æternum ſpirantes æthera voces
Et ſuadam ſtupuiſſe ſacram, cum templa ſereno
Flumine percellit, ſolideque inſtillat olympum.
Tum fœtent Platonis opes atque apta Tonanti
Dictio ſydereaſque imitantia verba loquelas.
Hic Chriſtum cœlumque ipſum ſperataque cœli
Commoda promittit, quo votis itur anhelis.
Quid cum Pieriæ ſubſellia docta paleſtræ
Informans latè facundâ voce cathedram
Perſonat, ex alto ſacrata volumina diſcunt,
Et ſenſus volupe eſt intellexiſſe profundos.
Non alio pravæ plectuntur dogmata ſectæ
Impete, cum verum calamo victrice triumphat,
Eloquiiſque Dei pudor eſt obfundere nubem.
Scilicet is labor eſt, hæc ſcandala devitare,
Naſcentique obſtare malo, ne ſumere vires,
Et vitiare gregem poſſint contagia ſanum,
Ac reprobos primum leni emendare rogatu,
Tum brevibus terrere minis, vultu inde ſevero,
Tandem in perverſos ſanctos diſtringere faſces.
Sic intemperiem membrique pericula læſi
Pæonii tractant ritus. cum pharmaca morbi
Reſpuerint quævis, ferro expugnantur acuto,
Ne mala ſi ſuperent nimium vicina fatigent.
Heic ſumat teſtam victrix prudentia laurum

Æter-

Æterno ſuffulta Deo. ſic impia gaudent
Agmina veſanis ultro depellier auſis.
Aſpicito documenta ſui quam ſplendida ſpargat
Vera fides, adytiſque una ut concordia cunctis
Imperet, unanimi tranquillans omnia nexu,
Utque triumphatum ſub tartara ſchiſma releget.
Aſpice florentes meliori ſorte palæſtras
Muſarumque domus; veris imbuta juventus
Præceptis elementa ſciunt, maturaque rerum
Pondera concipiunt animis, ævoque ſequenti
Iſta inſtillabunt ſoboli momenta futuræ.
Sic modò ſepoſitis quæ deculcantur ariſtis
Grana reconduntur fœto inſpergenda novali,
Ut matura olim ſciat inflaveſcere meſſe.
Auſpiciis *Brochmanne* tuis ſic publica dextro
Ordine vota meant, ſinceraque provenit ætas,
Ætas, quam fulvo radiantia ſecla metallo
Non vincent, quamvis multum cantata poëtis.
Pergito Magne ſenex operâq; laceſſere cœlum
Et patriæ vigilare bono, nos deſtinat ortus
His ſtudiis, vitæque jubet ſic tempora ſcindi.
Gratior ille labor, precio quem laurea nullo
Æquiparare valet, quique indignantia triſtis
Spicula livoris ſuperans ea ridet ab alto.
Hinc animi fœcunda quies atque ocia ſurgunt;
Ocia, quæ nulli poterunt æquare labores.
Ecce increbreſcunt Parcarum neſcia rumpi
Licia, Neſtoreamque parant tibi figere metam,
Atque dies ſpondent placide ſine nube ruentes.

(49) Viro Clariſſimo

D. M. CÆSONI NYSENO

Lauream Poëticam titulorumque augmentum ex animo gratulor.

SAncta Palatini creſcit cenſura ſenatus,
Nominibuſque adicit Caſtalis aula ſuis;
En ſuperinduitur Lauru, Cæsoque priores
Accumulat titulo ſplendidiore gradus.
Ipſa Magiſtralis livent inſignia Mitræ
Et proprium vellent ſat placuiſſe decus.
Sit ſtudiis NYSENE modus, nil Pieris ultra
Nil Claros aut Dirce, quod merearis, habent,
Vel ſi plura tibi volupe eſt patrare decora,
Tertia quando velis, myrtea ſerta feres.

---

(50) AD
Clariſſimum Virum

M. VITUM BERINGIUM.

SI tibi pro numeris lauros numerabit Apollo
Veneat Eurotas & Pataræus ager;
Et tibi ſi totidem formabunt ſerta Camœnæ,
Cyrrha gemat nudos deſpoliata ſinus.
Pro lauro titulos, pro ſertis grandia ſpondent
Nomina & Aoniæ lauta decora domus.
Quid facies? non fas ſpoliari culmina Pindi,
Sedibus aut pelli Numina priſca ſuis.
Quantum erit, in Claria tibi quod debebitur aula,
Si modò quod ſolvat, vix habet illa ſatis.

Aliud.

Aliud.

VItus amat Musas, & ab illis *Vitus* amatur,
Virginibusque potest ille sat esse novem.
Qui tantum Nympha delirat amator in una
Sæpe gemit flammas incaluisse nimis.
Uritur & tantos superat *Beringius* æstus,
Et poterit plures demeruisse Deas;
At vos Pierides date gaudia plena marito,
Aut decimæ incipiet mox locus esse faci.

AD (51)

Clarissimum Virum

D. M. SEV: BENTZONIUM.

Scandit Apollineæ cathedras *Bentzonius* aulæ,
Palladiique refert jura decusque fori.
Sparge Camœna rosas, & nectito tempora lauru,
Et frenat cupidas Purpura sacra comas,
Atque triumphali digitus resplendeat auro,
Et variet pretiis sardonychata manus,
Iste laboriferos absolvet terminus annos,
Et fati quicquid hora severa tulit.
Phœbe parens Tymbræ, carè tua gloria venit,
Et vix sunt tantis æqua brabia malis.
Quod non *Mosa* tuæ, non contulit *Adria* laudi
Non Schola *Lutetiæ*, non *Patavina* Claros;
Hoc valet Aoniis exsolvere festa triumphis
Hafnia, & Europæ sustinuisse vices.
Tu licet ingratum meritò incusaveris orbem,
Absolvisse reum, quæ valet, Arctos erit.

(52)

(52) Ad

Reverendum & Doctissimum Virum

D. ERHARDUM JOHANNIS

Parochiarum Øretofft &c. pastorem, cum sacris initiaretur.

Perpetuos tandem rumpit fortuna labores
Atque graves pensat spes opulenta moras.
Tædia tempus habet seriesque operosa dierum,
Fortiaque assiduum pectora lassat onus.
Fer modo! nam ponet tumidas insania cristas
Et vanas finget turba severa minas.
Obfirma vires, animus sit nolle moveri,
Difficiles aperit semita prima vias.
Post timidos patulo deducet tramite gressus,
Tu modò cede homini, si graviora jubet.
Obsequio vinces. tonitru qui concutit orbem
Jupiter, emisso fulmine lentus agit.
Mugiat Enceladus, trepido malè tutus olympo
Horret. sic summus, quod timet, axis habet.
Proximus ille Deis, quem non deliria frangunt,
Atque supercilio frons caperata gravi.
Vincere si poteris, festâ incingére coronâ
Namque gravi constat grande labore decus.
Sollicitas tandem damnas ERHARDE querelas
Et quinquennali tædia fessa jugo,
Invidaque exsuperas placidâ fastidia mente
Et tetrici rides tela retusa Jovis.
Ad meliora veni titulosque assume paternos,
Jam capiti dabitur infula sancta tuo.
Atque humeris amplo descendit syrmate vestis,
Vestis honoratos sueta decere viros.

Ipsa

Ipsa patent aditu Divina palatia toto,
Atque in devota plebs statione manet.
Augustas invade domus, sedesque Tonantis,
Et novus insolitis Mysta operare sacris.
Aggreditor cœtus meliori lege docendos,
Et sacra jam doctâ voce cathedra sonet.
Absint infidæ procul impia dogmata sectæ;
Instilletque ipsum suada beata Deum.
Grex Helicona bibat, qui de fundamine templi
Prosilit undosis luxuriosus aquis,
Quæ monuisse libet, vita monstrato magistra:
Plus exempla valent, quàm sine mente sonus.
Auspiciis surgant faustis exordia tanti
Muneris, & studium prosperet omne Deus.
Perge placere bonis, populumq; animare fidelem.
Judice sic referes digna brabia polo.

In obitum (53)

HELENÆ

Cujusdam.

Insanit Libitina ferox, fragilique senectæ
Invidet, & fessas citat absolvisse sorores
Et pensi emorientis opus, HELENAMQUE feretro
Destinat, & tantos cupit incestare penates.
Sed facto dolet ipsa suo, quia præter inanes
Relliquias, tantique umbram memorare reatus
Nil malesana potest. fatis supereminet ingens
Nomen, & innumeris diffusa tribulibus errant
Stemmata, transabiitq; polos fama illa nepotum.
Non mors hoc vere est, sed certa infamia mortis,
Exsolvisse volentem animam, cupidumq; quietis
Corpus, & emeritis bene consuluisse diebus.
Quære alios Manes, ô cæca potentia lethi,

Nil

Nil hic quod jactabis habes, quid ſarcina prodeſt
Corporis & crebris compago exhauſta procellis?
Mens ſuffulta Deo fato dominatur & urnæ
Deſpectatque minas & inexorabile penſum.
O Cæcæ mentes hominum! quid tempora vitæ
Annorumque moras vice menſurare dierum
Profuerit, ſoloſque ſenes celebrare beatos?
Vive tibi viveſque diu, ſi ſenſeris ævi
Supremam accelerare fugam, ſecurus obibis.
Non vitæ modulus ſenium facit; excute Patrum
Tempora & infanti contermina ſecula mundo,
Jam tibi decrepitus puer eſt, modicumq; videtur
Quantumcunque tuis adjecerit hora diebus.
Utere præſenti ſpatio, tibi ſerviat ætas
Tota ſciatque ſuos rediens aurora labores,
Atque laboratas operoſa crepuſcula luces
Excipiant, fugiatque ſuas induſtria metas.
Hæc ea canities eſt, quam moroſa ſenectæ
Portio & effœtum non unquam indulſerit ævum.
Et laudi eſt vixiſſe diu, fatiſque nepotum
Oblectare moras annorum orbemque minorum
Cernere & emeritos trudentia ſecula Patres.

---

(54) TORUS

VULCANI ET VENERIS.

Vulcani thalamos claudique incendia Fabri
Quæ dudum regnant, ferrea ſecla vident,
In luſus labor omnis abit, modo forpice trita
Dextera mammarum collibus inſtat ovans.
Oſcula delibant fuſcata nigredine labra,
Et nitidas radit lurida palma genas.
Torvum oculi radiant, ſcintillanteſque favillas
Aſpectu referunt orbis uterque truci.

(55)

IN BRASICAM (55)

BERINGI.

Læta ſub umbroſis Soranæ collibus oræ
Virgineo floret *braſica* nata ſatu
Molle augeſcenti minitatur vertice cœlo;
Et brumam ſpondet mitior umbra brevem.
Naſcentes avidis radios Hyperionis ambit
Crinibus & patulo combibit ore Jovem.
Et quà ſupremo diſtenditur area gyro
Surgit & erecto ſtipite ſpernit humum;
Creſcenteſque ſimul deſpectat celſior herbas
Vicino veluti dux foret alter agro.
Attamen ima ligat rupes, ſcopuloque tenetur
Radix & trunco tendine lambit humum.
Et quod mireris crudeli ſaucius ictu
Creſcit & exitio nobilitatur honos.
Sic homini telo rumpuntur ſumma trabali,
Pectora & extremo ſpiritus ore natat:
Aſt ubi Pœoniis côierunt vulnera ſuccis
Pallida reſtaurat priſtinus ora color.
Hanc tibi perpetuo Venus aurea rore *Beringi*
Educat & gremio Naïs amœna fovet.
Non illam calido latravit ſirius aſtro,
Nec læſit gelidis nox inimica rotis.
Sed tibi formoſo viridantem germine frontem
Explicat & dulci diſtrahit arte comas.
Dicito naturæ ſpeculatrix turba profundæ
Quo tanta occulto gratia fonte ruat?
Cum neque deſectos terræ per viſcera nervos
Spargat, nec capitis ſit bene ſartus apex:
An ſic gramineo Floræ ſuccreſcat in antro,
Inſolitumque decus fœta propinet humus?

An

An ſtimulis afflata viri incrementa recuſet
Segnia & ignavum lenta ferire ſolum?
Grandeſcit præcox, cafuſque imitata futuros
Splendida multijugo fata lepore notat.
Naturam prævertit herus, genioque *Beringi*
Pluſquam cognato *braſica* rore tumet.

---

(56) IN CONCHYLIA

Experientiſſimi Viri D. D. LUDOVICI POUCHII.

Concharum facies, deſpumantiſque profundi
Exuviæ, patulo quas vomit ore ſalum,
Naturæ parientis opus geniumque loquuntur
Quæque latet toto vis ſpatioſa ſinu.
Eſt Deus in minimis, & res, quæ vilior alga eſt,
Magna creatoris ſigna potentis habet.
Non opus eſt cœlos tibi menſurare patentes
Aſtraque veloci præcipitata gradu.
Grande poteſtatis ut demirere ſupremæ
Robur & immenſâ facta decora manu.
Æquoreas ſcrutare domus, te littore toto
Sparſa docet fœdo concha ſepulta luto.

---

(57)

GRATIARUM ACTIO

pro honoribus Magiſterii. 1647.

Muſarum trabeas ævoque ignota priori
Præmia Pieridum cernunt geminata mino- (res,
Et tantum creviſſe ſtupent; nunc tempora virtus
Signat & ad laurus metitur Apollinis annos.

Grande

Grande ſui pretium quondam mercede carebat
Ævo culta rudi virtus, cum crimine nondum
Liquerat exoſas Divorum factio terras.
Namque Deis homines intellexere magiſtris,
Gloria quæ ſummi cultu inclareſcere cœli;
Sed poſtquam nitido fluxerunt penſa metallo
Exhauſta meliore colo, tum ſerpere ſenſim
Cœpit & ignavum corrupit inertia vulgus.
Artibus & ſtudiis ſanis indicere bella
Pulchrum erat, & ſanctas pedibus triviſſe Camœ-
Atque ipſi inſultare polo, dignumq; brabeo (nas
Crimen habebatur atque ignorantia recti.
Angebat tum cura Deos, quo ſecula pacto
Emendanda forent, ut deſpectata Tonantis
Majeſtas ſpretumque inſtauraretur honeſtum;
Ac tandem priſcæ revocavit adorea mentis
Robora ſpe pretii. Laudiſque cupidine parvæ
Accenſi didicere Deos didicere decorum
Et laudi fuit eſſe bonum, ſed ſera Camœnis
Gratia & oppreſſis venit reverentia Muſis.
Jamque ſuis pretium ſtudiis invenerat augur
Phœbus, & auguſto reſerati tramite colles
Pierii Secretarum myſteria rerum,
Abſtruſaſque vices vulgoque incognita pleno
Gentibus indulſere ſinu; tunc impete multo
Certatum eſt, cui doctrinæ concederet omnis
Gloria & æternum frondentis copia lauri.
Pugnabant Peluſiaci gens æmula Grajis
Et rerum ſublimis apex, dum Marte potenti
Roma triumfato leges tranſcriberet orbi;
Pone ſequebatur flavo Germania vultu; (dam,
Atq; artes edocta bonas, verum horrida quon-
Cimbria tunc parili cupiens decorarier auſu.
His animus cœli fuit atria ſumma ſubire,

Ut

Ut Jovis arbitrio sisti contentio posset.
Ut primos tetigere lares, fulgentia latè
Culmina & abstrusi patuere arcana recessus.
Illæ intromissæ prope stellantique locatum
Æthereum solio patrem, turbamque minorem
Aspiciunt trepidantque simul, tunc protinus omnem
Cur veniant causam submissa voce recensent,
Ægyptusque prius septeno gurgite frontem
Irrorata insit: non divitis ostia Nili
Jam celebrare libet pluviique ignara liquoris
Indigenis semper contenta rigarier undis
Tempe, aut latrati conspectum Numen Anubis,
Sive quod immenso fuimus velut horrea mundo
Sudatasque meo transmisi vomere messes,
Gentibus atque sibi post seposuere Quirites,
Qua Pelusiaci cumulantur fruge Coloni;
Laus agitur major vestroque affinia Cœlo
Præmia. Scis pater ipse Deûm quàm nobile quondam
Barbara Memphis erat Clariis penetrale Deabus.
Prima vagabundas incerto tramite stellas
Astrorumque vias didici, quo turbine cœlum
Volvitur & quali defectu luna laboret,
Quæq; jubet magnum causa impallescere solem,
Atque poli secreta hausi; mea regna palæstra
Orbis erant, tyroque ipsis mihi venit Athenis.
Pythagoram testor Grajis qui prætulit oris
Ægypti novisse situs & florida tempe
Nilique errores nostrique stupenda Canopi
Dogmata, quæ sanxit sapientia prisca virorum.
Quid? Platonis apes stolidè sua Græcia credat.
Ast explesse viri studium curasque sciendi
Socraticæ nequiit exundantissima mentis
Facul-

Facultas, atque æqua ipsis prudentia divis:
Sed nostræ scrutatus opes arcanaque gentis
Perculit Ogygias facundis vocibus aures,
Ingeniis certare libet, cunabula vatis
Lustrabam Pharii, magni qui busta parentis
Et geminos cecinit fratres Stiliconaque fortem.
Cujus in effigie placuit sibi Cæsar ahena.
Hic magni æquiparare sonos affectat Homeri
Ascræique senis tumidæ duo lumina Dirces
Atque Cothurnati carmen sublime Maronis.
Et cum Pyramidum stupeant miracula cuncti
Bibliotheca mei magis admiranda Tyranni est,
Cujus tanta fuit selectæ copia chartæ (chas.
Littore quot rubro numerat niger accola con-
Jamque lacessitæ fervebant pectora bile
Hellados indignata suæ dispendia laudis,
Ipsaque supremi solium venerata parentis
Incipit: haud miror sua Mausolæa procacem
Ægyptum laudasse minus, monumenta pudendo
Ædificata lucro & putidi patrimonia scorti.
Qualia non unquam vidit ludibria Græcus.
Sed mea Pieriis tentari sæpius antris
Laus fuit & causas rerum indagare latentes,
Semine quo mundus crevit, cur terra pependit,
Atque velut gremio nos ambiat Amphitrite,
Cur amat excelsa quodvis leve sede locari,
Cur grave descendat, pluvias quæ ducat origo.
Et mundi transgressa situs, quid noscitur ultra
Scire mihi libuit, sedesque ingressa perennes
Spirituum genus & terrenæ nescia molis
Corpora naturamque omnem speculata Deorum
Institui rerum generales discere formas.
Hinc digressa solum quibus oppida quæq; statutis
Quaque via mores bene formarentur honesti,
Mon-

Monstrabam legumque parens vitæq; magistra.
Si quoque post linguis quid honoris habebitur unquam
Græca viget vivetque diu, dum nosse minores
Natales cupiunt terræ. at Memphitica primas
Occidit ad metas damnata perennibus umbris.
Nempe tot ingenuis effloruit artibus Hellas
Quot numerat Memphis tumidi vada cœrula Ni-
An fraudi nobis erit invisisse remota (li;
Orbis & assiduo fuscatas sydere gentes,
Atque quid antiquos docuit Divinus Osiris
Quid magni sua scita ferant tumidique tiaræ
Arsacidum, atq; peregrinus quali indole Phœbus
Percepisse simul. mundi excutienda theatra,
Ut mundum docuisse queam. quid limite quoquam,
Auditur doctum non Grajis fontibus haustum?
Ingeniis certare nego, quia secula norint (rorum
Quàm dederim populis multum admiranda vi-
Dogmata & æterno possessas æthere mentes.
Assensum meruit facunda modestia vocis
Græcia magna tuæ. Parcè tum Roma Quiritum
Percensere decus cepit. quàm florida quondam
Itala terra fuit, pariter cum fortibus armis
Et Musis punctum omne tulit. Sed sponte fateri
Argivis multum se præceptoribus usam.
Argis se studia & legum advectasse vetusta
Momenta & patriæ quicquid foret utile terræ.
Sed si certamen sit, qua tellure Camœnæ
Floruerint melius vigeantq;, haud ultima nobis
Gloria debetur. quia quæ præeuntibus illis
Hausimus immensum nos auximus indole divâ.
Et velut est cunctis celebris facundia linguæ
Atticæ, & Ausonio pretium non defuit ori;
Nam-

Namque prius nostris assuescit vocibus uti, (vos
Quàm proprias norit puer. En vos Teutonas, &
Testor ego Cimbros, quanta ambitione latinè
Posse loqui petitur. Quæ condita pagina Græcis
Quondam habuit, nostrâ dialecto exposta legun-
tur.
Romulea quidnam memorem clarissima gentis
Lumina? cumque suis exsultet Græcia doctis,
Et vidit celebres, & adhuc videt Ausonas orbis.
Adde quod & Grajis depulsus sedibus exul
Possidet Ausonias multa cum pace Cathedras
Phœbus, & antiquis Tybrim præponit Athenis.
Si superare tuas haud fas est Græcia laudes,
At saltem æquiparare licet. hac sistere meta
Me juvet & placidè nutum exspectare Tonantis.
Hinc causam meditata suam Germania gestit
Audiri. propriisque timet frustrarier orsis
Cimbria. namque illis paria enumerare para-
tum est
Hesperiæ studiisque simul & honoribus amplis
Ordinis Aonii. heic soboli noscenda futuræ
Magnifico passim cudi monumenta paratu.
Hinc famulata Deo multum, admirataque terris
Pectora & ætatum decus antegressa priorum
Largo provenere satu. sed nobile linguæ
Delitium Latiæ & gentes adamare profanas.
Tum pater æthereâ non altùm sede levatus
Sic infit: pugnas retro per secula vidi
Atque cruentatos hostili sanguine campos,
Hectoreas acies lentumque ad Mœnia Trojæ
Argos, cum incautas blandè populatus Amyclas
Idæus capta frueretur conjuge Pastor.
Et memini Alcidæ monstrosa pericula nostri,
Geryonem cæsum, lernæque exhausta venena,

Ut quoque ſubjecit laſſato tergora mundo.
Nunc alius populis animus mutataque mens eſt:
Artibus ingenuis ſibi mutua bella movere
Inſtituunt homines, paſſim tua laurea Phœbe
Nunc agitur, captantque tuas Parnaſſe coronas.
Non unquam tanto quæſita eſt civica quercus
Impete, quàm Clariis jam cingi tempora ſertis.
Manſurum juro & nunquam mutabile verum,
Si quæ indefeſſo laus eſt ſudore parata
Temporis intentata ſitu cum ſole perennet.
Dum mare Neptuno parebit & aſtra Tonanti,
Stellarum dicetur iter Memphitica tellus
Monſtraſſe & gentes cœlos docuiſſe patentes,
Barbara ſit quamvis vati appellata Latino.
Tum demum meritis venient oblivia veſtris,
Græcia, cum primos revocabitur orbis ad ortus,
Græcia ſemideis habitata Heroibus olim
Et doctis celebrata viris, te Turcica quamvis
Nunc premat atque truci vexet tortore poteſtas.
Rerum nempe vices & inexoranda ſororum
Stamina ſic ſuadent, nec fas eſt tendere contra.
Aſt Italo longum certet cum Teutone Cimber,
Et decora ampla ferant. furias non inter & arma
Abſtrahitur muſis Auſon; nec Marte propinquo
Terretur Teuto. ſolantur bella Camœnæ
Hoſtileſque juvat fidibus ceciniſſe ruinas.
At tu terrarum non ultima portio mundi,
Dania, felici vernet tibi ſydere Pallas,
Utque Gigantæo viguiſti robore quondam,
Sic modò Pieriis laus eſt clareſcere ſacris.
Eſt aliquid demum cœpiſſe, at vincere priſcos
Grandis honor multumque ſequens mirabitur æ-
Doctorum tibi larga ſeges & præmia tantis (tas.
Digna auſis, modò perge tuis penſare labores.
Eſt

Eſt odio virtus ſterilis, ſed gloria famæ (dit.
Calcar habet ſtimulumq; humanis mentibus ad-
Secula per faſtos malè ſegneſcentibus olim
Tranſierant, cum vere novo Parnaſſia lætè
Exilit & doctis inveſtit tempora laurus.
Hoc tibi perpetuum decurrant ordine menſes.
Sic ait & pondus dedit immutabile verbis.
Summe Deus noſtriq; parens & ſanguinis autor
Sint accepta tuis labiorum ſoſtra piorum
Auribus, atque preces ne dedignere calentes,
Nos de maternæ latebris ſquallentibus alvi
Robore traxiſti valido cumque uberis hauſtu
Imbibere æterni feciſti ſemina verbi.
Tu nos obſcuros cunctiſque ignobile vulgus
Gentibus ad majora vocas & honoribus auges.
O Rerum ſublimis Apex, præconia tantas
Sæpius ingeminata vices ſuperare fatemur.
Simus nos tua turba Deus. nec pectore nobis
Excidat incautis benefacti gratia ſummi.
Gentis Hyperboreæ Rector patriæq; labantis
Speſque ſaluſq; tuæ CHRISTIANE Ducum optime Princeps.
Tum tua facta loqui venturus deſinet orbis
Cum neget oppoſita fratris ſplendeſcere luce
Cynthia & acceptos ingrata remiſerit ignes.
Tu veræ pietatis amans, tua cura Jehovæ
Eſt audire Cliens, quæ dextrè ſceptra vibraſti
Stant ſolidata Deo & pietate effulta perenni,
Te duce relligionis amor crebreſcere cœpit,
Arctoiſque excepta oris tua poſſidet arva
Late, atque inſano corrumpi dogmate neſcit;
Te tenor oblectat recti; rigiduſque ſatelles
Juſtitiæ ſervaſque æquum pravumque coërces.
Tu Clariis amor es Divis, tibi temperat altam

Augur Apollo Chelyn. pretio tibi prævalet omni
Ingenuas coluisse artes, tu præmia doctis
Instituis, multâ fervent Academica plebe
Limina, musarumque decus jactantius extat.
Nobile depositum terræ, dum Balthica Cimbros
Lambent stagna tuos, rerum te fama manebit.
Fortunate senex senium lucrabere firmum
Descendentque diu plenis tibi licia pensis.
Grande meum *Thomæ* decus, columenq; Lycei
Hafniaci, quis digna tuis encomia curis
Percensere valet? secreti tu arbiter omnis
Es regni, tantaque fide sese æstimat alma
Patria, metiturque tuo sua commoda nutu.
Scilicet excubiis vigilant tua lumina regni,
Et rerum spectata salus tibi creditur uni.
Ac licet arbitrio stamus cadimusque Jehovæ
Sunt tamen & vestro sopita duella labore,
Paxque fatigatis dominatur florida Cimbris.
Tu Musis das posse loqui. mihi siste Maronem
Jam Mecænatem fugiet. tua gratia Vatem
Sublevat, exhaustumq; benigno temperat œstro.
Vive tuis patriæque simul. sis omine felix
Consiliisque potens. te discet nubilus Afer
Quique bibit celerem Rhodanum atque accola Rheni.
Sera sit illa dies, qua te cognata requirant
Sydera, *Sestediumque* suus desideret orbis.
Qui modò Palladias moderaris Rector habenas
Cimbriacæ, *Bangi*, magnum decus addite famæ,
Te juvat æthereo monumenta recondita flatu
Quæque ipsi quondam fuit usurpata Tonanti
Dictio scrutari, Latiisque illapsus Athenis
Emendas veteris mendosa emblemata Musæ.
Esto diu sospes teneræque merere juventæ:
Ista

Iſta ſecuturis ſcribetur gloria faſtis. (cantem.
Quo me cunq; vocat Jehovah ſequar uſq; vo-
Seu placet Eoos me tranſportare ſub ortus,
Seu mandet ſolis luſtrare cubilia, Gades,
Me tuus urget amor meritiſque obnoxia tantis
Mens *Spormanne* tuis: amplæ nos ſiſtimur urbi
Auſpicioque tuo mactamur honoribus amplis.
Mella tibi *Spormanne* fluant, et ſæpius iſtud
Deſtinet officium tibi plenis curia votis.
Voſque *Profeſſores* Patriæ clariſſima noſtræ
Lumina, qui rudibus nos edocuiſtis ab annis,
Ut Clariæ poſſet ſperari inſignecoronæ,
Et modò collato multum applauſiſtis honori,
Merces veſtra Deus defendat noxia vobis
Tempora & effœtum placidè traducat ad ævum.
Hoſpitibus bene ſit, mentis quos traxit amicæ
Impetus, & noſtri ſpectacula læta decoris:
Semper eant vobis felici ſecula curſu,
Veſtriſque aſpiret conatibus uſque Jehova.
Magne Parens ævi, nunc te mea Muſa fatigat:
Sis Danis bonus uſque tuis. Academica multo
Limina proventu vigeant, & honoribus iſtis
Sæpius inſignes ſtudiis decorare laborent.
Fac clemens, titulis cum nos laudemur ab iſtis,
Æthereis animos humiles advertere caſtris
Et ſertis inhiare tuis. non vera corona eſt
Iſta. licet rutilas æquemus vertice ſtellas, (jus
Maſſa tamen peritura ſumus, cum rumpitur hu-
Machina corporeæ molis, ſimul occidit omnis
Gloria & inviſo nos condit ceſpite tellus.
Noſter honor ſit, Chriſte, tuos cenſerier inter,
Et tandem æternæ ſortiri commoda vitæ.

(58)

ECLOGA.

Damonis questus odioque exercita multo
Pectora respiciant, si quæ sunt Numina cœlo,
Si qua Diis pietas, miseros quæ curet amantes.
Musa refer gemitus Vatis, tibi commodat aures
Jupiter, & quas fers, subscribit vocibus ultro.
Nascere, prævenienſq; diem tua lumina tolle
Lucifer, indigno dum captus *Phyllidis* igne
Eloquar, & divos, quæ sum modò tristia passus,
Edoceam, quia nil profeci testibus illis.
Incipe, non aliud tibi, fistula, convenit œstrum.
Vos coryli testes, nemorumque silentia nostri
Conscia mœroris, quoties maduere profusis
Hi lacrimis oculi, quoties mihi turbida jugi
Pectora singultu, dum sic contemnar iniquæ
Phyllidi, & exosus modulabor flebile carmen.
Incipe, non aliud tibi, fistula, convenit œstrum.
Mopsum Phyllis amat (gryphas modò junge caballis)
Est odio *Damon*, & amatæ cantus avenæ,
Formosumque pecus, & molles ruris honores.
Spargito *Mopse* nuces; jam *Phillida* solus habebis.
Incipe, non aliud tibi, fistula, convenit œstrum.
His primum in sylvis humilem te, *Phylli*, puellam
Cognovi facilemque viris, cum corpore toto
Langueres, febrisque jecur torreret anhela.
Tunc mollis, tunc apta joco; nunc tigride fœtâ
Sævior, instabilisque magis manantibus undis.
Incipe, non aliud tibi, fistula, convenit œstrum.
Ach quoties & quæ nobiscum, *Phylli*, locuta es
Cum nemorum secreta gravi successimus æstu:
Sæpe aurasjussi Divis hæc ferre beatis.

Tunc

Tunc *Damon* tua cura fuit, tunc unicus ardor,
Tunc Jove ſupremo potior; nunc pectore ceſſit
Exul, & ingratæ queritur faſtidia mentis.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Fœmineum crudele genus, cui pectora triplex
Inveſtit rupes ferrique aſperrimus horror:
Odit, amat, pellit, revocat, faſtidit, anhelat,
Triſtis, amica, ferox, mitis, inflata, benigna,
Sic verſat miſeros, miſeros ſic vexat amantes.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Quænam, *Phylli*, tuos animos ſententia vertit?
Quis mentem error habet? quæ mitto munera ſordent,
Reſpuis amplexus, ſunt ſurdæ vocibus aures.
At *Mopſo* te ſponte offers, gremioque receptum
Blanditiis mulces & libas oſcula furtim.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Nunc ſcio quid ſit amor, puer eſt ſed luminis expers,
Surdus, mentis inops, multum ſtillantia virus
Tela gerens, arcu cœcos inſpirat amores,
Auribus imponit, tollitque è cardine mentem,
Nec quid ſit quod amat, patitur perpendere quenquam.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Ruſticus es, ſylvaſque ſapis, tibi agreſtia cordi,
Damon, ampullas neſcis magnumque tonare.
Mopſus in urbe ſatus, magnique è Præſidis aula
Digreſſus, ſpiratque Jovem fulmenque minatur.
Hoc placet, hoc animo *Phyllis* complectitur omni.
Grande crepet *Mopſus*, vitæ traducat honeſtæ
Me mea ſimplicitas & mens ſibi conſcia recti.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Quem ſpernis, quem *Phylli* fugis? te rura tulerunt,

Urbibus hoſpes ades. quondam tu paſcere capras
Hædorumq; gregem ſueta es compellere hibiſco,
Ruſtica, nec preſſare pudor fuit ubera palmis.
Nunc Jovis eſſe nurum mens eſt, & nubere *Mopſo*.
Uxor eris *Mopſo*, cave ne te oracula fallant.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Mopſus Dives opum & ruris poſſeſſor opimi,
Mille ipſi intonſis errant in montibus agnæ
Et totidem matres. numerat bis mille juvencos,
Caprarumque pecus numero caret. illius arcam
Divitiæ rumpunt multoque pecunia cenſu.
Tu patrimonii inops virgo es, tibi reſtis emenda.
Te *Coridon* vel *Thyrſis* amet, vel ruſticus alter
Par tibi, ſed ſponſam quærat ſibi *Mopſus* in urbe.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Scire velim quidnam faſtum tibi ſuadeat iſtum,
Majeſtas ne oris vel ſtemma & clarior ortus.
Pulchra es, conſpicuum eſt, perit at tibi gratia
Nataleſque tuos innata ſuperbia fœdat. (faſtu,
Si ſapis, & juſtè noris parere monenti,
Quod ſis eſſe velis, placidamq; aſſumito mentem;
Sic te vel *Mopſus* vel ducat honeſtior illo.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Sed mihi quid monitis volui? non flecteris illis,
Nec precibus locus eſt, ſcopulis es ſurdior altis.
Nec prece nec voto contendam falſus inani,
Hoc faciat *Coridon* vel fruſtra quiſquis amari
Diſcupit, atque animis ſteriles admittere flammas.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Non orabo Deos, ut te ulciſcantur iniquam,
Ipſa dabis pœnas dignas cum tempore, cum te
Deſpectet *Mopſus*, nec curet vilior illo.
Tunc dictis hominum miſerè vexeris amaris:
Hæc

Hæc eſt, hirſutos quæ ruris ſprevit alumnos,
Scilicet exemplo nunc deridetur eodem.
Incipe, non aliud tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Verum tu, ô *Damon*, veſanas abjice curas,
Diſce puellarum foliis æquanda caducis
Verba, inſtar venti mens eſt mutabilis illis.
Mobile virgo animal. Poſthac ſapienter amato,
Si quid amare libet, veneremque amplectere dignam.
Nullus in obſcuro cenſus. cum ruſtica faſtus
Sumſerit, infra ſe quævis generoſa putabit.
Mens claris melior. Te *Phyllis* ſpernat, agreſtem
Invenies aliam, ſi te faſtidiat illa.
Siſte, aliud poſthac tibi, fiſtula, convenit œſtrum.
Hæc cecinit *Damon*, & molli carmina libro
Condidit, ac platanis lævos inſculpſit amores.

---

(59)

In Ædificationem Urbis
FRIDERICIENSIS.

LIttora, quæ crebris poſſeſſa penatibus, & quæ
Cernitis auguſtis emicuiſſe tholis,
Jam pridem umbroſo nemoroſa ſilentia ſaltu
Vix bene nota aliis vix jacuere ſibi,
Naturam ſubitò ſed mutavere priorem,
Et nemora inſolitas addidicere vices.
Atque ubi conſuerant brutæ æſtivare calentes,
Pluribus inſedit civica turba locis.
In tecta acciſis decreſcunt robora truncis,
Et volupe eſt priſcum ſic periiſſe decus.
Nunc ſeges eſt ubi Sylva fuit, ubi lucus & umbra
Latè invitabant ad ſua luſtra feras.

Sæpius inde dabunt oneratæ vela triremes,
Gaudebunt reduces hac ſtatione rates.
Haud ſecus infantis crevere crepundia Romæ,
Colleque non amplo gloria tanta ſtetit.
Securos poſthac jubeas habitare colonos
Cimbria; quod metuat, jam tuus hoſtis habet,
Littora nam magnum referunt cognomine Re-
Tutaq; vel titulis mœnia *pacis* erunt. (gem,
Et diuturna quies. nemo heic bellaverit unquam,
Iſta quod oppugnans littora littus aret.

---

(60)

Carmen Nuptiale.

Rusticus eſt, ſua tela puer flammaſque Cupido
Negligit, & partes neſcit Amoris Amor.
Sed ruri quod fervet opus ſtudet improbus ille,
Et ſecat & multo vomere findit humum,
Grandiaque inſpergit ſulcatis hordea terris
Venturæ ſubitò fœnora meſſis avens.
Et ne quæ jugulent naſcentia germina peſtes,
Quæ noceant fœto cuncta relegat agro.
Sed quando tua meſſis erit, mellite Cupido,
Et cui primitias ſtat tetuliſſe Deo?
Poſtquam jam decimæ repararunt cornua flam-
Junoni fas eſt ſolvere vota meæ. (mæ.
Interea lætâ dum vernat meſſis in herba,
Sæpius ad matrem thura preceſque feram.
Aſt ubi matura ſuccrevit adorea fruge,
Et meus extremo meſſor anhelat agro.
Legabo beſſem ſponſæ ſponſoque trientem,
Sic noſtræ æqualis portio meſſis erit.
Dividat ut ſponſæ diſcet patrimonia ſponſus,
Illaque quod ſponſi eſt Additione ſciet.

At

At tuus effœto dic cur labor incipit anno,
Cumque metent alii, ſemina ſera jacis?
Non opus eſt noſtros conſueta lege labores
Devolvi aut ruris ſcita vetuſta ſequi.
Nobis ſæpe ſtrepit medius ſatione December,
Sæpe ſub æſtatis fervida puncta meto.
Nec tamen ancipiti proventu ludimus unquam;
Noſtra nec incaſſum eſt his operata manus.
At vos, queis Paphiæ ſperatur portio meſſis,
Queiſq; quod eſt placitum, jam favet alma Ve-
Ludite, ſic citius properato menſe metetis; (nus
Hoc puer hoc vobis præcipit ipſa parens.

In Exequias (61)

WELLEII

Cujuſdam.

Quæ cernis Pietas monumenta locavit alumno,
Et juſſit memores ſaxa tenere notas,
WELLEJUM, gremio quem quondam fovit ami-
Mammiſque infantem nutriit ipſa ſuis, (co,
Sic periiſſe vetat, famæ ſedet impigra cuſtos,
Et recitat curas ad decus omne viri.
Dum Rhodanus nautas habet, & nix alta ſoracten
Veſtit, & Alpinus frigore candet apex.
Evolat, & lentas deſpectat ab axe favillas:
Et refugit crudo ceſpite fama tegi.
Non alio Pietas jactantior extat alumno,
Et potuit totam demeruiſſe Deam.
Hôc cœli voluit favor inclareſcere Myſtâ,
Grandiaque ætherii noſcier acta Senis.
Hoc locuples petiit ſapientia pectore condi,
Nec mage compoſitos noverat illa lares.

Hunc Rhodani, hunc diffusa Padi sibi littora civem
Et Rheni & Tamesis stagna cruenta volunt.
Sed Ripæ dixere suum; modò condidit urnis
Exuvias; cœlo mens sociata suo.
Nil hic quod sperabis, habes, oblivio mendax,
Non quadrat ad vilem laus numerosa tubam.

---

(62) *EPIGRAMMA IN LAUDEM* ACADEMIÆ SORANÆ.

Læta recognoscit natales *Sora* priores,
Atque ævi numerum gestit inire sui.
Ipse diem meliore comâ modò spargito, Phœbe,
Accedit Clariis portio magna Deis.
Est odio Cyrrha & saxosa cubilia Pindi,
Vocalesque decus dedidicere lacus,
Heic sibi devotas habitant augustius ædes
Musæ, atque Aoniis personat aula sacris.
Pomposo latè splendescant omnia fastu
Proscribatque rudem languida bruma situm.
Sic reptata Jovi vagitus Creta Tonantis,
Et recolit fœtos luxuriosa toros.
Ista senescenti augescant solennia mundo.
Sæpius & talem fas sit obire diem.

---

(63) In Hortum Cujusdam Heroinæ.

Hortule delicium Dominæ, cui mitior æstas
Intepet & creperi spondent alimenta liquores,
Aspice ludentes circum tua lustra Napæas
Najadumque Choros; non illis gratius unquam
Pestani fœtura soli, nec odorus Hymetti

Agger

Agger & Hesperii redolent pomaria ruris,
Quàm tua si quam auram fundunt topiaria, vel si
Arbuteo nutant fœti de vertice rami.
Isti Vesta solo vernantis rara leporis
Gaudia diffudit, mollique crepidine flores
Educat, & patulis variantia lilia labris,
Et violæ sobolem, & tunicæ non simplicis orbes,
Et si quod vario blanditur germen amictu.
Flagrantes illic declinat Cynthius horas,
Et secum Clarias invitat ad otia Divas
Exercetque jocos, numerisque indulget amœnis
Faunorumque pecus festivis sedibus arcet,
Hortule, deliciæ Dominæ, dic, sydera quando
Blandius arrident, & amicior aura Favoni
Sibilat, ac leni perstringit murmure flores?
Cum placidi meliore dies nituere sereno?
Aut cum non rigido descendit Jupiter imbre,
Languentesq; animas tenerique crepundia veris
Potat, & astrictas vetat indurescere glebas?
Ventorum aut cum post rabiem Boreæq; tumul-
Usque serenato dispellit ab æthere nubes (tus
Naturæ rediviva quies, irasque priores
Exuit, ac tepidi favet indulgentia cœli?
Aut cum tu Heroum Vultus veneraris heriles,
Sanctaque prosequeris croceo vestigia nimbo?
Hæc est illa tuæ lux optatissima messi,
Gramineisque toris; redimes hanc æthere toto.
Tunc ferus exhaustâ mitescit aquarius urnâ
Plejadumque furor, tunc nec nimbosus Orion
Oleniumque pecus pigra torpere quiete
Abnuet, aut cœlo concedere mitibus astris.
Tunc tibi mentitum pluvius si venit in aurum
Jupiter, auriferi sorderent ora Tonantis.
Hortule, delicium Dominæ, Phœbeia quando

Suavior irradiat lampas? cum rore tepenti
Horrentes crepero refocillat vespere flores?
Aut tua cum lepidæ decurrunt compita Nymphæ,
Nymphæ vicinum dignatæ habitare profundum,
Et choreis ludunt, aut se super aggere molli
Reclinant, segetemque anni speculantur adulti;
Aut spoliis inhiant, & onustos flectere ramos,
Gaudiaque instituunt maturæ carpere messis,
Atque autumnali nigrantia sydere vina?
Aut tibi cum Dominæ gravidos aperire recessus
Prægnantesque sinus fas est & fœnora coram
Autumni numerare tui, lætabile lucrum,
Ipsaque vel Phœbe major, vel Pallade nostra
Celsior incedit, sanctasque educit alumnas?
Hæc sunt illa tuis jurata penatibus astra;
Numinibus sese his effœta recolligit æstas,
Atque senescenti nova pulvinaria Vestæ
Commodat, & priscos parat instaurare lepores.
Tunc si vel charites, si vel saturnia Virgo
Accelerent lucis tantæ anteiisse decora,
Lugebunt Charites, Reginaque spreta Tonantis.
Hortule, purpureo semper dignissime Vere,
Jam tibi delicias effœti circulus anni
Terminat, & lepidos pluviali sydere menses
Propellit, pigraque operit tua jugera brumâ.
Jam tibi quæ primo violæ nascuntur Aprili,
In succos abiere suos & grata ministrant
Pocula, languentisque abigunt fastidia ventris.
Jam nec fraga rubent, nec odoro vertice nutat
Flos tunicæ, nec jam vario discrimine pictæ
Areolis Tulipæ maculosa cacumina tollunt.
Exuitur foliis & amœnis fructibus arbor
Libera, jam viduum mœret sterilescere truncum
Fœ-

Fœcundosque prius ramos; jam plura racemis
Corpora non pendent crebrique examinis uvæ:
Cuncta propinquanti concedunt gaudia brumæ:
Sed tu delicias Dominæ ne falle, nec ipse
Displicet October, & hyems sua commoda norit.
Si faveat Genius Dominæ, mansuescet Olympi
Hybernus furor, & trux prælia nesciet hœdus.
Si faveas Dominæ Genio, non frigida pisces
Tempora protrudent veri nocitura futuro.
Tunc properata ruent glacialis regna Capellæ,
Æstivæque tibi modus elongabitur horæ.

---

(64)

De perfidia GRIMMILDÆ erga Fratres, quos illa blandè invitatos satellitum suorum ferro in Insula HUENA interemit.

Historia habetur in notis STEPHANII *ad* SAXONEM *pag* 230 *sed hæ strophæ ex tribus Cantilenis Danicis promiscue excerptæ sunt.*

I.

Diluerat tepidis GRIMMILDA arvisia testis,
Spumabantque novo pocula fœta mero.
Convocat Heroas, ardentis fulmina belli,
Et juvenum toto concitat orbe decus.

2. Pectus

2.

Pectus at Herois præsagum Matris *Haquini*
Exercent trepidis somnia dira notis.
Scilicet afflatos inopinâ tabe caballos
Instratos pictis occubuisse lupis.

3.

Non hic fallaci me ducit imagine somnus,
Hunc altâ, fili, mente repone precor.
Ambages vita tacitos fraudesque sororis,
Funestis armat livida corda dolis.

4.

Flecte gradum cursusque Heros *Haquine* citatos,
Stat tuus æterno sydere clarus honor.
Quam placidis princeps terram moderaris habe-
Turritô cœlos vertice celsa ferit. (nis,

5.

Regredere ad proprios fato meliore penates,
Heroum armatis ne sociare jocis.
Si tibi certa sedet sententia adire sororem,
Te leget in mediis trux libitina rosis.

6.

Sunt tibi turrigeris munitæ mœnibus arces,
Et tua Mygdonias Gaza lacessit opes.
Perfida *Venusii* si tangas littora regni,
Te cæso exuvias palma inimica feret.

7.

At vigil, excelsas ubi pinna cacuminat arces
Despectat summâ littora prima domo:
Festino nostras conscendunt remige terras
Heroes gemini nobilitate pares.

8. Ac-

8.

Accipitrem flavi primus cælamine ſcuti
Lancinat, inque auro triſtis anhelat avis.
Ignavâ alterius nutat teſtudine cetra;
Dux ille egregio de Duce patre ſatus.

9.

Subjicit ingenti reboans *Grimmilda* tumore:
Marte valens Lyricen *Falco*, ſed arte rudis,
Et rigidis Heros famoſus *Haquinus* in armis;
Fraterno junctus ſanguine uterque mihi.

10.

Excipit affatu fratres *Grimmilda* benigno,
Sed tacitâ diros parturit arte dolos.
Felices noſtros fratres celebrate penates,
Vos parili armatus mactat honore labor.

11.

Inſano corpus faſtu *Grimmilda* profanat,
Infidum hirſutâ pelle revincta caput;
Triclinîque ferox medias prorumpit in ædes
Heroas propter, robora lecta, ſuos.

12.

Heic pulchro proceres accumbitis ordine noſtri
Libantes auro priſca falerna cavo.
Morte quis Heroëm forti multabit *Haquinum*?
Quem mihi fraterno copula jure ligat.

13.

In tanta quisnam ſe prodit mole virorum,
Quos albente Ceres munere noſtra cibat,
Egregio fratrem qui cædere ſuſtinet auſu?
Tam grave magnâ auri vi cumulabo nefas.

14. Hoc-

14.

Hocce die validis ipſum tentabimus armis,
Et tumidum noſtro concidet enſe caput.
Hæc nobis celebrem ſudabit adorea laurum,
Diteſcentque auro noſtra brabea tuo.

15.

Auribus hæc hauſit *Falco* Citharœdus iniquis,
Et ſe trans menſas præcipitatus agit,
Utque ferox primos ferrum libravit in ictus
Septenâ maduit fervida cæde manus.

16.

Rumpitur ingenti contortum verbere ferrum,
Dum *Falco* Lyricen perpete ſtrage furit;
Torva ſed ad ſummum convertit lumina poſtem,
Et clavam celeri corripit inde manu.

17.

Suſtulit ut magno ferratam robore clavam,
Armabat rediens pectus inerme vigor:
Ter quinos magnâ ſtravit cum laude Gigantes
Virtute & certâ verbera lege ferens.

18.

Penè quater deni fœdâ cecidere ruinâ;
Victrices nulli ſuſtinuere minas,
Hoſce prius verè robuſtus fuderat Heros,
Quàm duram exſangui fronte feriret humum.

19.

Huc aures adverte, ſoror, *Grimmilda* ſuperbas:
Dilacerant artus tela iterata meos;
Nunquam tu mihi fida ſatis vel amica fuiſti,
Quod nunc ſera nimis me monumenta docent.

20. Tam

20.

Tam validos *Falco* Citharœdus duxerat ictus,
Ut fragor impulsa nube boaret iners.
Præclaro potius voluit concedere fato,
Quàm fœdâ eludi prisca decora fugâ.

21.

At tunc vicenos Heros jugulavit *Haquinus*,
Dum ruit in turbas seditiosa cohors,
Et prius in proceres nece grassabatur anhela,
Quàm gladio induxit integumenta suo.

22.

Grimmildæ pugiles fœdâ sparguntur arenâ,
Seminecique gravis pondere terra gemit.
Tam claris Heros *Haquinus* claruit ausis,
Et consors tanti frater honoris erat.

23.

Herois spirans fastus *Grimmildæ* procaces
Asperat insanis ora profana minis:
Ad propriam potius resideres marcidus aulam,
Quam ferus in cædes huc vehereris eques.

24.

Ante toro centum tabescent cœlibe matres,
Quam sistas dirâ prælia mota manu.
Hinc effervescens Heros respondet *Haquinus*:
Et tuus hæc nobis induit arma furor.

25.

Taurorum domus exuviis constrata supernè;
Subtus inæqualis pisa rotabat humus; (*num*;
Hæc primum Heroem male frustrabantur *Haqui-*
Sternitur hinc casu præpete adactus humi.

26. Vi-

26.

Viribus aſt Heros priſcis ſuffultus *Haquinus*
Conatur pigro membra levare ſolo.
Ne niti Germane velis chariſſime; noſti
Quâ convenerunt mutua verba fide.

27.

Eniti Germane precor chariſſime noli,
Pollicitis ſed fac pondus ineſſe tuis.
Præcipiti primum rueres cùm vertice, dura
Erectum nolles tollere corpus humo.

28.

Heroëm tantus ſufflaminat ardor *Haquinum*,
Ne fluitent dubiâ verba caduca fide.
Amborum tremulo genuum curvamine nixum
Fatali hoſtilis vulnerat enſe manus.

29.

Tres dehinc infracto proſtravit Marte Gigantes,
Non de plebe illos infima turba tulit.
Hinc citò ferratas *Hammeræ* ducit ad arces,
Et patrias victor luſtrat anhelus opes.

30.

Auctior effulſit meliori ſorte, potitus
Virginei tædâ dexteriore thori.
Huenildæ tulerat ſpecioſa vocabula virgo
Hac illi proles maſcula matre ſata eſt.

31.

Nomine *Rancani* jactantior extitit Heros,
Extulit ultrici juſta paterna manu,
Grimmildam lentâ jeiunia tabe necabant,
Dum ſterilis vacuo corpore onuſtat opes.

32. Hinc

32.

Hinc Longobardos regno digressus avito
Veronæque urbis mœnia clara petit,
Heroasque inter Dani decus incrementi
Virtutis patriæ mascula signa dedit.

33.

Ad regni *Huenilda* parens moderamina mansit;
Hinc bimaris *Huenæ* littora nomen habent.
Inter primores animosi Martis alumnos
Hæc eadem famâ nobiliore vigent.

---

(65)

De sacris Biblijs.

Æterni fontes abstrusaque pagina vatum,
Quos œstro traxit nobiliore polus,
Gemmas atque aurum pretio meliore lacessunt,
Sique istis quicquam carius orbis habet.
Non hoc Sicelidas Vatum figmenta profanas,
Non hoc Cyrrhæum Numen anhelat opus.
Sed cœlum & quicquid stellata palatia jactant,
Divino referat littera sancta penu.
Imbibimus cum voce Deum, secretaque summi
Ætheris &, mundus quas fovet alter, opes.
Ipsa rudimentis existunt æquora linguæ,
Natalesque soli linea prima docet.
Cum verbis sensim nascuntur semina rerum,
Et sterilem quævis vox locupletat humum.
Exulat hic Pyrrhæ & lapidum monstrosa propa-
Historiæ sanctæ stat sine nube fides. (go
Non heic Phlegræas acies mentitaq; terræ
Ausa, atque attonito prælia mota Jovi,
Sed populi pia bella Dei sacra Biblia narrant,
Heic veris Pharao trux operitur aquis.

Heic

Heic natat intonso Samsonis vertice crinis,
Occultèque viri robora cirrus alit.
Heic debellatur parvo Goliathus ab hoste,
Nec tanti David corporis horret onus.

* * * * *
* * *
* *

(66) Nuptiis

LINDENOVII

Cujusdam.

Qualiter Odrysio remeans de vertice Mavors
Sanguine respersus Thracum, cum Bistonas
Contudit & telo domuit Pangea trabali, (armis
Idalias repetit sedes, Paphiæque cubili
Conjugis exceptus gaudet mitescere fervor
Masculus, amplexuque docet cessare calores;
Talis adest sancitque sacri nova fœdera lecti
Lindenof, eque animo priscos exterminat æ-
Et tolerata diu mordacis pondera curæ. (stus,
Ah quoties tacitos secum accusaverat ignes
Indocilis juga tanta pati, dum classe remotas
Subjugat audaci gentes ignotaque nobis
Nomina & assiduo sitientes sydere terras.
Ah quoties fulva dum velat casside vultus
Aptaturque armis, occulti ad sensa caloris
Irrubuere genæ, Martisque elanguit ardor,
Et puduit tales sentiri pectore motus.
Hoc dudum aspiciens Paphiæ Regina cohortis
Sic infit: pudor est nostra evilescere signa
Et mihi præponi Martem, si prælia cordi
Feralesque tubæ, intrepidas si classica mentes
Oble-

Oblectant, & nos moliri bella ſolemus
Alteraque Heroas mos eſt ad caſtra vocare.
Sunt nobis Pharetræ, ſunt ſpicula certa faceſque,
Queis noſtræ armantur turmæ: nunquam irrita
Tela, nec incaſſum noſter laxabitur arcus. (mitto
Perpetuis Mavors munitas mœnibus urbes (jux
Clauſtraq; portarum quatiat; quem vincere con-
Non valet, hic noſtro concedere diſcet Amori,
Et victas in vincla manus mihi porriget ultro.
Aſpice jam tumidas volventem pectore curas
Lindenof, impavidumque maris, cum turbidus
Mugit & ingeſto turgeſcunt carbaſa vento, (auſter
Ipſe triumphatas geſtit domuiſſe procellas.
Sat modò virtuti conceſſum eſt, altera diſcet
Imperia atque jugo ſubmittet colla Diones.
Quotque olim medio numeravit flamina ponto
Tot dabit amplexus, tot labris oſcula figet.
Jam licet extorris vivat. ſua tempora fata
Invenient. Sic fata ſuas Cytherea columbas (gat,
Hortatur repetitq; Paphum, & quæ pectora tan-
Quaque virum fas eſt incendi virgine multum
Cogitat atque omnes ſcrutatur mente penates,
Firmaque ſcrutanti tandem ſententia ſedit.
Eſt locus auguſto Pharium quà tramite Nilum
Deſpectat Cyprus, quem poſſedêre Diones
Omne ſatellitium, fulvo radiata metallo (gens.
Tecta nitent tectiſque nemus ſuperimminet in-
Prata pharetrati latè populantur amores
Et ſertis ſua tela ligant. gens floribus omnis
Picturata nitet. nervis poſt terga remiſſis
Exercent variè puerili tempora luſu.

* * * * *
* * * *
* * *

(67) Ad

JOHANNEM

quendam ipſo JOHANNIS die.

Ecce novus noſtro ſublucet ab æthere Phœbus,
Inſolitumque alta fundit ab arce jubar.
Dum ſolito ſeries anni temone rotatur,
Siſtitur ad Feſti limina prima dies.
Atria templorum ſolennia vota fatigant,
Et poſtes onerant ſerta decora ſacras.
Ducuntur vittis redimiti cornua tauri,
Imbuat ut caſtos victima pura focos.
Florida depromunt infanti munera Nymphæ,
Et pudor eſt juvenum ferre minora decus.
Naſcenti properant puero decerpere flores
Ambiat ut teneras feſta corona comas.
Johannem ſublime ferunt ſuper æthera plauſu;
Nuncius ille bonus, nuncius ille Jovis;
Et tibi ſortito conſortia nomine Tanta
Applauſu ferimus vota benigna pio.
Ito per illuſtres titulos animoſior heros;
Nominis eſt hæres, omina nomen habet.
Johanni non ſerta damus ſed vincula certa
Ni dederit Muſis in ſua vincla manus.
En tua promereat feſtum ſolertia ſacrum,
Et pandet nodos mente ſagace leves:
Fortè per ingentes umbroſa cacumina fagos
Dum vagor in luſtris, *Sora* ſuperba, tuis,
Frugiferoſque levi conamine viſo receſſus,
Herba in deſerto ſola reperta loco eſt.
Suave colorabat tenerum nova gratia fœtum,
Nutabat ſaturum florido odore nemus.

Hæc

Hæc ubi diffudit dotes patefacta latentes,
Interiore dedit dona videnda sinu.
Phœbeos gremio diducto ubi concipit ignes,
Aëra tergemino vertice celsa petit.
Ut vidi, accessi; miratus carmine florem
Inscriptum, & certis verba relata notis:
Ungue mihi tenero formosum detrahe florem,
Et celebrent prædam digna trophæa tuam,
Non mea vulnifico lædentur membra dolore,
Mancus & ex nulla parte patebit honos.
Sed mea visetur tali pars ampla ruina
Pondus ab amisso flore habitura grave.
Namque ubi per Cœli declivia regna vagatus
Flammivomo accendet Cynthius axe polum.
Amissum reddit duplicato fœnore florem
Ver sacrum, & ex uno flos geminatus erit.
Stringite jam nodos *Johanni* vincla parate,
Venerit in nostras ni bona præda plagas.

Reverendo & Clarissimo Viro, (68)

D. Mag. LAURENTIO MARTINI WIDSTEDIO,

Pastori Primario Nachschoviensium, Paraphrasin suam Metricam in Canticum Canticorum Salomonis publici Juris facienti.

(*Paraphrasis illa concinnata est in modum Dialogi inter defunctum CHRISTIANUM V. Daniæ Regem electum, & relictam Viduam Principem MAGDALENAM SIBYLLAM.*)

Magna cothurnatæ tollunt emblemata Musæ,
Et repetit solitum Regia suada melos,
Seu querulæ voces sive anxia murmura mentis
Et quæcunque liber deliciosus habet.
WIDSTEDIO dictante fluunt speciosius, & jam
It Salomon propriis dulcior ipse metris.
Reges scena decet; regnatrix purpura soccos
Despicit & tenues splendida mitra sonos:
Sive amet, immensis scintillent ignibus orsa,
Seu doleat, luctum grandia verba crepent.
Affectus Regum quis Rege decentius illo
Scribet, & augustum quis dolor urat ebur,
Scilicet ex urna loqueris pomposius HEROS,
Atque SIBYLLINO percipis ore vices.
WIDSTEDII labor est, qui Te post funera fari
Instruit, ut voces æmula verba ferant: (bras,
MAGDALIS hic raptas Sermone exsuscitat um-
Solumque in placito corpore frigus amat.
Dum vester durabit amor, dum sermo fidesque
WIDSTEDII tantum fama rotabit opus.

FINIS.

ADDEN-

ADDENDA AD CARMINA JOH. HOPNERI.

Panegyrico, qui inſcribitur

CHRISTIANUS AUGUSTUS

ſub Num. 24. loco dedicationis ſequens carmen inſervit.

Dum titulos, AUGUSTE, tuos tua pulpita pandunt,
Et meritis reſonant tota Lycéa tuis;
Inter adorantis tot publica vota Minervæ
Excipe de privo quod Lare prodit opus.
Clarius à Phœbe licet illuſtretur Olympus,
Non tamen exiguas rejicit ipſe faces:
Et licet electis decorari diſcupit herbis
Non permiſta tamen gramina ſpernit humus.
Sic credo anguſtam non aſpernantur avenam
Altiſonis quanquam Nomina culta tubis.

AD MENAGIUM. (25)

Qui cupit in parva Mundum ſpectare figurâ,
Tendat, ait Rumor, cernere Pariſios.
Aſt ego: docta petat prælustris tecta MENAGI
Qui cupit in ſpeculo noſcere Pariſios.
Ergo orbis faciem cupidus ſpectare MENAGÎ
Celſa videnda tibi tecta viator habes?
Sic eſt. huc legatque ſuas Sapientia myſtas,
Et Themis alma ſuos Phœbus & ipſe ſuos.

Cujates? dic Mundanos. ex omnibus orbis
Adveniunt oris adproperantque locis.
Italus Hiſpanus Galluſque Gothuſq; Polonuſque
Æquoreuſque Brito Teutoque cum Batavo.
Sive vices cupias Regnorum ſcire, recentem
Sive ſtatum rerum; quod cupis hîc capies.
Hîc reperire licet ſi quidquam ſcire laboras
Verè, nec ſolo nomine Philoſophos
Philoſophos uſu non ludi pulvere, claros
Nobilitate viros muneribuſque graves.
Et breviter. tectis poteris audire ſub altis (runt.
Quidquid in urbe gerunt, quidquid in orbe ge-

---

(26) Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo

ERASMO VINDINGIO.

Cujus ad effatum conſurrexêre cathedræ
Et toties meritum conſonuêre σοφῶς.
Cujus in eloquium deîn conſenſêre Senatus
Votaque ſupremi non temerata fori,
Cujus & ipſa ſonant nomen delubra Deorum
Vindicis in laudes obſequioſa ſui,
Dum punctum verè omne meret, quà ſe explicat
Doctrinæ & Vitæ, & Relligionis amor, (omnis
Seu Laurenbergi meritos transgreſſus honores
Colligit Argolicas Meurſius alter opes:
Seu poſt Saxonidum revolutaque jura Quiritûm
Hinc patriæ ſupplet jura renata ſuæ.
Seu dextrè excuſsîs tricisque doliſque Reorum
Juſtitiæ coram Rege Patronus agit,
Seu ſquallore Deûm Curator liberat ædes,
Et longo ſolvit Fana vetuſta ſitu,

Hic

Hic eſt, quem Mea Muſa petis, VINDINGIUS, hic eſt,
Pulpita quem junctim Curia Templa ſonant;
Quem Rex, quem Populus, quem divum ſancta poteſtas
Diligit, hunc fas eſt tu quoque Muſa colas.

---

(27)

D. OLAO BORRICHIO CÙM ATLANTIADIS exemplar mitteret.

Cernis *Atlantiaden*, quem mittimus, Inclyte Vates?
Cernis, ut haud tremulo te petit ille gradu?
Scilicet, ut rapiat, ſi quod tibi fortè ſuperſit
Quod ſibi non tempus Phœbus uterque capit.
Addit at ingentem ſtimulum, bene notus eunti,
A quo miſſus adeſt, Auctor, & ille Tuus,
Ille tuus, non nunc primùm, ſed totus ab illo
Tempore, quo nugis te ardet adire ſuis.
Excipe *Atlantiaden* quâ nuper fronte legebas
Chriſtjanum, ejuſdem non breve Vatis opus,
Nec tamen indignum, tibi ſi fas credere, vultûs
Oraque doctorum cana ſubire Virûm,
Excipe BORRICHÎ nunc, quod vittata Minori
Auguſto Pietas currere juſſit epos.
Hoc & Amicitiæ da noſtræ, ut quicquid in illo
Peccatum eſt, mutes dexteriore notâ.
Sic tibi perpetuò faveatque ſalutifer ipſe,
Detque Galenus eas, quas merearis, opes.

(28)

D. OLAO BORRICHIO, CÙM VENEREM PALATINAM mitteret.

BORRICHÎ, Veterumque atque Recentium
Scriptorum Genios atque Poëmatum
Quô nemo meliùs ſingula pendulîs
Penſare addidicit κόμματα lancibus;
Sic ſalvus maneam! Te nec amicior
Hic quisquam mihi nec Major habebitur,
Si noſtra hæc rigidâ carmina liberè
Penſaris trutinâ, moxque remiſeris
Auctori, vitii quicquid ab optima
Dicendi ſpecie fortè receſſerit;
Et, ſi quæ canones ſyllaba metricos
Inceſſu titubanti violaverit,
Hanc rurſum in numerum ritè redegeris.
Plus plures oculos cernere ſingulis
Eſt verbum vetus, atque Experientiæ
Corruptâ minimè voce, quòd editum,
Falli difficile eſt: Huic ferè Comicus
Reſpondet ſimili; Quiſque aliena quod
Obſervet melius. Sic quòd utrumque ſit,
Convictus fateor, idque fatebitur
Quiſquis non ſtolidâ voce negaverit
Legi ſeſe hominis vivere ſubditum.
Hoc verè eſt hominis; perficere ut nimis
Ipſum ne teneat lævis opinio,
Et ſic ſit gemino crimine perditus.
Quin ſemper ſoleo laudibus optumum

Morem

Morem Romulidûm tollere debitis,
Quo ſueti fuerant, ſi quis amicior
Atque iiſdem ſtudiis deditus, ilicet
Hunc illum veluti ſumere Judicem &
Scriptorum Canonem. Nos at ab Ethnicis,
Omiſſi ſtudii, turpe redargui eſt.
Ergò jam data ſit vis tibi plenior
BORRICHÎ, Critices non modò Lesbiam
In noſtros numeros tendere regulam,
Sed normam rigidam; ipſiuſque Poëtices
Quas Cenſor maculas mitius excipit,
Has nè prætereas: nam nec ad Arbitrum
Mitem confugio, ſed peto Judicem.

AD FOSSIUM (29) CÙM VENERIS PALATINÆ exemplar ei mitteret.

En tibi, mi Foſſî, leviter dum ſaucius hæres,
Nec ſat adhuc doctus, quam decet ire viam.
En tibi quas offert tibi non incognitus Auctor,
Quas Venus accendit quaſque ſequere faces,
His nec enim veteris tibi convenientius ullum
Poſſe putat mitti pignus Amicitiæ.

JOH. HOPNERUS.

INDEX TRIPLEX

Eorum, de quibus, vel ad quos Carmina, quæ hoc Primo Tomo habentur, ſunt ſcripta.

Numeris non pagina indicatur, ſed carmen.

INDEX I.

In Carmina

ALBERTII.

Ἀετὸς δ' θηρεύει τὰς μυίας. 196.
Albertius (*Albertus*) 149.
Albertius (*Chriſtianus*) 114. ad 117.
Albertius (*Heinricus*). 109.
Amor, 12.
Amor vincit omnia, 216.
Anna Catharina Regina Daniæ, 2.
- - - Ejuſdem Effigies, 20.
Anſorgius (*Chriſtianus*) 193. 231.
Aquila non capit muſcas, 196.
Arctander (*Heinricus*) 161.
Arenfeldt (*Accilius*) 192.
Argos Regia Chriſtiani Quarti, 34.
Armamentarium Regium, 31.
Artium Notitia Chriſtiani IV. 13.
Aſlacus (*Conradus*) 91. ad 93.
Auſonii Popmæ Editio, 183.
Bachendorphius (*Nicolaus*) 131. 171.

Bach-

Bachmannus (*Conradus*) 178. 179.
Bangius (*Johannes*) 112.
Beck (*Sigwardus*) 82. 83.
Below (*Heinricus*) 63.
Belzar (*Georgius*) 128. 173.
Beſche (*Canutus*) 110.
Bibliotheca Univerſitatis Hafnienſis, 26. 27.
Blix (*Johannes Laurentius*) 158. ad 160. 205.
Brahe (*Accilius*) 71. 72.
Brahe (*Steno*) 60.
Brock (*Æſchinus*) 75.
Broitzemius (*Andreas*) 163.
Burchardi (*Johannes*) 152. 206.
Calliopeja, 218.
Canuti (*Chriſtianus*) 166.
Canutius (*Johannes*) 111.
Chariſius (*Jonas*) 96. 97.
Chloris & Cupidines, 220.
Chriſtianus IV. Rex Daniæ, 1. 21. 25. 29. 33. 37. 42. 43. ad 46. 230.
- - - & Regina Anna Catharina unà equitantes, 22.
Chriſtiani IV. Regis Daniæ Effigies, 18. 19.
- - - Ejuſdem Symbolum, 16. 17.
Chriſtianus V. Electus Rex Daniæ, 3. 38. 55. 223.
Chriſtianus Johannis, 103.
Clementia Chriſtiani IV. 5.
à Cloſter (*Hero Mauritius*) 162.
Coccius (*Olaus*) 113.
Collegium Hafnienſe, 24.
Crugerus (*Johannes*) 197. 198.
Cruſe (*Envaldus*) 80. 81.
Cummerus (*Abrahamus*) 127.
Effigies Annæ Catharinæ Reginæ Daniæ, 20.
Effi-

Effigies Christiani IV. Regis Daniæ, 18. 19.
- - - Taubmanni (*Friderici*) 184.
Equitantur pariter Rex Christianus IV. & Regina, 22.
Erasmi (*Johannes*) 101.
Fama Electionem Christiani V. narrat, 223.
Finckius (*Casparus*) 181.
Finckius (*Jacobus*) 161. 214.
Finckius (*Thomas*) 98.
de Fine (*Johannes Arnoldi*) 157. 210. 161.
a Freiberg (*Guilielmus Ludovicus* Lib. Baro] 129. 183. 184. seq. 224. sequ.
a Freiberg (*Johannes Jacobus* Lib. Baro) 183. 237.
a Freiberg (*Michael*) 183.
Freisten [*Johannes*] 168.
Frisius [*Christianus*] 57. ad 59.
Frisius [*Georgius*] 70.
Gissensis Academia, 236.
Gœdiccus [*Petrus*] 209.
Gratia Magnis non parva. 208.
Gruterus [*Janus*] 130. 169. 170. 176. 177. 227.
Gyldenstiern [*Prœbernus* 73.
Hafnia novis vallis circumdata, 23.
Hammer [*Georgius Nicolai*] 134. 174. ad 178.
Hassus *Johannes*] 167.
Helvicus [*Christophorus*] 182.
Hentzman [*Christianus*] 164.
Hermannus Nicolai, 107.
Holch [*Christianus*] 79.
Horologium Academiæ Hafniensis, 28.
Hortus Regius Christiani IV, 35. 36. 37.
Hubnerus [*Joachimus*] 85.
Humanitas Christiani IV. 6.
In-

Integritas Christiani IV. 11.
Joachimus Ernestus Dux Sleswici & Holsatiæ 40. 41.
Johannes Canutius, 111.
Johannes Georgius Dux Sleswici & Holsatiæ, 39. 41.
Johannis [*Christianus*] 103.
Johannes Erasmi, 101.
Johannis [*Johannes*] 102.
Juno, 174.
Justitia Christiani IV. 8.
Krabbe [*Gregorius*] 236.
Kruse [*Envaldus*] 80. 81.
Lælius [*Tancredus*] 132.
Laurentius, 158.
Libertas, 189.
Longimontanus [*Christianus*] 104.
Ludovicus Landgravius Hassiæ, 232.
von der Luhe *Janus Henricus*] 194.
Lyche [*Heinricus*] 74.
Magnis non gratia parva, 208.
Malorum verba nil curo, 213.
Menius [*Abrahamus*] 151.
Menius [*Daniel*] 118. ad 121.
Menius [*Paulus*] 150.
Metzner [*Leonhardus*] 94. 95.
Meurerus [*Heinricus*] 124. ad 126.
Momus, 212.
Monile Regiarum Virtutum Christiani IV. 4.
Musæ noster Amor, 217.
Nicolai [*Hermannus*] 107. ad 109.
Notitia Artium Christiani IV. 13.
Obtrectator, 211.
Onomasteria 204. 229.

Pas-

Pasberg [*Manderupius*] 61.
Pax, 143.
Petria [*Maria*] 75.
Petrus Petræus, 133.
ad Phœbum pro amico. 219.
Plumius [*Claudius*] 135. ad 147. 187. 188. 234.
Pogwich [*Sigwardus*] 202. 203.
Portus Regius, 32. 33.
Professores Hafnienses, 86.
a Rachel [*Johannes*] 195.
Rachelman [*Michael*] 122. 123.
Ramelius [*Heinricus*] 67. seq.
Rantzovius [*Breido*] 62.
Regiarum Virtutum Monile. 4.
Reiterus [*Joh. Jacobus*] 207.
Religio Christiani IV. 7.
Resenius [*Iohannes Pauli*] 89. 90.
Rhumannus [*Wolfgangus*] 105. 106.
Rosbachius [*Nicolaus*] 165.
Rostorpius [*Iohannes*] 215.
Rosenspar [*Olaus*] 76 seq.
Salus, 235.
Sandberg [*Tycho*] 191. 233.
Sapientia Christiani IV. 9.
Sascerides [*Gellius*] 99. 100.
Senatores Regni Danici. 56.
Senex Magni loquus, 199. 200. 201.
de Serto Rosaceo, 221.
Severinius (*Fridericus*) 148. 189. 190. 229.
Severitas Christiani IV. 15.
Sinclar [*Andreas*) 84.
Sternenbecius [*Casparus*] 153. 154. 172. 222.
Symbolum Christiani IV. Regis. 16. 17.
Taubmannus [*Fridericus*] 175. 180. 238.
Tem-

Temperantia Christiani IV. 10.
Tormentum æneum à Rege factum. 30.
Udalricus Dux Slesvici & Holsatiæ, 47. ad 54.
a Weingarten (*Wolfgangus Heinricus*) 155. 228.
Veritas Christiani IV. 14.
Winstrupius (*Petrus*) 87. 88.
Virtutum Regiarum Monile. 4.
Witfeldt (*Aurelius*) 64. ad 66.
Worm (*Georgius Ernestus*) 156.

INDEX II.

In Carmina

HOPNERI.

Atlantiades. 9.
Bartholino (*Thomæ*) 1. 2. de Atlantiade. 8.
- - - de Acia. 13. de morbis Biblicis. 14.
- - - Anatomiam edenti. 17. filios dimittenti. 18.
Bering (*Vitus*) 3.
Borrichius (*Olaus*) 16. 27. & 28. *inter Addenda.*
Carolus Ludovicus Elector Palatinus. 5.
Carolus Princeps Palatinus. 6. 7.
Christianus Augustus. 24.
Christianus V. Rex Daniæ. 4. 10. 24. & *inter Addenda.*
Dallæi (*Johannis*) Obitus. 22. Effigies. 23.
Fossius. 29. *inter Addenda.*

Friderici, Regis Christiani V. Filii primo geniti Natalis. 9.
Griffenfeld (*Petrus*) 15. 19.
Hjort [*Petri*] Nuptiis. 21.
Menagius, 25 *inter Addenda*.
Nansen [*Catharinæ*] Obitus. 12.
Picartus. 11.
Schiöderi [*Gerhardi*] Nuptiis. 20.
Titan Arctous. 4.
Venus Palatina. 7.
Vindingius [*Erasmus*] 26. *inter Addenda*.

INDEX III.

In Carmina

AAGAARDI.

Aagaardi [*Andreæ*] Uxoris Obitus. 3.
Aagaardi [*Nicolai*] Nuptiis. 7.
Academiæ Soranæ laus. 62.
Baccalaurei XXV. creati. 21.
Baccalaurei XXVIII. Anno 1649. creati. 22.
Bentzonius [*Severinus*] 51.
Beringius [*Vitus*] 50.
- - - Ejusdem Nuptiis, 31.
- - - Ejusdem & Oveni Totti in exteros abitus. 47.
- - - Ejusdem brassica. 55.
Biblia sacra. 65.
Brahe [*Sophiæ*] Obitus. 25.
Brassica Beringii. 55.

Broch-

Brochmannus [*Casparus*] 48.
Canutii [*Laurentii*] Nuptiis. 1.
Carmen Nuptiale, 60.
Carolus Gustavus Rex Sueciæ, 33.
- - - Ejusdem & Friderici Tertii Regis Daniæ Congressus. 32.
Christiani Quarti Regis victoria adversus classem Sueco-Batavam. 4.
- - - in Ejusdem Obitum Panegyricus. 14.
Christiani Quinti, Quarti filii, Electi Regis Obitus, 12.
Conchylia Ludovici Pouchii, 56.
Doctores Tres in Theologia creati. 10.
Ecloga. 58.
Erhardus Johannis, 52.
Fœderis rupti pœna. 37.
Friderici Tertii Regis Homagium Anno 1648. Num. 15.
- - - Ejusdem Homagium Anno 1660. Num. 40.
- - - Ejusdem & Caroli Gustavi Regis Sueciæ Congressus, 32.
Fridericiensis Urbis ædificatio, 59.
Frisii [*Johannis*] Obitus, 26.
Frisii [*Johannis*] Nuptiis, 42.
Gerstorffius [*Joachimus*] 19.
Gratiarum actio pro honoribus Magisterii. 57.
Grimmildæ perfidia, 64.
Gyldenstiern [*Jutta* Obitus. 27.
Hannibal Sehested, 20.
Helenæ cujusdam Obitus. 53.
Homagium Regis Friderici Tertii Anno 1648. Num. 15.
- - - Ejusdem Homagium Anno 1660. Num 40.
Hortus cujusdam Heroinæ, 63.

Humblett [*Marcus Christianus*] 9.
Johanni cuidam ipso die Johannis. 67.
Kraglund [*Petrus*] Theologiæ Doctor creatur, 29.
Laurentii Canutii Nuptiis. 1.
Laurus Cimbrica, 4.
Lindenovii Cujusdam Nuptiis, 66.
Magdalenæ Johannis Obitus 8.
Magistri XX. Anno 1649. creati. 23.
Manes Cimbrici, in Obitum Christiani Quinti, 12.
Mariæ Laurentii Obitus. 3.
Matthiæ Johannis Nuptiis. 17.
Monrad [*Ericus*] Doctor Theologiæ creatur, 10.
Nuptiale Carmen, 60.
Nyseno [*Cæsoni*] Lauream Poëticam gratulatur, 49.
Pasbergius [*Enevaldus*] per anagramma. 45.
Pax rupta, 34. 37.
Pouchii [*Iohannis*] Obitus, 39.
Pouchii [*Ludovici*] Conchylia. 56.
Ramel [*Birgittæ Sophiæ* Obitus. 6.
Redzii [*Antonii*] Nuptiis, 43.
Regum Daniæ & Sueciæ Congressus. 32.
Resenius [*Elias*] 28.
Rosenkrantziæ [*Mettæ*] Obitus, 13.
Schackius, 36.
Sehested [*Christianus Thomæ* filius] 18.
Sehested [*Hannibal*] 20.
Sehested (*Øllegaardæ*) Obitus. 30.
Soranæ Academiæ laus, 62.
Stephanio [*Stephano*] Saxonem edenti, 5.
Suaningius [*Iohannes*] Doctor Theologiæ creatur, 10.
Threni

Threni Hyperborei i. e. in Obitum Regis Christiani Quarti Panegyricus, 14.
Torus Vulcani & Veneris. 54.
Tottius ad exteros iter faciens, 46.
- - - in Ejusdem & Viti Beringii abitum, 47.
Tranii [*Laurentii*] Nuptiis, 41.
Weinholdt [*Danielis*] Nuptiis. 11.
Velleii [*Lagonis*] Uxoris Obitus, 38.
Velleii Cujusdam Obitus, 61.
Veneris & Vulcani Torus, 54,
Vichmanni [*Nicolai*] & Catharinæ Plumiæ Nuptiis, 44.
Victoria Regis Christiani Quarti adversus classem Sueco-Batavam, 4.
Victoria Danorum adversus Suecos Anno 1659. Num. 35.
Widstedius [*Laurentius*] 68.
Windingii [*Erasmi*] Nuptiis, 24.
Winstrupiæ [*Mariæ*] Obitus, 2.
Witzlebius [*Georgius*] Doctor Theologiæ creatus, 10.
Wormii [*Olai*] Rectoratus, 16.
Vulcani & Veneris Torus, 54.

FINIS.

EMENDANDA & NOTANDA.
Tomo Primo.

Pagina. Versu.

129. *in extremitate paginæ* Qui *lege* Quin
138. 13. tui *lege* tuæ
162. 21. & 22. po-stea *lege* post-ea
182. 16. Monoceros *fortè legendum* Munoceros *nam sic pag.* 336. *ne peccetur contra syllabam* Mo.
196. 18. Pendentens *lege* Pendentes
203. 5. *à fine.* frustrante *quid si* frustrane
204. 19. Attigit ad sese, tamen *lege* Attigit, ad sese tamen
209. 8. *post* salutat *deleatur comma*
221. 17. puex *lege* puer
223. 17. *post* Sidera *pone comma*
253. 17. *post* profari *pone duo puncta*
255. 14. occultò *lege* occultô
256. 1. *pone comma post* periere, *dele post* perenni
257. 22. Deum *lege* Deûm
261. 10. auras *lege* aures
265. 1. & 2. *deleatur comma post* urbes *& ponatur post* Unanimos,
269. 5. Quos *lege* Quod
281. 23. jubjuganda *lege* subjuganda
289. 26. porcul *lege* procul
292. 1. pergit *lege* pôrgit
ibid. 13. clare *lege* clarô
294. 14. Movors *lege* Mavors
311. 2. *ex meliori exemplari restituo* : Dicta rependebat,
ibid. 13. Sociumque *lege* Sociûmque
332. 16. Iegersburg *lege* Egersburg
362. 8. *vixax* lege *vivax*

367.

EMENDANDA & NOTANDA.

367. 23. *dele vocem* hinc *quam in Autographo planè non exstare seriùs animadverti.*
369. 7. fluitabat *lege* fluitabant
393. 3. tristis *lege* tristes
4.7. 7. *à fine. lege conjunctim* inaccessum
ibid. *ultimo.* Fœnoren eglexit *lege* Fœnore neglexit
432. 3. Movortia *lege* Mavortia
455. 19. victribus *lege* victricibus
467. 11. pomptos *lege* promptos
514. 1. *deleatur* (ta
517. 9. oscusa *lege* oscula
ibid. 16. usnis *lege* ulnis
537. 6. Romulea *lege* Romuleæ
545. 6. *à fine.* consuerant *lege* consvêrant
547. 7. ludimus *lege* ludimur

Tomo Secundo.

4. 9. *post verba* Consulari Patre *inseratur* (*Petro Beringio*)
8. 21. *post verba* xx Maji *adde* (*Anni* 1675.)
23. *ultimo.* Quires. *lege* Quiris.
34. Num. (15) *lege* In Centuriam Primam & Secundam Historiarum
ibid. 7. & 8. *à fine. dele comma post* rerum *& pone post* Omnis,
43. 16. *post* tui *pone comma*
45. 4. *post* dies *pone comma*
49. 3. *à fine.* omne sui. *lege* omne suis.
68. 17. Prærogativa *lege* Prærogativâ
72. 8. *à fine.* Atque *fortè legendum* Adque
88. 1. forma ex *lege* forma est
94. 13. *post* NEPOS *dele punctum*
110. 4. ipsa *vel de* HVITFELDIA *interpretandum, vel* ipse *legendum*

EMENDANDA & NOTANDA.

149. 19. ficcisque *lege* ſiccisque
152. 6. *à fine* & ignitos latè *lege* & latè ignitos
156. 7. Paleſtinis *lege* Palæſtinis
164. 11. *à fine.* mandentes *lege* madentes, *quod tamen mendum in pauciſſimis tantùm exemplaribus invenietur.*
166. 7. exoptabilis, *lege* exoptabitis,
171. *antepenultimo.* Tibine *lege ſeparatim* Tibi ne
173. *antepenultimo.* madeſcunt. *lege* madeſcant.
200. 6. Othryx *fortè* Othrys
202. 9. *poſt* annos *pone punctum*
209. 3. HAFNIENSIS *ſcribe* FLENSBURGENSIS *& vide quæ in præfatione noſtra diximus.*
238. Num. 101. PETUS *lege* PETRUS
290. Num. 86. ROSSILLAM. *lege* ROSILLAM.
297. *ultimo.* ſas *lege* fas
351. *penultimo.* carcer isumbras *lege* carceris
359. 14. *lege* Et pia victricem (umbras
386. *penultimo.* ſu-ra *lege* ſu-pra
390. 18. excuſſit tramite *forte legendum* de tramite *ſic ad hiatum recurrere non indigemus.*
403. 4. *à fine.* Hic Heros *lege* Sic Heros
427. 6. decatentur *lege* decantentur
438. 19. quaſſere *lege* quaſſare
471. *ultimo.* læta *lege* lætâ
489. 13. He! alacres *lege* Ite alacres
507. 16. *poſt* agmine facto *dele punctum*
512. 11. peccata *procul dubio legendum* pacata
540. 17. Abradatæ *quid ſi* Abradaræ
575. 4. *à fine.* Vulſejus *fortè rectius* Volſejus
581. 8. ſicca *lege* ſica